# ILDEPHONSI
# PEREZ DE LARA
## TOLETANI,
A CONSILIIS CATHOLICÆ MAJESTATIS, ET IN CIVITATE REGUM PROVINCIARUM PERU CURIÆ CANCELLARIÆ PRÆTORIS;

# DE ANNIVERSARIIS ET CAPELLANIIS
## LIBRI DUO.

Opus quidem ut pium, & practicabile, ita & utile in utroque Foro verſantibus, Judicibus, Advocatis, Clericis & Monachis, & quibuſcunque aliis piorum Executoribus.

EDITIO NOVISSIMA EMENDATIOR, ET SUIS INDICIBUS FIDISSIMIS INSTRUCTA.



LUGDUNI,
Sumptibus ROCHI DEVILLE, & L. CHALMETTE.

MDCCXXXIII.
*CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO.*

S. XVIII (3) 821

# CENSURA.

EX Commiſſione S. S. Regii Aragonum Conſilii librum *de Anniverſariis & Capellaniis*, Licentiati Ildephonſi Perez de Lara, ſuæ Majeſtatis Conſiliarii in Regia Audientia Limæ Indiarum Provinciæ, orti vero in inſigni Toletana urbe, qua potui diligentia vidi, atque iterum perlegi ſermonis elegantia, ſuavitate dicendi, rerum ordine, & materiæ pulchritudine, & utilitate allectus, in quo auctor fœliciſſimi ingenii vitæ ſatis oſtendit, & egregium eximiæ, & reconditæ eruditionis teſtimonium præbet: nihil Orthodoxæ religioni, vel bonis moribus adverſum continet, imò pietate, & religione abundat dum pias fidelium diſpoſitiones, & voluntates excitat, & illarum vim undique demonſtrat, & facilem Juridicumque executionis aditum patefacit, opus ideo digniſſimum, ut publicum edatur, & in ſtudioſorum manibus verſetur, cenſui. Matriti 7. Novembris 1607.

Fr. Ludovicus Aliaga.

---

*Venerabili in* Christo *Patri Magiſtro* Ludovico Aliaga, *Terræ Sanctæ Provinciali Ordinis Dominicani, ac Conſilij Sanctæ Generalis Inquiſitionis rerum Orthodoxæ Fidei Qualificatori meritiſſimo:*

*Licentiatus* Ildephonsus Perez de Lara, *Regius Conſiliarius.*

POstquam tot vigiliis, aſſiduiſque laboribus librum de *Anniverſariis & Capellaniis*, Deo duce perfeciſſem (venerande ac ſapientiſſime Pater) illumque Regio Aragoniæ Senatui repræſentarem, & intellexiſſem ejus examen eximiæ Dominationis veſtræ cenſuræ commendatum pavere cæpi animo revolvens, an exigui mei ingenii fœtus, tædio futuri eſſent eminentis ſcientiæ moderatori, optaramque ab incæpto deſiſtere, ut libellum, ſimulque meipſum, à correctionis periculo liberarem, quod potius evenire poſſe ſperabam, oppoſitum tamen, & inopinatum mihi contigiſſe video, cum inſperata, & ſic jocundior, & æſtimabilior approbatio, repetitaque operis laudatio, à te fuerit exactiſſimè promulgata, ejus ex certa ſcientia ſupplens defectus. Sed cum honor ſit in gratuito honorante, quidquid honoris, & laudis incapaci, ac rudi libro accommodas cenſori revertitur, cenſumque gratiarum perpetuum in authoris perſonam conſtituis, in cujus recognitionem, ac antidoralem obligationem, qua me ſummopere adſtrictum agnoſco, hæc manu propria libenter ſcripſi, & ſignavi. Vale venerande Pater, quem Religio ſatis commendat, prædicat eruditio, iterumque Vale.

---

## *Alia item Cenſura.*

HE viſto por commiſſion de los Señores del Conſejo el libro de Anniverſariis & Capellaniis, compueſto por el Licenciado Perez de Lara, Alcalde de la Real Chancilleria de la Ciudad de los Reyes, y no hallo coſa porque no ſe deva imprimir, y he hallado muchas que obligan a dar licencia para que ſe imprima, porque es libro muy docto, y de coſas muy platicables, y que mueſtra la mucha erudicion de ſu Autor, y ſu mucha diligencia, y prudente eleccion: y aſſi ſoy de parecer que ſe deve imprimir, y que ſeria de mucha utilidad ſe imprima, para que gocen del los curioſos, y todos en comun ſe aprovechen. En Madrid oy 22. de Abril de 1608.

El Licenciado Don Diego Gonzalez de Contreras.

---

POr mandamiento del Arzobiſpo mi Señor Don Tomas de Borja, he viſto eſte libro de Anniverſariis & Capellaniis, y la dotrina Theologa, que en el ſe trata, es Catolica y muy docta y bien fundada, y la reſuelve en eſtilo tan bueno, que podrà aprender quien lo huviere meneſter, y el docto ſe podrà mejorar, y aſſi me parece ſe puede imprimir en Zaragoza, 12. Abril, año de 1608.

El Doctor Domingo de Villalva.

Reverendiſſimi D. D. PETRI DE OÑA, Epiſcopi Caetani, ac Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ aſſiſtentis, Catholicæ Majeſtatis à Conſiliis, Diſthica in laudem Authoris.

*Docte quid in tantis miraris? collige flores,*
*Elige quæ invenies, munera grata Deo,*
*Sive piis animas precibus luſtrare beatas*
*Crimine pœnali ſubveniendo cupis.*
*Jureque perpetuò ſuffragia mittere curas,*
*Quæ pia divinis auribus alma ſonent.*
*Sive cupis dulces tenera de Virgine tædas,*
*Seu cupis Infantes protegere expoſitos.*
*Seu cupis eripere inſontes de compede Mauri.*
*Solvere & oppreſſis vincula ſæva cupis?*
*Pectore ſcire cupis, quid ſit ſuccurrere egeno*
*Et quidquid pietas officioſa valet?*
*Abſque tributo itidē gelidū transferre cadaver,*
*Reliquiiſque dari ſacra ſacella paras?*
*Sancta, ſalutiferi celeb[illegible] pora Chriſti,*
*Sanguinis inge[illegible] nobilitate frui? [eſto*
*Ecce laboratus lepiduſque liber: ſi hunc perlegis,*
*Doctus in hoc ipſum, doctus in omne bonum.*
*Invideo qui prius hominis deſcripſero finem,*
*Dum tu me ſequeris doctior, invideo.*

LICENTIATI JOANNIS QUINONES DE BENAVENTE, Juris utriuſque Profeſſoris in laudem libri & Autoris.

EPIGRAMMA.

*Librum Lara tuum vidi, dignumque putavi*
*Qui volitet ſemper docta per ora virúm.*
*O fœlix patria inſignis, fœlixque Toletum*
*Quæ peperit natum, talia qui peperit:*
*Talia, quæ nunquam ſapiens Hiſpania vidit,*
*Nec videt in ſcholijs inclita Roma ſuis.*
*Nam liber hic celebris prudentum plurima juris*
*Reſponſa, & caſus explicat ille pios.*
*Hic & defunctorum anniverſaria tractat,*
*Quæ liberant animas carcere, ut aſtra petant*
*Hic teſtatorum legem, & diſpoſita juſta*
*Servari, atque illis vota ſuprema, facit.*
*Nobilitat claros, puroque à ſanguine natos:*
*Nec ſinit infectos, nobilitate frui.*
*Virginibus caſtis mandat legata puellis:*
*Ut facile inveniant, quos ſibi conſocient.*
*Carceribus clauſos liberat ſqualore repletos*
*Et quos captivos vincula ſæva tenent.*
*Infantes refovet teneros quos impia mater*
*Abjecit, rigidæ pectora Tigris habens.*
*Si hic pietate liber libros ſupereminet omnes*
*Jure quidem mitis mons pietatis erit.*
*Hunc legite, & verſate manu qui juris amatis*
*Flores, & varios, qui leget, ille leget.*
*Hunc celebrent cuncti quos nutrit pendula tellus*
*Si licet & libris, annua dona ferant.*
*Hos male tornatos verſus tu ſuſcipe Lara:*
*Quos ad te noſter mittere cogit amor.*
*Vetus amor patriæ noſtræ me cogit, amico*
*Parva licet charo dona referre meo.*
*Parva licet magni non temnunt munera Reges*
*Pluſque animus dantis quam ſibi dona, placet.*
*Regibus hæc, propria eſt virtus, tibi Regia virtus*
*Semper ineſt animo, ſemper ineſt opere.*
*Sumere qui neſcit, dare neſcit, ſuſcipe tandem*
*Hoc magni exiguum pignus amoris, opus.*

*IN LAUDEM OPERIS ANNIVERSARIORUM materiam continentis graviſſimi Licentiati Perez de Lara de Conſilio Regis: Suus obſervantiſſimus Licentiatus Hieronymus de Cevallas advocatus Toletanus, & Decurio nobilium in eadem Regia civitate, ita reſpondit.*

SICUT illa duo cæli luminaria Dei optimi maximi gloriam, & magnitudinem, in toto orbe terrarum oſtendunt: ſic duo Scriptores qui nomine Lara, vocantur, tanquam duo terræ luminaria ita noſtram Juriſprudentiam illuminant, ut unus corpori, alter animæ ſimul fecundè ſatisfaciant, nam antiquior Lara qui de alimentis optimam repetitionem, & tractatum compoſuit, cibavit corpora ſuis doctrinis, & documentis: Tu verò Lara Junior, & ingenio, literis, & ſubtilitate primus ſicut anima eſt pretioſior corpore, ita opus tuum de Anniverſariis conditum cæteris præcellit, animarum fidelium condimentum ſalutare præſtando, & juris peritis optimas reſolutiones, & doctrinas tribuendo, quia ita fideliter & eleganter omnia, certa reſolutione reſpondes, ut ex Apollinis oraculo emanaſſe videantur: Nam quis melius obſcura diſtinguit, quis clarius involuta, & implicata explicat, quis legum difficultates facilius declarat, quis Juriſconſultorum reſponſa, & Romanorum Pontificume decreta, melius interpretatur, quis accuratius juris antimonia, ad amicitiam, & concordiam reducit, prorſus quidem ignoro, & altiori judicio remitto. O fœlix Civitas Toletana talis autoris mater, ô Advocati, qui in fratrem eum aliquando meruiſtis, ô judices, & Senatores graviſſimi qui in Socium à Domino noſtro Rege Philippo hujus nominis Tertio accepiſtis. Sed cum opus tuum ſe ipſum oſtendat decrevi ab incepto, & inſtituto deſiſtere, quia qui tuas laudes voluerit incipere facilius cæli ſidera enumerabit. Vale.

ELENCHUS

# ELENCHUS CAPITUM QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

Numerus paginam indicat.

## LIBER I.


CAP. I. *DE Cauſa & effectu aniverſarii, & nominis etymologia; & diffinitione.* 1
II. *An fundus relictus, ut ex ejus reditu anniverſarium celebretur, poſſit alienari? & an afficiatur onere, ita ut emptor, ſeu alter novus poſſeſſor teneatur ad onera anniverſarii?* 6
III. *Si teſtator diſpoſuerit quod celebretur anniverſarium pro anima ſua, an hæres adimpleat in primo anno, & in ea diſpoſitione ſit locus regulæ,* l. boves, §. hoc ſermone, ff. de verb. n.4. *vel ſit perpetuum judicandum.* 8
IV. *An ex eo quod relinquantur bona cum onere anniverſarii perpetui pro anima, cenſeatur inductum vinculum majoratus?* 12
V. *An ſi anniverſarium relinquatur cum clauſulis inducentibus majoratum, ejus ſucceſſio reguletur legibus majoratuum?* 15
VI. *An ſi fundus ſeu alia res fuerit alicui relicta cum onere anniverſarii, hoc addito, ne alienet, poſſit alienare? vel ſaltim ejus filii, ſeu hæredes & de intellectu* Authentici, de reſtitutione fideicommiſſæ, præcipuè in verſi. Nos igitur, collatione 9. 23
VII. *Res affecta onere anniverſarii, an deferatur fratri majori, ſi ad meliorem executionem anniverſarii, vel ad rixas evitandas, Ordinarius juſſerit eam deponi, vel eſſe penes unum.* 25
VIII. *Tertius poſſeſſor rei affectæ onere anniverſarij, poſſitne directo conveniri, an per hypothecariam?* 29
IX. *Qua parte anni ſit facienda ſolutio relicti pro anniverſario.* 31
X. *Quid faciendum ſi quis relinquat anniverſarium celebrandum, nec exprimat numerum Miſſarum, vel ſi jubeat Virgines quotannis maritari, & numerum quantitatemque dotis taceat.* 36
XI. *Si quis condidit teſtamentum, in quo relinquit anniverſarium Miſſarum pro anima in Eccleſia, qua jubet corpus ſuum ſepeliri, & poſtea ſe ſuſpendat, vel in flumen, ſeu puteum ſe proijciat, & ſic decedat in notorio peccati mortalis, vel alia cauſa decedat excommunicatus, an ceſſet relictum pro anniverſario.* 45
XII. *Si quis diuturno tempore celebret in Eccleſia anniverſarium pro defunctis compellatur id facere in futurum?* 49
XIII. *An ex eo quod datur uxori, filiis, ſeu aliis conſanguineis, pro pace & remiſſione illatæ mortis, ſit aliquid tribuendum, ut fiat anniverſarium pro anima defuncti, vel ſaltim aliqua ſuffragia?* 53
XIV. *An relicta pro anniverſario, vel alio pie opere, poſſint in alium uſum converti, & quando, & cujus authoritate?* 54
XV. *An creſcentibus, vel decreſcentibus fructibus fundi relicti pro anniverſario, creſcat, vel decreſcat onus miſſarum, vel alterius piæ cauſæ.* 59
XVI. *Poſſidens bona cum onere ſolvendi certam pitançam clericis alicujus Eccleſiæ pro anniverſario, an teneatur ſolvere augmentatis, vel ſolum pro numero exiſtentium tempore conſtituti anniverſarij.* 63
XVII. *Si quis relinquat certos redditus Clericis, ut Canonicis, portionariis, ſeu Capellanis Eccleſiæ Toletanæ, vel Parocho & beneficiatis alicujus Eccleſiæ pro anniverſario, & in celebratione non adſint omnes, relictum ſit dandum intereſſentibus, vel unicuique rata relicti.* ibid.
XVIII. *An poſſit conſtitui cenſus ſuper rebus affectis onere anniverſarij.* 65
XIX. *An bona emphyteutica poſſint relinqui pro anniverſario Miſſarum, vel alterius piæ cauſæ.* 66
XX. *An ex venditione fundi emphyteutici, quæ fit cogente judice, quia ſit relictus cum onere vinculi & anniverſarij ſimul, debeatur laudemium, ſitque ſolvenda Gabella.* 69
XXI. *De annivorſario pro virginibus maritandis, & Infantibus expoſitis nutriendis* 76
XXII. *De anniverſario pro Redemptione captivorum, & relaxandis, ſeu alendis carceratis.* 86
XXIII. *De anniverſario relicto pro monte pietatis ad mutuandum frumentum, aliamvè ſpeciem, ſeu quantitatem egenis.* 90

XXIV. *De Anniverſario pro celebranda feſtivitate ſacramenti Corporis Chriſti, & de præcedentis in proceſſione.* 93

XXV. *Sit ne licitum aliquid percipere ratione tributi pontagij, ſeu paſſagij cum mortuorum cadavera transferuntur de uno loco ad alium ad funerandum, & ſepeliendum ea in locis à defunctis electis, ubi eſt celebrandum Anniverſarium, & an quarta funeralis quæ eo caſu debetur Parochiæ deducatur de relictis pro Anniverſario.* 96


## LIBER II.


CAP. I. *Traditur etymologia, & diffinitio Capellaniæ, & diſcutitur an Capellaniæ anniverſarium poſſit relinqui ſub conditione, ne Epiſcopus ſe intromittat, & an vitietur conditio.* 103

II. *De conditione appoſita à fundatore Capellaniæ, ut præſentandus ſit de ejus genere.* 109

III. *De cauſis prælationis ad Capellaniam conferendam uni, potius quàm alteri?* 112

IV. *De præferendis nobilibus in Capellaniis, & an licitum ſit fundatori apponere conditionem nobilitatis, & puritatis ſanguinis, ejuſque probatione, in quo multa enucleantur utilia, pro examine informationum de genere admittendorum in Eccleſiis, & Collegiis, Confraternitatibus, & aliis congregationibus, & officiis requirentibus qualitatem ſanguinis.* 115

V. *Quod Capellania poteſt conferri non ſacerdoti, clerico tamen ſaltim tonſurato, & de Capellaniis requirentibus [illegible] actu, vel aptitudine?* 130

VI. *Fundator Capellaniæ poteſt diſponere quod Capellanus ſit amobilis ad nutum patroni, & plura de beneficiis amobilibus?* 133

VII. *De conditione appoſita per fundatorem, ne Capellanus habeat aliud beneficium & an Capellania ſit beneficium ſimplex, & quæ mere ſimplicia, & quæ ſervitoria ſint, & quæ conformia & difformia?* 136

VIII. *De conditione reſidendi ubi Capellania celebratur, & celebrandi tali loco, ſeu altari, & de beneficiis ſimplicibus & præſtimonialibus.* 138

IX. *Si Capellania ſit juris patronatus, qualiter & quando præſentatio facienda ſit à patrono.* 143

X. *Ad quem pertineat Capellaniam conferre, & de praxi procedendi ad collationem?* 519

XI. *An ſententia Ordinarij lata in favorem alterius ex litigantibus, cui mandat collationem Capellaniæ fieri, ſit exequenda, non obſtante appellatione, & de diviſione fructuum facienda inter novum Capellanum & primum, ſeu ejus hæredes, & de deteriorationibus, vel augmentis.* 341


## EXCERPTA EX LIBRO PRIMO.

Quia multa ſcitu digna in his duobus libris explicantur, quorum non fit mentio in rubricis capitum, placuit hîc ponere eorum, argumenta, ut lectores facilius explicationem inveniant, & quæ eis placuerint perlegant.


*De animabus Purgatorij, & an ſint in ſtatu orandi pro vivis, & quod juventur orationibus vivorum, & alijs operibus pijs, præcipuè acceptabili Miſſæ ſacrificio, & qualiter ſciant quod pro eis fit, & a quibus, ut ipſæ pro benefacientibus orent. c. 1. ex num. 1.* p. 2

*An ſit Religioni conſentaneum honorabilia ſepulchra appetere, & conſtruere, c. 1. ex num. 52.* p. 6

*Quod relicta pro anniverſario, & pro alimentis æquiparentur, & an alimenta divitibus relicta contineant alimentorum favorem, c. 2. ex num. 19. &c. 20. n. 96.* p. 8

*Caſus quibus limitantur* Regula. l. Boves. §. hoc ſermone. ff. de verb. ſigni. *ut diſpoſitio non extinguatur primo actu, c. 3. ex num. 18.* p. 10

*Differentiæ inter fideicommiſſum & majoratum, c. 4. ex num. 23.* p. 14

*Qualiter ex parte rei cauſatur individuitas, & de pluribus hæredibus unius litigantis, qui pro uno habentur, & tenentur unum procuratorem conſtituere, c. 4. ex num. 34.* p. 14

*Identitas rationis an decidat omnes caſus ſimiles per extenſionem, vel propriè & comprehenſivè, caput quintum, ex num. 1.* p. 17

*An diſpoſitio l. 7. tit. 7. lib. 5. Recop. quæ dividit in filiis primogenia, quæ per matrimonium juncta fuere, habeat locum in caſu quo ſucceſſione jungantur, c. 5. ex num 14.* p. 17

*De extendenda, vel non, lege correctoria & pœnali, & quid ſi ſit correctoria & pœnalis ſimul, c. 5. ex num. 17.* p. 18

*Quod ſucceſſor in majoratu vel feudo amittat ſucceſſionem ſi occidat poſſeſſorem, & quando non privetur illo. c. 5. ex num. 29.* p. 18

*Quod ex modo ſuccedendi aliquibus annis cenſeantur bona vinculata, etiam quod vinculum ſit parvi valoris, ut fundi ſeu domus, & an hoc caſu requiratur præſcriptio temporis immemorialis, ſeu altera, vel ſolum quod aliquibus annis per duos vel tres actus ſit ita ſervatum, cap. 5. ex num. 37.* 19

*Beneficium Edicti Carboniani (quod competit pupillis, quibus movetur quæſtio ſtatus, ſeu illegitimitatis, ut cauſa differatur in tempus pubertatis) an habeat locum in his anniverſariis, & an detur ſi moveatur quæſtio totius patrimonij, c. 5. ex nu. 50.* p. 20

*An obtenta facultate ad faciendum majoratum in uno ex filiis poſſit facere anniverſarium in forma majoriæ, & quid ſi habeat unicum filium, c. 5. ex num. 61.* p. 20

*An fœmina major præferatur maſculo minori in ſucceſſione anniverſarij, c. 5. ex num. 75.* p. 21

*Quare familia plus conſervetur per ſucceſſionem maſculorum, ſiquidem per fœminarum ſucceſſionem filiatio verè probatur, per maſculos autem ſolum præſumptivè cap. 5. ex n. 90.* 22

*Quando alienationis prohibitio extendatur ultra quartam generationem, c. 6. ex num. 9.* 24

*De præferendis ætate majoribus in honoribus & rebus penes unum deponendis, cap. 7. ex num. 1.* p. 56

*De ſtatuto Pileatorum civitatis Toletanæ, quo diſponitur, quòd ſignum, ſeu marcha pileis conſueta apponi per artificem defunctum deferatur fratri majori, & de dividendo ejus valore per æſtimationem, & aliqua de ſigno inſignis artificis, & acquirendo & retinendo dominio per ſignum, & quid de ave ſignata, ſi evolaverit, c. 7. ex num.* p. 26

*De ſervanda æqualitate inter fratres in partiendis bonis, & de diviſione ita facienda, ut major dividat, & minor eligat, qualis fuit Lotis & Abrahæ, & ſortis Remi & Romuli, urbis Romæ fundatorum, & de judicio ſortis, c. 7. ex num. 46.* p. 28.

*Caſus quibus tertius rerum obligatarum poſſeſſor poteſt conveniri non facta excuſſione, c. 8. ex num. 3.* p. 30

*De differentia inter hipothecam & onus rei injunctum ut anniverſarij, & de propria cujuſque natura, & genuina conſtitutione, c. 8. ex num. 14.* p. 30

*Quod tempus cenſeatur adjectum gratia promiſſoris, in contractibus, vel hæredis in ultimis voluntatibus, & cum non reſpiciat obligationem, ſed executionem ſolutionis, ita ut ante diem non cogatur quis ſolvere, ſi conventus non apponat dilatoriam, fertur ſententia & proceſſus tenet, & quando tempus cenſeatur adjectum gratia creditoris, cap. 9. ex num. 1.* p. 33

*De intellectu l. 4. tit. 4. lib. 7. Recop. quæ loquitur de viginti diebus vitæ renuntiantis officia in favorem tertij, & dies computentur ex hora factæ renuntiationis, & quid ſi de hora non conſtet, & quam utile ſit apponere horam in contractibus ad prælationem, cap. 9. ex nu. 8.* p. 33.

*Quando nequeat debitor prævenire diem in ſolvendo, vel non conſequatur liberationem ſi ante diem ſolvat, cap. 9. ex num. 5.* p. 33

*Quod incertitudo omnes actus inefficaces reddat, tàm in contractibus, quàm in judiciis & ultimis voluntatibus, & ponuntur plura exempla diverſorum caſuum. c. 10. ex num. 1. & iterum ex num. 62.* p. 38 & 41

*Quod non ſufficiat accipere poſſeſſionem unius rei pro omnibus, ſed ſit accipienda ſigillatim cujuſlibet rei, etiam quod accipiatur poſſeſſio rerum, ſub univerſitate comprehenſarum, & an per ingreſſum partis unius fundi contigui acquiratur poſſeſſio totius, & retineatur per uſum partis, & quid in juriſdictionalibus, c. 10. ex num. 15.* 38

*De judicando ſecundum inſpectionem oculorum, quæ judicialiter adhibita fuit, & an tunc dicatur judicari ſecundum conſcientiam. cap. 10. ex num. 35.* 39

*An Conſiliarij ſupremi Caſtellæ Senatus poſſint judicare ſecundum ſuam conſcientiam, & de intellectu.* l. 22. tit. 4. lib. 2. Recopil. *& quid operetur clauſula illa ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicij, ſola ſcientia veritatis, cap. 10. ex num. 37.* p. 39

*Quando ſufficiat liquidatio facta in diſcurſu executionis, ut executio non fiat irrita, nec ſententia venditionis vulgo,* de remate *c. 10. ex num. 66.* 41

*Quod diſpoſitio plurali locutione concepta verificetur in ſingulari, niſi adjiciatur pluralitas in forma conditionis, c. 10. ex n. 78.* p. 42

*Quod legatum incertum ſuſtinetur favore anniverſarij, & piæ cauſæ, c. 10. ex num. 84. uſque in finem.* p. 43

*Quando poſſint circa idem duo ſpecialia, & etiam tria concurrere, c. 10. num. 94.* p. 43

*De eo quem in ultimo vitæ ſpiritu pœnitet peccaſſe, & de intellectu verborum D. Auguſt. dubitantis de ejus ſalute, & qua intentione congruum ſit orare pro eis de quorum pœnitentia dubitatur, c. 11. ex num. 11.* 45

*Quod cenſeatur revocatum legatum & primogenium, propter inimicitias ſupervenientes, etiam culpa teſtatoris, & quid ſi inimicitia inceperit morte teſtatoris & de inimicitia teſtis, procurata per eum contra quem dixit ad annullandum dictum, c. 11. ex num. 21.* 47

*Lex nova, quando intelligatur vel non ſecundum diſtinctionem legis veteris, c. 11. ex n. 44.* p. 49

*Diuturna præſtatio quando obliget in futurum, & quod præſtationes debeant eſſe uniformes, & quot præſtationes vel ſolutiones requirantur ad obtinendum in judicio poſſeſſorio; & an requiratur biennalis; vel ſufficiat unica, c. 12. ex num. 1.* p. 50

*Mulier ſecundo nubens an teneatur reſervare filiis prioris matrimonij ſibi datum pro pace mortis primi viri, & an ſecundis nuptiis contractis poſſit pacem facere de morte primi viri, c. 13. ex num. 4.* 53

*Qualiter ultimò defunctorum voluntates ſint adjuvandæ, & ad effectum perducendæ, & an poſſint ſine cauſa commutari per Rom. Pontificem, ſeu Principem, & cum ea per inferiorem, c. 14. ex n. 1.* 55

*Quod legatum pro virginibus maritandis non patiatur commutationem, ſalva Sedis Apoſtol authoritate, quia diſponit de relictis piis, prout vult, licet teneatur ex vi directiva bene agere, & qualiter intelligantur jura de ſuæ poteſtatis plenitudine loquentia, & quod aliquando dicitur in jure non liceat Papæ, ut in cap. non liceat. 12. q. 2. & aliis ſimilibus, cap. 14. ex num. 38.* p. 58

*Quod commutatio ultimæ voluntatis expeditur per reſcriptum in forma brevis, & quare ſic appelletur, & de differentia ejus & bullarum, c. 14. ex n. 45.* 59

*Quod verba generalia pacti, teſtamenti, ſeu conceſſionis intelligantur ſecundum tempus contractus teſtamenti, ſeu alterius diſpoſitionis in temporalibus & beneficialibus, cap. 16. ex num. 1.* p. 61

*De differentia nominis univerſalis, generalis, & indefiniti, & quid unoquoque veniat quid ſub nomine collectivo univerſali, & ſub collectivo nominale, quod proderit ad plurium jurium intellectum, c. 16. ex n. 11.* 62

*Quæ dicantur perſonæ potentiores, ut in eas non poſſit fieri alienatio rerum emphyteoticarum, & an quando quis compellitur vendere, ut præſtet æſtimationem rei relictæ poſſit liberari à vendendo dando æſtimationem, c. 19. ex num. 1.* p. 67

*Quæ dicatur venditio neceſſaria, ut liberetur quis à ſolutione laudemii, & gabellæ, & quod facta à judice ex præambulo contractu partis, ut ſolvatur creditoribus ſit voluntaria, c. 20. ex n. 2. & iterum ex n. 48.* p. 70. 74

*Diſcutitur an prohibitus alienare poſſit, rem obligare vel pignorare & an ſit alienatio pignoratio rei facta pro tanto quantum valet, cap. 20. ex n. 27.* 72

*De reſtringenda legis diſpoſitione ex ratione expreſſa, vel præſumpta, & quid operatur ratio legis ad regulandum diſpoſitionem, c. 20. ex n. 44.* p. 73

*Ex venditione facta, ut ex pretio rerum venditarum adimpleantur relicta pia debeatur gabella, & an deſtinatio habeatur pro facto, & privilegia conceſſa piis cauſis habeant locum in rebus ad id deſtinatis, c. 20. ex num. 51.* p. 74

*De utilitate procreandæ ſobolis & privilegiis in jure*

conceſſis ob numerum liberorum, cap. 21. ex num. 1. p. 78

Quod valde meritorium ſit relinquere dotes pauperibus, & quod dicantur pauperes, licet vivant ex labore, & quando ſit legatum conditionale, vel purum, & de differentia relicti generaliter, pro virginibus maritandis, vel ſpecialiter alicui certæ puellæ, & quod hoc ſecundo caſu poſſit peti ante nuptias etiam ſine cautione, & quod tranſeat ad heredes puellæ deſcendentis non contractis nuptiis, & de intellectu, l. Titio centum, §. Titio genero, ff. de condition. & demonſtrat. cap. 21. ex num. 23. p. 80

Legatum pro virginibus maritandis quando detur, vel non intranti religionem, & an religiones poſſint accipere dotes pro recipienda moniali ſine Simoniæ labe, cap. 21. ex num. 24. & iterum num. finali. p. 80. 86

Legatum pro virginibus orphanis maritandis an detur jam nuptæ, & an poſſit dari habentibus patres inutiles, & an detur contrahentibus prætermiſſis denuntiationibus à Sacro Concilio Tridentino requiſitis, & ante velationem, & benedictiones nuptiales, & an lucretur dos altero decedente ante velationem, vel renuente accipere, vel abſente, c. 21. ex num. 30. p. 80

Legatum pro orphanis maritandis, an poſſit dari expoſitis, & vulgo conceptis, qui patres demonſtrare non poſſunt licet habeant, & quando detur viduis, cap. 21. ex num. 66. 83

Quando ſuſtineatur conditio viduitatis, & quod ſuſtineatur in virginibus, ſi fuerit ſubſtituta pia cauſa, cap. 21. ex num. 85. 85

Legatum pro virginibus maritandis, quando poſſit ex præſumpta relinquentis voluntate retineri ab ea, quæ licet communiter eſſet habita pro virgine in rei veritate non erat, ſed corrupta, c. 21. num. 90. 85

Mulier compulſa alienare, vel obligare dotem, pro redimendo viro ab hoſtibus, vel carceribus, quod non poſſit reſcindere contractum prætextu metus; nec in his juvatur Vellejano, & idem ſi obligetur, pro exoneranda conſcientia viri defuncti, cap. 22. ex num. 5. 87

De bonis deperditis (vulgo moſtrencos) pertinentibus, ſanctæ Cruciatæ, & Religionibus habentibus privilegium, & de præventione inter habentes jus ad moſtrenca, & quid ſi concurrant, cap. 22. ex n. 11. 87

Quod bona abſentium tradantur ſervanda cognatis, & an dentur fœminæ proximiori, & quid in majoratu concurrentibus ſucceſſore, & conſanguineo proximiore, c. 22. ex num. 16. 88

Qualiter judices procedere debeant diebus paſchalibus in relaxandis carceratis pro debitis, & quod tutores vel curatores, qui humanitate ducti dimiſerunt pauperes debitores non teneantur, c. 22. ex num. 28. 89

Quod hypotheca, ſeu bonorum obligatio non requirat ſcripturam, & quod probata duobus teſtibus ſufficiat ad prælationem, licet poſterior creditor habeat inſtrumentum, & quod id non procedat in privata ſcriptura à debitore recognita ſine teſtibus, propter periculum antedatæ, & quod valeat ſcriptura privata, ſine die, cap. 23. ex num. 17. 93

Qualiter & quando ordines, & confraternitates poſſint compelli accedere ad proceſſionem Sacramenti, & de ordine incedendi, & de acquirenda quaſi poſſeſſione eundi digniori loco, vel ſedendi in Eccleſia. & offerendi prius, & recipiendi pacem, & an hoc poſſint adquirere mulieres, c. 24. ex n. 14. p. 95

Plura de libera electione ſepulturæ, & quod naturaliter debeatur homini locus ſignato, & de non detinendo cadav. pro debitis, & privilegio expenſarum funeralium, & an exulati poſſint ſepeliri in locis à quibus fuerunt exulati, cap. 25. ex n. 2. 97

Quod hiſtoriæ, & ſcripta in lapidibus antiquis poſſint allegari, & faciant probationem, cap. 25. ex num. 32. 99

Differentia quartæ parochialis, & Epiſcopalis, & propria cujuſquè natura, cap. 25. ex num. 51. 100

## EX LIBR. II.

De Capella, ſacello, & cubiculo, & Capellano Sacerdote, Cubiculario, & quare ſic appellentur, & de capa, & ſuperpelliceis clericorum, c. 1. ex n. 1. 104

De confraternitatibus laicorum, & an ſubſint Epiſcopo, & an poſſit viſitare & petere rationem adminiſtrationis bonorum, & poſſint alienari ſine ſolemnibus, ut temporalia, c. 1. ex n. 5. 105

Quando Capellania ſit beneficium Eccleſiaſticum, & quæ dicatur Capellania profana, & de ejus bonis, & quando cenſeatur quis fundare collativam, vel non, & quid de Capellis Regum Hiſpaniæ, c. 1. ex num. 50. 108

De præſcribendis conditionibus Capellaniæ, & interpretatione fundationis dubie executa obſervantia, c. 1. ex num. 50. 108

Vocatis conſanguineis ad Capellaniam, an attendatur proximitas fundatoris, vel ultimi Capellani, & an ingreſſa Capellania in conſanguineis unius lineæ, detur regreſſus ad aliam non extinctis omnibus illius lineæ, & quando cenſeantur vocati conſanguinei lineæ effectivæ vel contentivæ, c. 1. ex num. 7. 105

De non dividenda Capellania & intellectu celebris text. in cap nisi eſſent viri providi & honeſti, de præbend. & dign. c. 1. ex n. 27. 107

De præferendis dignioribus in Capellaniis, & aliis beneficiis, & referuntur aliqua noſtra, & menti tenenda exempla à Sanctis tradita, & ſcripta, cap. 1. ex num. 45. 107

Quod utrinque conjuncti præferantur in Capellaniis, & an in eis attendatur forus ſepulvedæ de reddendis bonis ad truncum, & quid in aliis non beneficialibus, & an in feudis, & majoratibus, præferatur utrinque conjunctus, c. 3. ex n. 34. 114.

De creditoribus habentibus diverſas menſas quod ſinguli præferantur in bonis menſæ qua contraxerunt. c. 3. n. 41. 251

Quod in beneficialibus habeatur ratio nobilitatis, & ſi ſuſtineantur ſtatuta puritatis ſanguinis, c. 4. ex num. 1. 118

Quod ad generis probationem ſufficiat teſtimonium de auditu, etiam puro & ſine redditione rationis, & ſic probetur, quod quis deſcendat ex Judæis, & quando ſufficiat auditus, cap. 4. ex num. 11. 119

Sententia, ſuper nobilitate & puritate ſanguinis, quando proſit vel noceat litigantibus, & quid ſi feratur à Rege, vel Romano Pontifice, c. 4. ex n. 28. 205

De



De probanda qualitate, quæ reſpicit habilitatem perſonæ, & loco ubi eſt facienda inquiſitio ſanguinis, & quomodo præjudicet probatio facta, parte non citata, & quod credatur ſcribæ capituli collegii, ſeu confraternitatis, c. 4. num. 23. & 93. p. 121. 125

De probatione relicta in juramento partis, & quando admittatur probatio in contrarium, cap. 4. ex n. 2. 118

Expoſiti an admittantur in locis habentibus ſtatuta puritatis ſanguinis, cap. 4. ex num. 33. p.

De ſumenda conjectura, ex nomine, & quid operetur nominis ſimilitudo, cap. 4. ex num. 46. & num. 122. 128

Quo jure fundetur praxis Hiſpaniæ obſervans quod licet ſint plures teſtes dicentes inquiſitum eſſe puri ſanguinis, non admittatur in his ſtatutis, per pauciores teſtes contrarium deponentes, c. 4. ex n. 60. 123

Diſcutitur an ſit verum teſtem probare plene contra producentem, c. 4. ex n. 63. 124

An ſufficiat qualitas privilegiativa, ut quis admittatur in locis ſtatutorum, cap. 4. ex num. 95. 125

Quod ſcripta affixa Eccleſiis in linteaminibus vulgo, Sambenitos, faciant probationem, & de praxi ponendi ea, & de media Cruce, ſivè banda, quæ aliquando datur ferenda pœnitentiatis, & an pœnitentes reconcliati ſubſint juriſdictioni inquiſitorum, cap. 4. ex n. 124. 127

Quod nobilis poteſt petere, ne ignobilis ſuo appelletur cognomine propter damnum ſuæ cognationi proveniens, & ſit congruum quemlibet vocari nomine patris, c. 4. ex num. 131. 128

Iudi, & Æthyopes, an admittantur in locis habentibus ſtatuta ſanguinis, c. 4. ex num. 140. 129

Quod teſtis interrogatus de auditu, & fama teneatur reſpondere, c. 4. num. 142. 129

Quaſi poſſeſſio clericatus an ſufficiat ad obtinendum in judicio poſſeſſorio beneficiali, non oſtenſo titulo, ordinem, & an poſſit conferri beneficium non ordinato, & à quo, cap. 5. ex num. 4. 131

Si capellaniæ fundator dixerit præſentetur ſacerſop vel capellanus an poſſit præſentari clericus in minoribus ordinibus conſtitutus, & plura de disjunctivis, cap. 5. ex num. 9. ibid.

Quod ſi annectatur preſbyterum verbis affirmativis ſufficiat præſentare ætate idoneum ad presbyteratum, cum verba non dicunt actum, ſed aptitudinem, quod ſecus erit, ſi verbis negativis, & quid operetur negativa, c. 5. ex num. 16. uſque ad num. 31. 131

Quando Epiſcopus poſſit mutare conditionem appoſitam, per fundatorem capellaniæ, cum conſenſu patroni, vel eo invito diſpenſare, c. 5. ex num. 28. 132

Quod beneficium capellaniæ conferatur, cum ſua qualitate amobilitatis, & dicatur perpetuum aptitudine, & poſſit reſignari, & permutari, etiam cum beneficiis perpetuis, & debeat publicari, & obliget ad horas canonicas recitandas, c. 6. ex num. 1. 133

Quod Capellani amobiles teneantur ad ſubſidii contributionem, ſive ſint titulares, ſive non, modo ipſi poſſideant bona certa, & determinata, pro capellania, quæ ſint in patrimonio Eccleſiæ, ſecus ſi per laicos poſſideantur, & ſint ſub eorum regimine, ut bona temporalia, ex quibus ſolvatur clericis pitança, c. 6. ex num. 16. 134

Quod Capellanus amobilis non juvetur regulis de annali, & triennali contra patronum (ſecus contrà alium) & quod poſſit eos removere, & quando non, c. 6. ex num. 19. 135

An poſſit quis obtinere plures capellanias, vel alia beneficia ſimplicia, & quid ſi ſint ſervitoria, & quid ſi ſint ſub eodem tecto, & ſi ſint inſufficientia, c. 7. ex n. 2. 137

An poſſit quis obtinere duo beneficia conformia, & an ſit neceſſaria diſpenſatio ad obtinendum duo beneficia difformia non repugnantia, ſub eodem tecto, c. 7. ex num. 15. 138

Quid operetur adjectio (paulo plus, minuſvè) vulgo, Poco mas amenos, quæ in contractibus, & aliis diſpoſitionibus ſolet apponi, & ad quam ſummam extendatur, c. 8. ex num. 4. 140

Suſpenſus ab officio an cenſeatur ſuſpenſus à beneficio, & quod non adimplens onus repellatur à commodo, & hæres ab hæreditate, niſi illi ſit damnoſa, & quod privatio ab officiis intelligatur de utilibus, ſecus de damnoſis, c. 8. ex n. 12. 140

Quod conditio reſidendi non ſit intelligenda in rigore mathematico, ſed moraliter, ita ut poſſit aliquantiſper abeſſe, & dicatur continuè reſidere, nec teſtis id deponens ſit falſus, eo quod aliquibus diebus abfuerit, cap. 8. ex n. 20. 141

Quod viſitator teneatur inquirere an capellanus dicat miſſas ſecundum obligationem, & an ſacerdos celebrans in altari vulgo, de anima teneatur dicere miſſam defunctorum, ut anima juvetur indulgentia vel ſufficiat dicere de feria, vel de Sancto, c. 8. ex num. 32. 141

Quomodo privetur capellania non adimplens juſſa fundatoris, c. 8. ex num. 36. ibid.

Quando cenſeatur appoſita reſidendi conditio, & quæ beneficia requirant reſidentiam de jure divino & poſitivo, & quod conſuetudine ſublata ſit reſidendi conditio in ſimplicibus, & de præſtimonialibus, c. 8. ex n. 43. 142

Conditio nequis recedat à loco in capellaniis, & aliis quando toleretur, & de conditione, ut maritus tali loco habitet, & an ea non obſtante poſſit abeſſe, cap. 8. ex n. 58. 143

Quod præſentatus à patrono teneatur præſentialiter comparere coram ordinario, ſi non proſequatur præſentationem, poſſit patronus alium præſentare, & an poſſit paciſci, quod intra certum tempus obtineat collationem, cap. 9. ex num. 1. 145

Quod Eccleſiaſticis patronis non per permittatur variare, & quare, & quid ſi ſint patroni clericus & laicus, & quod laici habentes individuum jus, cum clericis juventur eorum privilegiis, & de cautelis, ut patronus nequeat variare, & an poſſit cedere præſentationem vacaturam, c. 9. ex n. 8. 145

Capellaniæ fundator an poſſit diſponere, quod ſi patronus intra terminum juris non præſentaverit alius præſentet, vel quod habeat majus tempus ad præſentandum, & quid ſit patronatus Eccleſiæ Parochialis, & quod Epiſcopus poſſit admittere præſentationem termino juris tranſacto, & an currat tempus patronis à vacatione, vel notitia, & an currat durante lite ſuper jure patronatus, cap. 9. ex num. 25. 146

Durante lite an Epiſcopus poſſit inſtituere, vel œconomum ponere, & ſi Epiſcopus ſit collitigans, & ſuccumbat, quod irritetur ejus inſtitutio, & quod ſi alter ex patronis ſit, in quaſi poſſeſſione præſentandi non irritetur inſtitutio facta ad ejus præſentationem

tationem quamvis alter obtineat, & quid ſi ſit cauſa ſpolii, vel reſtitutionis in integrum. ibid.

Quod unus ex patronis poſſit alterum præſentare, non autem alter ſuæ præſentationi conſentire, ſecus in electo, niſi fiat per ſcrutinium ſecretum, ut per fabas. ibid.

Patronus an teneatur præſentare in termino edicti, vel poſſit, poſtea modo ſit intra tempus ei conceſſum à jure, & quod capacitas præſentandi ſufficiat tempore oppoſitionis, & an ſi qualitas ſuperveniat poſt id tempus admittatur, & excludat præſentatum, & an fœmina cui eſt jus quæſitum ad majoratum ob alienationem excludatur, per maſculum poſtea natum, c. 9. ex num. 46. 148

Quod beneficia conferre pertineat ad Epiſcopum de jure communi, & quod regulis Chancellariæ ſit limitata poteſtas ad menſes Martii, Junii, Septembris, & Decembris, & ſi petit alternativam habet ſex menſes, & quod omnibus menſibus providet in parochialibus, & an provideat beneficia tenuiſſima, & præſtimonia quæ non cadunt in reſervationem Pontificis, & omnia beneficia Sede Apoſtolica vacante, & de aliis, c. 10. ex n. 1. 151

Epiſcopus intra quod tempus teneatur conferre beneficia ad ejus collationem pertinentia, & quid in præbendis Eccleſiæ Cathedralis, & quid in beneficiis juris patronatus, & quod in his poſſit ſuperior præfigere terminum, & in elapſo providere, c. 10. ex num. 13. ibid.

Quod Romanus Pontifex confert privativè omnia beneficia exempta, & ei immediate ſubjecta, & beneficia, reſervata ſpecialiter, vel generaliter, & majora benencficia, ut ſunt Epiſcopatus, & quod ubicumque appoſuerit manus cauſat reſervationem beneficii, & præter ſupradicta concurrit cum ordinariis, ex quo eſt ordinarius totius orbis, c. 10. ex n. 18. ibid. 151

Quod inſtitutio facta ab Epiſcopo, ſpreta patroni præſentatione mero jure valeat, licet veniat irritanda patrono reclamante: & quando ſit ipſo jure nulla, & qualiter ſit procedendum per edicta ad collationem, & quo loco ſint ponenda, & per quod tempus, & quando requiratur ſpecifica citatio in perſona, cap. 10. ex num. 32. 152

Quod publicatis atteſtationibus admittatur quis ad probandum, ſi ante publicationem de probatione contraria per allegationes inſtrui non potuit, & quid in via executiva, ſi reus poſuerit exceptiones ſub involucro verborum ne [illegible] exceptionis, cap. [illegible] num. 48. 153

Quod citatio ad collationem beneficii debet fieri ad caput Epiſcopatus, & quando poſſit Epiſcopus conferre Capellaniam extra diœceſim, c. 10. ex num. 56. ibid.

Quod ſubſtracta una perſona quæ format proceſſum, remanet informis, & ita exceptio per quam perſona actoris, vel rei excluditur à proceſſu ſemper impedit proceſſum, & quod ſuper exceptione quæ impedit proceſſum de neceſſitate eſt pronunciandum, c. 10. ex n. 63. 154

Quod ad collationem Epiſcopus debet eſſe certus de morte, vel reſignatione, & an dubitans poſſit conferre ſub conditione, & an collatio ſit facienda in ſcriptis, & quod conveniat expedire literas ab ordinario ad probationem tituli quem tenetur beneficiatus exhibere, & quibus verbis utatur in collatione, c. 10. ex num. 70. ibid.

An conſuetudo Conſilii Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Toletani conferendi Capellaniam appellante eo contra quem fuit lata ſententia poſſit ſuſtineri, & quando executio ſit attentata, & quod durante lite bona deponantur, & ſi oporteat apud judicem qui poteſt ſe in depoſitarium eligere, c. 11. ex num. 1. 156

An delegatus cui fuit commiſſa cauſa Reverendiſſimo à Nuncio Apoſtolico, poſſit facere collationem Capellaniæ (eo in caſu quo ejus ſententia ſit exequenda) vel debeat remittere ordinario, & quid ſi ordinarius diſtulerit collationem facere, c. 10. ex num. 15. 157

De diviſione fructuum Capellaniæ inter novum Capellanum, & prædeceſſorem, vel ejus hæredes & an deducantur expenſæ factæ in bonis Capellaniæ. Et ſolvantur deteriorationes quæ provenerint culpa Capellani, c. 10. num. final. 158

DE



# ILDEPHONSI PEREZ DE LARA, TOLETANI, DE ANNIVERSARIIS ET CAPELLANIIS, LIBER PRIMUS.

## CAPUT I.

### De Cauſa & Effectu Anniverſarii, nominis etymologia, & definitione.

*SUMMARIUM.*

1 Sanctum eſt orare pro defunctis, cum veriſſimum ſit Purgatorium eſſe, ibique animas detentas in cruciatu, fidelium ſuffragiis juvari.

2 Fideles frequenter relinquunt redditus, ex quibus Miſſæ annuatim celebrentur, aliaque fiant pia opera.

3 Quod relinquitur in pios uſus, in remiſſionem peccatorum cenſetur relictum.

4 Animæ Purgatorij non ſunt in ſtatu orandi, ſecundum ſanctum Thomam, Abulenſem, & Navarrum.

5 Intellige, meritoriè, cum non ſint in ſtatu merendi.

6 Animæ Purgatorij habent deprecationem.

7 Animæ Purgatorij orant, ut per medium aliquod Divina providentia conſtitutum, ut per ſuffragia à pœnis liberentur.

8 Sanctus Gregorius inquit, animas Purgatorij à viventibus auxilium petere.

9 Animæ Purgatorij orant generaliter pro exiſtentibus in hac vita, & ſpecialiter pro ijs qui ſibi chari fuerunt.

10 Samuel & Moyſes mortui, orarunt pro populo.

11 Non ſequitur, animæ Purgatorij non ſunt in ſtatu merendi, ergo non poſſunt orare, quia nec ſancti qui ſunt in cœlo, eo ſunt ſtatu, & nihilominus orant pro nobis & animabus Purgatorij.

12 Licet Animæ purgatorij nos non poſſint audire, ſufficit conjecturare quod aliqui pro eis orent, vel relatione noſtri Angeli, ut ipſæ pro benefacientibus orent.

13 Intelligitur tex. in cap. in præſenti, 13. quæſt. 2.

14 Decedentes in peccato mortali, nullis orationibus juvari poſſunt.

15 Suffragia vivorum non juvant defunctos, quantum ad mutationem ſtatus fœlicitatis vel miſeriæ, bene tamen juvant quoad aliquid quod conſequitur ſtatum.

16 In die judicii fiet retributio æternæ gloriæ, vel æternæ miſeriæ, interim tamen juvantur animæ Purgatorii orationibus, tam vivorum, quàm ſanctorum exiſtentium in vita æterna.

17 Quia neſcimus qui ex mortuis egeant vel non, ſuffragiis, pro omnibus fidelibus ſunt facienda.

18 Optimum erit conſilium, quod ſit in orante habitualis intentio, ut ſi is pro quo orat, non egeat ſuffragiis, quia jam ſit beatus in cœlo, vel non, juvetur illis; quia damnatus, ad ipſum orantem revertatur oratio: & expendit. Pſal. 34.

19 Optime faciunt qui bona relinquunt pro ſuffragiis, ut eis juventur eorum animæ ad citius conſequendum Paradiſum.

20 Concilium Tridentinum hortatur Epiſcopos, ut curent, quod fidelium virorum ſuffragia accuratè fiant.

21 Licet in omnibus relictis piis curandum ſit implementum, præcipuè optandum eſt in acceptabili Miſſæ ſacrificio, cum magis eo juventur animæ.

22 Licet jubens, ut pro ejus anima dicantur Miſſæ, cum mortuus fuerit, aliquid mereatur erga Deum ratione illius affectus, & juſſionis, & quia relinquit Clericis, & Eccleſiæ ſtipendia pro Miſſis, non, tamen conſequitur illud quod provenit ex opere operato, quouſque ſacrificium Miſſæ celebretur.

23 Multum intereſt animabus, ut ſacrificia Miſſarum opere compleantur, quia nulla eſt Miſſa per quam ex opere operato non minuatur aliquo modo pœna Purgatorii.

24 Laudatur Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis de Sandoval, Archiepiſcopus



A

*Toletanus, ob vehementem curam, quam adhibet in implemento & executione piorum relictorum, in quo propriis non parcit expenſis.*

25 *Commemoratio eſt facienda eorum defunctorum, qui pro ſuarum animarum ſalute bona reliquerunt.*

26 *Memoria pia quæ pro Miſſis annuatim celebrandis, vel pro elargiendis eleemoſynis, aut aliis operibus piis, à fidelibus relinquitur, vocatur communiter anniverſarium.*

27 *Anniverſarium appellatur quod fit pro defuncto, anno revoluto, & verſo à die mortis ſuæ.*

28 *Traditur etymologia Anniverſarii.*

29 *Annus per duodecim Zodiaci ſigna à Solis curſu regulatur, & in ſe ipſum recurrit.*

30 *Annus per quatuor volvitur tempora.*

31 *Ægyptii annum ſignificabant per draconem, ſuam caudam mordentem.*

32 *Memoria celebranda per anni curſum, & verſo anno iterum, atque iterum, modo quo prius, recte dicitur anniverſarium.*

33 *Sanctus Thomas utitur hic vocabulo, Anniverſarium, dicens: Quod ſi Eccleſiæ aliquid relinquitur pro anniverſario, tenetur illud quotannis celebrare, & Plato eo utitur vocabulo.*

34 *Referuntur jura civilia, quæ utuntur hoc vocabulo Anniverſarium.*

35 *Jus canonicum vocat anniverſaria, quæ pro defunctis annuatim fiunt, de quibus Author intendit tractare.*

36 *Sancta Eccleſia quotannis celebrat anniverſarium pro omnibus fidelibus defunctis, poſt diem omnium Sanctorum.*

37 *Romanus Pontifex ſingulis annis celebrat in ſua Capella anniverſarium pro Papa immediatè prædefuncto, non pro aliis anteceſſoribus, quia credendum eſt quod jam non egeant ſuffragiis.*

38 *Extra Capellam Papæ fiunt etiam anniverſaria pro prædeceſſoribus Romanis Pontificibus.*

39 *In Eccleſiis Cathedralibus Epiſcopi celebrant anniverſarium pro Prælatis prædeceſſoribus.*

40 *Pro Regibus Hiſpaniæ fiunt ab Eccleſiis ſuorum Regnorum exequiæ cum magna pompa, & expenſis, quæ ſolvuntur à populis pro una vice tantum.*

41 *Reges Hiſpaniæ ſibi conſulunt relinquendo memorias Miſſarum, & anniverſaria, quæ celebrantur in Templis & Capellis ab eis erectis.*

42 *In Capella Regum veterum ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ fiunt anniverſaria, ſuffragia, à Regia Confraternitate ſanguinis Chriſti, ſimul cum Regalibus Capellanis, qui omnes Capellani & confratres debent eſſe puri ſanguinis, cum ea qualitas requiratur ſtatutis utriuſque congregationis, & Author eſt unus ex confratribus, & ejus genitor fuit.*

43 *Laudatur illuſtriſſimus Dominus D. Gabriel Paciecus, almæ Eccleſiæ Toletanæ Decanus, & Canonicus, & Regum modernorum major Capellanus, Marchionis de Villena filius.*

44 *In multis Hiſpaniæ civitatibus adſunt Regum ſepulchra, ubi anniverſaria celebrantur, quia priſci Reges, huc illucque, ſibi ſepulchra parabant, quoſque prudentiſſimus Philippus Secundus Rex admirandum templum Divi Laurentii ædificavit.*

45 *Archiepiſcopi Toletani aſſuevere conſtruere templa & collegia, ubi ſepeliuntur, & ſuffragiis juvantur.*

46 *Illuſtriſſimus dominus Cardinalis de Sandoual, aſſumpſit pro ſepulchro ſacrum Ærarium ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ, & ejus electio laudatur.*

47 *Referuntur ſepulchra excellentiſſimi Ducis de Lerma, & monaſteria ab eo ſuis expenſis fundata, & numeris ſequentibus.*

48 *A pari procedunt ædificatio & reparatio.*

49 *Limita quando ſit refectio operis totaliter diruti, ſive mutetur priſtina rei facies ſive retineatur.*

50 *Templa ædificare, eſt [illegible]gnum prædeſtinationis.*

51 *Refertur ſepulchrum Marchionum de Villena, electum miraculo quodam præambulo.*

52 *Congruum & Religioni conſentaneum eſt hujuſmodi ſepulchra honorabilia conſtruere, cum Chriſtus Redemptor noſter, licèt acerrimam & vilem mortem paſſus fuerit, voluit honorificè ſepeliri.*

53 *Devota ſepultura bonæ vitæ & fidei affert teſtimonium, cum videantur deponere corpora, ut expectent reſurrectionem quam credunt.*

54 *De regibus Ægyptiis fertur forſan fabricaſſe Pyramides illas pro ſepulchris ſuorum cadaverum, quod hallucinaverint carnis reſurrectionem.*

55 *Sepulchrum David fuit ſumptuoſum, & magnæ divitiæ ei impoſitæ, quibus poſtea Hircanus Pontifex in Hieruſalem redemit civitatem obſeſſam exercitu Antiochi, & Rex Herodes aliam magnam ſummam, ex ſepulchro percepit.*

56 *Quòd impenditur corpori humando, non eſt præſidium ſalutis, ſed humanitatis officium.*

57 *Ita ſurrecturus eſt is cujus oſſa ſunt exiccata, & in pulverem redacta, ſicut cujus cadaver eſt in amplo ſepulchro conſervatus.*

58 *In eo ſtatu eſt vivendum, in quo & liceat mori.*

*SANCTA ergo & ſalubris eſt co- 1
gitatio pro defunctis exorare, ut à
peccatis ſolvantur:* Conſequentia ve-
ra & legitima eſt, quæ ſumitur ex
dictis *lib. 2. Macha. c. 12.* cum-
que veriſſimum & abſque dubio ſit Purgatorium
eſſe, ibique animas detentas fidelium ſuffragiis
juvari, ut conſtat *Tobiæ 4.* & ex multis ſacræ
Scripturæ locis congeſtis à Caniſio *in Catechiſmo*,
*cap. de pœnit ſacrament. q. 9.* An ſit poſt mortem
ſatisfactioni locus à Joanne Ekio *de Purgatorio*,
& noviſſimè à Doct. Carrillo *in ſua Explicatione
bullæ defunctorum c. 1.* & habetur *in cap. qualis*,
*& in c. qui in aliud ſæculum*, 25. d. Tridentina
Synodus *ſeſſ. 6. de juſtificatione, canone 30. &
ſeſſion. 25. in prin.* Et cognoſcendo fideles fre- 2
quenter relinquunt in ſuis teſtamentis bona, ut
ex eorum reditibus miſſæ celebrentur annuatim,
aliaque fiant pia opera ad remiſſionem ſuorum
peccatorum. Quod enim relinquitur in pios uſus, 3
in remiſſionem peccatorum cenſetur relictam,
Maſcard. *de probat. conclu. 1171. nu. 3.*

Et cum animæ purgatorii non ſint in ſtatu oran- 4
di, ut tenet S. Tho. 2. 2. *q. 83. ad tertium*,
quem ſequitur Abulenſis ſuper Matthæum *c. 6. q.
86.* & Navar. *de oratione c. 20. nn. 9.* Saltim me- 5
ritoriè, cum non ſint in ſtatu merendi, licèt
deprecationem habeant, ut tradit Greg. de Valent. 6
*3. tom. diſputat. 6. q. 2. de oratione, punct. 6.*
ubi *verſi. 3.* inquit, animas Purgatorii pro ſe qui- 7
dem orare, ut ſcilicet per medium aliquod divina
providentia conſtitutum, ut per ſuffragia, à pœ-
nis liberentur: ita docet Alexand. Alenſis *4. par.
quæſt. 91. memb. 4.* & probat ex S. Greg. *lib. 4.* 8
*Dialogorum*: ubi memorat animas Purgatorii,
etiam à viventibus auxilium petere, & poſteà
cum Medina *de oratione qu. 5.* citans etiam Ga- 9
brielem,



brielem, tenet animas Purgatorii orare, tum
generatim pro fidelibus, tum in ſpecie pro his
qui ipſis peculiariter in hac vita chari fuerunt. Pro
10 quo facit, quòd Samuel defunctus antequam cœ-
lum intraret, oravit pro populo, ut habetur
Machabæorum *2. c. ult.* Et de Moyſe & Samuele
legitur Hieremi[illegible] *Et dixit Dominus ad me:
Si ſteterint Moyſes, & Samuel coram me, non eſt
anima mea ad populum iſtum.*

Et licèt Valentia referat S. Thomam, & Abulen-
ſem contrarium tenentes, tamen hoc dicit non eſſe
improbabile, quod etiam tenet Parladorius *3. p.
differentia 25.* & Medina *de oratione tract. 6. quæſt.*
11 *4. dubio penul.* Ubi quod non obſtat, quòd animæ
Purgatorij non ſint in ſtatu merendi, quia nec
ſancti, qui ſunt in cœlo in eo ſunt ſtatu: & quòd
licèt animæ Purgatorij nos non poſſint audire
12 (ut ipſe inquit) ſufficit conjectare, quod aliqui
pro eis orabunt, ut etiam illæ pro beneficentibus
orent, vel relatione noſtri Angeli.

13 Neque obſtat textus *in cap. in præſenti 13. quæſt.
2.* ubi referuntur hæc verba: *in præſenti ſæculo ſci-
mus, ſive orationibus, ſive conſiliis invicem poſſe nos
coadjuvari, cum autem ante tribunal Chriſti veneri-
mus, non Iob, non Daniel, nec Noë rogare poſſe pro
quoquam, ſed unumquemq; portare onus ſuum:* nam
reſpondetur cum gloſſa ibi, quod intelligitur tex-
tus, ſi mortui deceſſerunt in peccato mortali, quam
expoſitionem ſequitur, & eleganter declarat ibi
14 Cardinalis Turrecremata, dicens eſſe intellectum
illius textus, quòd orationes vivorum, & ſancto-
rum non proſunt mortuis impœnitentibus, quoni-
am tales permanent, quales abhinc deceſſerunt,
15 Eccleſiaſtes *c. 11.* & dicit cum divo Thoma *4. diſ-
tinctione*, quod ſuffragia vivorum non juvant de-
functos, quantum ad mutationem ſtatus fœlicita-
tis, vel miſeriæ: bene autem juvant quoad ali-
quid, quod conſequitur ſtatum gloriæ, ſcilicet,
quia in Purgatorio retardatur animarum progreſſus
ab ultima retributione, quamvis ſint in ſecurita-
16 te, & ſic inquit Turrecremata *d. c.* præſenti,
intelligendum pro tempore judicij univerſalis, ubi
ultima fiet retributio æternæ gloriæ, vel æternæ
miſeriæ, in qua quilibet recipiet ſolum ſecundum
quod in corpore geſſit. Sed quòd interim animæ
Purgatorij juvari poſſunt orationibus, tàm vivo-
rum, quàm ſanctorum exiſtentium in vita æterna.

Sed cum animæ Purgatorij ſint in ſecuritate,
quid eſt, quod ſancta Eccleſia in miſſa defuncto-
rum ita petit, *Libera animas omnium fidelium de-
functorum de pœnis inferni, & de profundo lacu,
libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas Tartarus,
ne cadant in obſcurum*, & Medina Complutenſis
*de oratione tract. 6. quæſt. 6.* nititur explicare.
Placet autem, quod retulit mihi vir doctiſſimus
audiviſſe Romæ à Cardinali Baronio, & aliis,
nempè in primitiva Eccleſia aſſuetum fuiſſe, poſt-
quam infirmi morientes accepiſſent viaticum, &
ſanctum oleum, ſtatim dicere Miſſam pro eis
moribundis, quod & hodie ſæpiſſimè fit, atque
ita ea utimur oratione, & eadem oratio Deo
placet cum ſit pro jam defunctis exiſtentibus in
Purgatorio, ſecuri quemadmodum ei fuerunt
gratæ orationes ſanctorum patrum petentium ſuum
adventum, licet jam decreviſſet carnem ſumere,
& tempus ut dicit Medina ubi ſupra.

17 Et quia neſcimus, qui ex mortuis egeant, vel
non, ſuffragiis, pro omnibus fidelibus ſunt fa-
cienda, ut dicit textus *in dicto cap. non æſtimemus
13. quæſt. 2.* Optimum tamen erit conſilium, quod 18
ſit in orante habitualis intentio, ut ſi is pro quo
orat non egeat ſuffragiis, quia jam ſit beatus in
cœlo, vel non juvetur illis, quia damnatus, ad
ipſum orantem revertatur, juxta illud *Pſalmi 34.
Oratio mea in ſinu meo convertetur.* Et *Lucæ 10.
Si non fuerit filius pacis, pax veſtra ad vos reverte-
tetur*, tradit Gabriel. *in quarto, lectione 58.* Au-
guſtinus *ſermone 44. ad fratres in eremo.*

Cùm itaque animæ Purgatorii viventium juven- 19
tur ſuffragiis, optimè quidem faciunt qui anima-
bus ſuis ita conſulunt, ut ex bonis quæ habent
talia fienda conſtituant, quod eis proſit ad citius
conſequendum paradiſum, & ut eis facilior adi-
tus patere poſſit ad Regna Cœlorum, quod ut
conſequantur, ſancta Tridentina Synodus horta- 20
tur Epiſcopos, ut curent quod fidelium virorum
ſuffragia, ut ſacrificia Miſſarum, orationes, ele-
emoſynæ, aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus
pro aliis fidelibus defunctis fieri conſueverunt, ſe-
cundum Eccleſiæ inſtituta, piè & devotè fiant,
& quæ pro illis ex teſtatorum fundationibus, vel
alia ratione debentur, non perfunctoriè, ſed à
Sacerdotibus, & aliis, qui hoc præſtare tenentur,
diligenter & accuratè perſolvantur, & quia in
omiſſione, quam habent executores, qui teſta-
mentis, aut aliis diſpoſitionibus ad talium imple-
mentum relinquuntur: ſeu hi ad quos de jure
pertinet eorum executio, non leve, ſeu mediocre
damnum fidelium animabus infertur, quæ reatu
pœnæ detinentur, admonitos eos eſſe vellem,
prout & ſancta Synodus admonet, quod ſummo-
pere curent implere juſſa pia defunctorum. Et ſi 21
in omnibus hoc optandum ſit: maxime autem in
celebrandis Miſſis: tùm quia & ſancta Eccleſia
*in d. ſeſſio. 25. Concilii Tridentin.* teſtatur animas
fidelium potiſſimè juvari acceptabili Miſſæ ſacri-
ficio: tùm etiam quia etſi non poſſit negari quod
jubens, ut pro ſua anima & aliis fidelium anima- 22
bus dicantur Miſſæ, dum primum mortuus fuerit,
quòd bona fide adimplendum eſſe credit: mere-
atur erga Deum ratione illius affectus & juſſionis:
& quia relinquit clericis & Eccleſiæ ſtipendia pro
Miſſis celebrandis: non tamen conſequetur illud
plus, quod provenit ex opere operato, quouſque
ſacrificium Miſſæ celebretur. Sicque multum in- 23
tereſt animabus hujuſmodi ſacrificia opere com-
pleantur, ut tradit Dominicus Soto *in 4. ſenten-
tiarum, diſt. 45. quæſt. 2. art. 4. verſ. Reſpondet
bifariam*: quia nulla eſt Miſſa, per quam ex opere
operato non minuatur aliquo modo pœna purga-
torii, ſecundum Navarrum *conſilio 11.* incipienti,
an gratia, *numero 2. de privilegiis.* Quare
laudandus eſt Illuſtriſſimus & reverendiſſi-
mus Dominicus Cardinalis de Sandoval Ar- 24
chiepiſcopus Toletanus, qui tam vehementem
curam in hoc adhibere voluit, ut ſuis expenſis
creaverit novum in ſua Archiepiſcopali Audientia
officiũ promotoris fiſcalis, (ultra ordinarium pro-
motorem omnium cauſarum) qui ſolum in hoc
ſumma ope nititur, ut relicta pia impleantur,
quod quantum commodi afferat fidelium anima-
bus, ſatis compertum eſt, ſiquidem in dies
mediante exacta & officioſa promotoris cura, cla-
reſcunt memoriæ oblitæ jam, vel deobſcuratæ
malitia executorum, vel ſolvere debentium tri-
buta, ex quibus ſuffragia celebrantur, & reno-
vatur commemoratio defunctorum: qui pro
ſuarum animarum ſalute ea reliquerunt, quod 25

commendat Concil. Trident. *ſeſ.* 25. *c.* 4. *de reform.*

26 Hæc autem memoria pia, quæ pro Miſſis annuatim celebrandis à fidelibus relinquitur, vel pro elargiendis eleemoſynis, aut aliis operibus piis vocatur communiter anniverſarium, textus cum
27 gloſſa *in cap. cum creatura, de celebratione Miſſarum*, ubi anniverſarium appellatur quod fit pro defuncto anno revoluto à die mortis ſuæ. Eandem etymologiam tradit Calepinus *in dictionario*, *verb. Anniverſarium*, ibi: *Quòd ſingulis annis ſtatuto tempore*
28 *revertitur.* Dicitur enim ab anno, ut tradit Mando-
29 ſius, *de annalibus*, *numero* 40. Qui cum in ſeipſum recurrat à ſoliſque curſu per duodecim Zodiaci ſigna reguletur: de quo Virgilius 3. *Æneid.*

*Intereà magnum Sol circumvolvitur annum.*

Idem *in Georgic. lib.* 2.

30 *Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.*

31 Et textus *in cap.* 1. 76. *diſtin.* ubi ut ſicut annus per quatuor volvitur tempora. Quare Ægyptii an-
32 num ſignificabant per draconem ſuam caudam mordentem, Mandoſ. *vbi ſup. num.* 1. & 2. fit ut memoria celebranda per anni curſum, & verſo anno iterum atque iterum, modo quo prius, rectè dicatur anniverſarium: & ita eo utitur vo-
33 cabulo ſanctus Thom. *in* 4. *diſt.* 25. *qu.* 3. *artic.* 2. *quæſt.* 2. *ad primum*, ubi quod ſi Eccleſiæ aliquid relinquitur cum devotione pro Anniverſario, tenetur illud quotannis celebrare. Et Plato *in Menexeno*, *in fin.* ibi: *Ipſis verò morte ſublatis anniverſarium cultum præſtare nunquam intermittit*

34 Et ſic *l.* 1. *C. de collat. donatorum*, *lib.* 10. vocat anniverſarium, Canonem, ſive penſitationem quotannis ſolvendam vbi gloſſa, inquit, ex quo colligo illum eſſe Canonem anniverſarium, qui ſingulis annis debetur: & itidem, *l. Judæorum primat. C. de Iudæis*, ibi: *Anniverſarium Canonem de Synagogis omnibus*, *Palatinis compellentibus exigant*: & ſic Iure Conſultus, Scevola, *l. liberto* §. *finali*, *ff. de annuis legatis*, vocat anniverſaria, ſingulis annis præſtanda ex redditibus fundi, ut explicat gloſſa ibi, quam ſequitur Repuffus, *l. anniculus.* 134. *verſic. anniverſaria*, *ff. de verborum ſignificatione*, & ſic Romanus Pontifex, *cap. cum*
35 *inter vos.* 25. *de verborum ſignificatione*, & *cap. finali*, *de teſtamentis*, & *c. unico*, *de Clericis non reſid. libr.* 6. vocat anniverſaria, quæ pro defunctis annuatim fiunt, de quibus eſt noſtrum intentum tractare, & utinam auxiliante Deo finiamus ad ejus gloriam, ſuæque Genitricis Virginis Mariæ, & fidelium animarum commodum, prout ſperamus.

36 Et in primis ſancta Eccleſia quotannis celebrat anniverſarium ſecunda die Menſis Novembris, pro omnibus fidelibus defunctis, poſt diem omnium Sanctorum, Selva *de beneficio.* 1. *par. quæſt.* 5. *num.* 92. & tradit Mandoſius *de annalibus*, *num.* 41. ubi hoc dicit maximam pietatem, & ſalubre eſſe conſilium Eccleſiæ, Guillermus Durandus *in Rationali divinorum Officiorum*, *libr.* 7. *c.* 1. *num.* 1. & 2. qui allegat textum *in c. juſſum*, *de conſecration. diſtinct.* 1.

37 Sic & Romanus Pontifex ſingulis annis celebrat anniverſarium in ſua Capella pro papa prædefuncto, tradit Gratianus *deciſione* 22. *numer.* 18. ubi *numer.* 19. inquit, ſolùm celebrari pro Papa immediatè mortuo, non pro aliis anteceſſoribus:
38 quia credendum eſt, quod jam non egeant ſuffragiis, licèt extra Capellam papæ pro eis fiant, & Mandoſius *de annalibus*, *num.* 41. *verſicul. centenſimus trigeſimus ſextus*: ubi *verſic. ſequenti*, quod pro Cardinalibus fit anniverſarium in Capella Rom. Pontificis.

Sic in Eccleſiis Cathedralibus ab Epiſcopis cele- 39
bratur anniverſarium pro Prælatis prædeceſſoribus de conſuetudine: teſtatur Cerola *in praxi Epiſcopali*, 1. *par. verbo*, *funus* [illegible], *verſic. Quinto anniverſarium.*

Pro Regibus autem non fiunt ab Eccleſiis 40
Regni anniverſaria, ſed ſolum exequiæ, cum magna pompa, & expenſis, quæ ſolvuntur à populis, tradit Cerola *ubi ſupra*, *verſiculo* 10. & ſic vidi ſervari in Eccleſia Toletana.

Sed noſtræ Hiſpaniæ Reges Catholici, ſibi 41
conſulunt relinquendo memorias Miſſarum, & anniverſaria, quæ celebrantur in Templis & Capellis ab eis erectis, ut videre eſt in Capella Regum
antiquorum ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ, ubi adeſt 42
magnus numerus Capellanorum, cum majori Capellano, & in qua nobilis, & Regia confraternitas ſanguinis Chriſti celebrat omnibus diebus Dominicis Miſſam paſſionis junctis confratribus cum candelis ceræ rubeæ, & in diebus omnium Sanctorum, & fidelium defunctorum Capellani, & confratres proceſſionaliter aſcendunt ad altare majus, cujus lateribus adſunt Reges ſepulti, & canitur Reſponſum cum aſperſione aquæ benedictæ, qui omnes tàm Capellani, quàm confratres ſunt puri ſanguinis, cum iſta qualitas requiratur ſtatutis Capellæ, & confraternitatis, cujus & genitor meus fuit; ego ad præſens ſum confrater. Et in eadem alma Eccleſia adeſt altera inſignis, & ditiſſima Capella, Regum modernorum nuncupata, ad differentiam antiquorum: ubi multo, plures, & ditiores Capellani adſiſtunt cum illu-
ſtriſſimo domino D. Gabriele pacieco, Capellano 43
majore, Decano & Canonico illius ſanctæ Eccleſiæ, Marchionis de Villena filio, qui ut generis ſplendore capitulum almæ Eccleſiæ, & Regiam Capellam ornat, ita & eximia prudentia, mirificè & acceptè utrumque gubernat.

Sic Granatæ, & in aliis multis Hiſpaniæ civitati- 44
bus adſunt ſepulchra Regum priſcorum, ubi anniverſaria ſuffragia pro eorum animabus fiunt: priſci namque Reges, huc illúcque ſibi ſepulcra parabant, quouſque prudentiſſimus ille Philippus Secundus admirandum inter mirabilia mundi Divi Laurentii Templum pro ſepulcro Hiſpaniæ Regum in Scoriali ædificavit, ubi ejus corpus conditur, & anniverſaria incredibili apparatu pro divini cultus veneratione celebrantur.

Sic Archiepiſcopi Toletani aſſuevere conſtruere
templa, & collegia ampla, ubi & ſepeliuntur, & 45
ſuffragiis juvantur.

Sic illuſtriſſimus dominus Cardinalis de Sandoval
Archiepiſcopus Toletanus, religione plenus ſibi 46
parat pro ſepulchro ſacrum ærarium ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ, locus certè terribilis, & inter fideles famigeratus, pro imagine Dei Genitricis Mariæ, vulgo del Sagrario, quæ ibi reconditur, quem admirabili ædificio ampliat, & cum tam eminens ſit ſepulchrum, quod à nullo Eccleſiæ Antiſtite fuiſſet electum, mirabantur devoti & ingenioſi Toletani, nunc præ gaudio fatentur divinitùs fuiſſe reſervatum meritiſſimo huic Prælato, ob ſpcendentem ejus charitatem, qua in dies theſaurizat in cælis. Et circa hunc Sacrarii locum, porta ſolum intermedia adeſt ſepulchrum illuſtriſſimi domini domini Santii de Rojas Archiepiſcopi Toletani, de



de nobiliſſima progenie ejuſdem Illuſtriſſimi domini Cardinalis de Sandoval, ubi cum magno Capellanorum numero quotidie ſuffragia celebrantur.

47 Sic Excellentiſſimus Dux Lermæ, ſibi & ſucceſſoribus pro ſepulchro paravit illud famigeratum templum Val[illegible]anum Divi Pauli Ordinis Dominicani, cum amplâ dotatione redditŭum pro ſuffragiis perpetuo celebrandis, cum prius ſepulchrum antiquiſſimum eſſet ſuæ nobiliſſimæ familiæ templum Monaſterii de Trianos ejuſdem Ordinis, diſtans unum milliare à Villa de Sahagum: cujus Principis tanta eſt erga Deum religio, ut & aliis multis locis templa, quæ ſequuntur in Dei honorem fundaverit.

In Pinciana civitate templum Monaſterii S. Mariæ de Bethleem Ordinis divi Bernardi, quod pingui dotatione illuſtravit, & reparavit antiquum jus patronatus eo in Monaſterio ſibi competens. Et ex Ovidio.

*Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri.*

48 A pari enim judicantur ædificatio, & reparatio, *l.* 3. §. *hoc autem. ff. de itinere actuque privato. l.* 1. *in fine ff. de mortuo inferendo & ſepulchro ædificando*, in illis verbis: *Ædificare autem non ſolùm qui novum opus molitur intelligendus eſt*, *verum is quoque qui vult reficere.* Et eſt ſine dubio quando fit refectio antiqui operis totaliter diruti, ut erat templum ſanctæ Mariæ de Bethleem: ita tenet additio marginalis, *dicta leg.* 3. & *eſt text. in l. ſi ita.* §. *fin. de legat.* 1. Quod procedit, ſive mutetur
49 priſtina rei facies, ſive retineatur, ut ex aliis reſolvit Joannes Garcia *de expenſis*, *cap.* 1. *numer.* 8 & *cap.* 14. *num.* 11. quem ſequitur Barboſa, *leg. divortio.* §. *fin.* 1. *part. num.* 30. *ff. ſolut. matrim.*

In eadem pinciana civitate, Monaſterium Diſcalceatorum Franciſcani Ordinis.

In villa de Ampudia, Monaſterium Diſcalceatorum ejuſdem Ordinis, & ad eandem villam de Ampudia tranſtulit Eccleſiam Collegialem de Uſillos, quam obtinuit permiſſu potentiſſimi domini noſtri Regis philippi Tertii.

In villa de Lerma, Eccleſiam Collegialem Abbatis, & Canonicorum, aliorumque Præbendatorum, & Miniſtrorum congruenter dotatam.

In eadem villa Lermæ, duo Monaſteria Monialium Diſcalceatarum Franciſcani, & Dominicani Ordinis.

In villa Deniæ, Monaſterium diſcalceatorum ejuſdem Ordinis.

In eadem villa Deniæ, Monaſterium Monialium Recollectarum Auguſtiniani Ordinis.

In villa de Jabea, Monaſterium Diſcalceatorum Montis Carmeli.

In villa de Madrid, Monaſterium Recollectorum ſanctiſſimæ Trinitatis, ſed & alia ædificat.

Et non omittam referre quòd dum eſſem advocatus Toleti acceſſerunt ad me Monachi Recollecti Ordinis ſanctiſſimæ Trinitatis, ut per libellum peterem in conſilio domini Cardinalis Archiepiſcopi ſibi licentiam indulgeri ad ſiſtendum in oppido de Madrid, in Hoſpitali ſancti Laurentii, loco quidem exiguo & humili, contiguo portæ Toletanæ: & cùm eis negaretur licentia, cum anguſtia receſſerunt devoti Religioſi, mihique inſtarunt, ut cum viderem tempus iterato licentiam in Conſilio peterem, & poſtea aliquibus epiſtolis petiti memorem me fecerunt. Sed omnipotens Deus, qui nunquam deſpexit preces humilium, ut, habetur *Eccleſiaſtici cap.* 35. & *judith.* 6. & in cujus manu eſt cor principis, & quo vult inclinat illud, *Proverb. c.* 21. & *l.* 3. *tit.* 2. *partita* 2. cor excellentiſſimi Ducis (paratum ad ſimilia pietatis opera peragenda) tetigit, qui eis ædificavit templum, domumque monaſticam cum hortis, pro quorum meliori commoditate ſcidit partem ſuæ Quintæ, ſive Grangæ ibi contiguæ, quam Religioſis tradidit, & ingreſſu Religioſorum proceſſioni adſtitit, cui ego interfui, dum Prætoris vicem tenerem, & ut Religioſi antidora excellentiſſimo Duci referrent grato animo, onus perpetuum ſibi impoſuerunt (ultra Miſſarum celebrationes) quod continuè die, noctuque ſine intermiſſione unus ex Monachis aſſiſtat orando in templo pro excellentiſſimo Duce, ſucceſſoribuſque ejus, quod ut commodè fiat, debent eo in Monaſterio adeſſe vinginti quatuor Religioſi ad minus, ut ſinguli Monachi, ſingulis horis orationi deſtinentur. Fidelis ergo ſervus, & prudens poteſt Dux appellari, ſiquidem à Deo accepta, ita expendit, ut ei in reddendis rationibus ad futuram
gloriam proſit. Signum namque prædeſtinationis 50
eſt templa ædificare, ut ſentit Ripa de vita beatæ Thereſiæ, *lib.* 2. *cap.* 12. & conducit quod legitur de Zorobabel, & Jeſu filio Joſedec, & Simone Oniæ filio, qui ædificarunt templa, & gloriam adepti ſunt *Eccleſiaſtici cap.* 49. & 50. & melius illud *Lucæ capit.* 7. *Dignus eſt ut hoc illi præſtes*, *diligit enim gentem noſtram*, & *Synagogam ipſe ædificavit nobis.* Et ſic fœlices appellandi ſunt templa ædificantes, ut ex aliis tradit Spino, in ſpeculo teſtamentorum *gloſ.* 13. *nu.* 14. Et ut fœlicitatem, ita & acceptionem, quam erga Regem, & Regnum habet ob dulcedinem, & veritatem ſuæ locutionis meretur: quare in eo invenitur illud *Proverbiorum cap.* 22. *Qui diligit cordis munditiam*, *propter gratiam labiorum ſuorum habebit amicum Regem.* Multa de hoc Principe recenſere poſſem, ſed cum noſtri aſſumpti ſolum ſit, hujuſmodi pia opera, & ſacrificia referre, poſſumus dicere:

*Ducis arma canant alii*, *nos Ducis aras.*

Sic excellentiſſima familia Marchionum de Vil- 51
lena, miraculo quodam præambulo funeratur in templo Virginis Mariæ, vulgò nuncupato *del Parral*, Ordinis Divi Hieronymi, ſito extra muros Segovienſis civitatis, ubi non ſolùm anniverſaria pro ſuis defunctis, ſed & diaria ſacrificia fiunt, conſtruxit, & ditavit templum, & Monaſterium excellentiſſimus ille memorandus Dux, & Marchio dominus D. Ioannes Paciecus Ordinis ſancti Iacobi de Spata Magiſter, ea motus cauſa, quod dum eo loco, tunc eremo & campeſtri ſolus exiiſſet pro habendo certamine cum nobili viro, qui eum reptaverat adverſarius, nobilitatis & fidei oblitus, non itidem ut debuit, ſolus, imò duobus aliis armigeris aſſociatus, Magiſtro obviam occurrit, qui cum cerneret imminens periculum ſalutem corporis, & animæ Beatiſſimæ Virgini ex corde devotè, & anxiè commendavit, & increpans adverſarios proditionis, irruens in eos ita magnanimiter, & fortiter pugnavit, ut duobus lethaliter vulneratis, tertius aufugerit: quod videns nobilis Magiſter, Chriſtianè & humiliter, noluit victoriam ſuæ humanæ fortitudini tribuere, ſed Deiparæ Virginis auxilio. Et ut grati animi teſtimonium Dei Genitrici præberet, antequam à pugnæ & certaminis loco receſſiſſet, promiſit templum in ho-

norem Virginis ædificare, ibique corpus ſuum ſepulturæ tradere, ubi veriſimiliter remaneret occiſus, niſi beatiſſima Virgo auxilium impendiſſet, quod expenſis non parcens, magno ſumptu adimplere non diſtulit, relinquens honorabile ſuæ poſteritati ſepulchrum.

Et quam congruum religionique conſentaneum
52 ſit hujuſmodi honorabilia ſepulchra appetere, & conſtruere ſatis comperimus. Siquidem Chriſtus Redemptor noſter, cujus actio eſt noſtra inſtructio, licet vilem & acerrimam mortem paſſus fuerit, quia ipſe voluit, tamen voluit honorificè ſepeliri, ut habetur *Ioannis, cap.* 19. *Matthæi c.* 27. *Lucæ.* 23. quod vaticinaverat prius Iſaias, *c*: 11. ibi: *& erit ſepulchrum ejus glorioſum;* quod ponderat Rolandus *conſ.* 20. *num.* 28. *volum.* 3. Ubi quod
53 devota ſepultura quodammodo affert bonæ vitæ, & fidei teſtimonium, cum videantur deponere corpora, ut expectent reſurrectionem, quam credunt, text. eſt qui hoc ſingulariter probat *in cap. non æſtimemus:* 13. *quæſtione.* 2. in illis verbis. *Et ſi hæc faciunt qui carnis reſurrectionem non credunt, quanto magis debent facere, qui credunt, ut corpori mortuo, ſed tamen reſurrecturo, & in æternitate manſuro impenſum hujuſmodi ſit, etiam quodammodo ejuſdem fidei teſtimonium.*

Et ſic fertur de illis Regibus Ægyptiis forſan
54 fabricaſſe Pyramides illas pro ſepulchris ſuorum cadaverum, hallucinãtes carnis reſurrectionem: &
55 Ioſephus *de antiquitatibus judaicis, libr.* 7. refert ſepulchrum David ſumptuoſum fuiſſe, & quod ejus filius Salomon tot divitias ſepulchro impoſuit, ut tranſactis mille & trecentis annis, dum eſſet circumdata civitas ab Antiocho magno exercitu, Hircanus Pontifex in Hieruſalem, ut pecunia redimeret civitatem, aperuit ſepulchrum & invenit tria millia talenta in moneta aurea: & quod poſtea Rex Herodes aliam magnam ſummam ex eodem ſepulchro percepit.

Et tamen veriſſimum eſt, quòdquidquid impen-
56 ditur corpori humando non eſt præſidium ſalutis, ſed humanitatis officium, ſecundùm affectum, quo nemo unquam carnem ſuam odio habuit, *dict. c. non æſtimemus*, 13. *quæſtione.* 2. & magis ſunt vivorum ſolatia, quam ſubſidia mortuorum, Selva *de beneficio* 1. *par. quæſt.* 5. *numer.* 93. & ſunt verba text. *in cap. animæ.* 13. *q.* 2. quem ipſe allegat.

57 Et ita ſurrecturus eſt is cujus oſſa ſunt exiccata, & in pulverem redacta, ſicut cujus cadaver eſt in amplo ſepulchro conſervatum, ut habetur *Ezechielis cap.* 37. ibi: *Vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis: Oſſa arida, audite verbum Domini, hæc dicit Dominus Deus oſsibus his: Ecce ego intromittam ſpiritum & vivetis, & dabo ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem: & dabo vobis ſpiritum & vivetis, & ſcietis, quia ego Dominus.* Et iterum *in eodem cap.* dicitur: *Ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris, & ſcietis, quia ego Dominus, cum aperuero ſepulchra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris, Populc meus, & dedero Spiritum meum in vobis, & vixeritis.*

Et ſicut non prodeſt impio ſepultura pretioſa, & ſpecioſa, ita non obeſt pio, vilis, aut nulla, *c. animæ.* 13 *q.* 2. In eo ergo ſtatu eſt vivendum, in quo
58 & liceat mori, ut in domino moriamur, & ſic beati ſimus: Nam quid profuit pompa funeralis in conſpectu hominum avaro diviti exhibita, qui in inferno ſepultus fuit, at ulcerato pauperi defuncto Angeli adſtiterunt, & in ſinu Abrahæ collocatus fuit, ut habetur Lucæ capite 16.

## CAPUT II.

### An fundus relictus, ut ex ejus reditu anniverſarium celebretur, poſſit alienari? & an afficiatur onere, ita ut emptor, ſeu alter novus poſſeſſor teneatur ad onera anniverſarii?

*SUMMARIUM.*

1 *Expenditur lex nihil proponi de leg.* 1. *pro parte affirmativa, ut fundus poſſit alienari.*
2 *Verba illa, ſalva tamen cauſa legati, poſita in d. l. nihil proponi, importat fundum tranſire in emptorem cum onere.*
3 *Expenditur pro parte negativa, l. fin. §. fin. ff. de contrah. empt.*
4 *Verus intellectus d. §. fin. omiſſis pluribus eſt, quod fundus fuit adjectus cauſa demonſtrandæ ſolutionis, uſque ad n.* 10.
5 *In dubio, præſumitur quod verbum ſtet demonſtrativè, & hoc procedit in omni materia.*
6 *Si in dict. §. fin. fundus adjectus fuiſſet diſpoſitivè, & non demonſtrativè, afficeretur onere.*
7 *Quemadmodum inſerta perſona ſtipulationi, non ſemper facit eam perſonalem, ita res inſerta promiſſioni, non facit eam realem.*
8 *Emens domum ab eo, qui promiſerat vicino non aperire feneſtram in pariete, poterit aperire, quia obligatio perſonalis, non realis, fuit contracta.*
9 *Contrarium eſſet, ſi ratio eſſet expreſſa in ſervitutis conſtitutione, quia tunc jus reale eſſet conſtitutum.*
10 *Ubi annua præſtatio eſt promiſſa occaſione rei, ſeu fundi, citra tamen aſſignationem ipſius annuæ præſtationis, ſuper ipſa re, vel fundo, ſolum contrahitur obligatio perſonalis, quæ non tranſit ad fundi ſucceſſorem,* ut in dict. §. fin.
11 *Si promitens uſus fuerit dictione, ſuper, cenſetur conſtitutum onus reale, licet expreſsè non conſtituatur.*
12 *Dictio, ſuper, juncta in oratione certæ rei, ejus cui adjungitur hypothecam inducit.*
13 *Refertur intellectus l. nihil proponi, de legat.* 1. *quem tradit Flores de Mena, & rejicitur.*
14 *Traditur intellectus ad l. nihil proponi.*
15 *Quando legiſlator de uno diſponit, cætera rectè interveniſſe præſupponit, & terminos habiles.*
16 *Traditur alius intellectus adaptabilis ad l. nihil proponi.*
17 *Sportulæ ſunt ſalaria ad alimenta Decurionum.*
18 *Res ex qua concedens mandat alimenta præſtari, eſt obligata pro alimentis.*
19 *Legatum alimentorum, ſive factum pauperi, ſive diviti, ſemper continet alimentorum favorem.*
20 *De relicto pro anniverſario, idem judicatur quod de alimentis.*
21 *Quod procedit quocumque modo, ſive quacumque dictione fuerit adjectus fundus, quia id ſpeciali favore piæ cauſæ, & alimentorum eſt inductum.*

22 *Tra-*



22 *Traditur intellectus ad l. fundi, Trebatiani* 38. *ff. de uſufructu uſque ad num.* 24.
23 *Legatum ſumit interpretationem à conſuetudine teſtatoris.*
24 *Legatum reddituum, importat quod percipitur ex fundo.*

1 *NIHIL proponi, cur prohibeatur, hæres ædificia diſtrahere, è quorum redditu ſportulæ ſunt relictæ, ſalva tamen cauſa legati,* verba ſunt Ulpiani Juriſconſulti, *libr.* 2. *reſponſorum, relata l. nihil proponi,* 120. *ff. de leg.* 1. quæ verba partem affirmativam ſatis probant, dum innunt ædificia vendita, ex quibus ſportulæ relictæ erant, tranſire cum onere in emptorem.
2 Et ſic affecta illo eſſe, hoc enim important verba illa, *ſalva tamen cauſa legati*, ut dicit Salazar *de conſuet. cap.* 11. *num.* 34. Valaſcus *conſultatione*
3 82. *n.* 8. Gamma *deciſ.* 30. *num.* 1. Sed is textus, & ejus deciſio difficilis redditur *ex l. fin. §. fin. ff. de contrahend. emptione*, ubi cum Titius promiſiſſet de fundo ſuo centum millia modiorum frumenti annua præſtare pro Prædiis Gaii Seii, poſtea fundum vendidit, quo jure, quáque conditione ejus erat, & nihilominus reſpondit Scevola, emptorem non teneri Gaio Seio ad annuam frumenti præſtationem; quod ſecus eſſet ſi fundus onere præſtandi frumentum affectus ramaneret. Atque ita Bart. & omnes *ibi*, ex eo textu deducunt concluſionem, quod actio perſonalis, non ſequitur fundi poſſeſſorem; ſentientes in ea promiſſione ſolùm contrahi actionem perſonalem.

4 Et licet in intellectu variè Doctores verſentur; ut videre poteris apud Valaſcum. 1. *par. jur. emphyt. quæſt.* 32. *num.* 17. & per Anton. Gammam, *deciſ.* 13. & per Joannem Garciam *de expenſis*, *cap.* 4. *ex num.* 30. & per doctores, quos refert Flores de Mena *in additionibus ad Antonium Gammam, dict. deciſ.* 13. qui omnes referunt diverſos intellectus *ad dict. §. fin.* Tamen omiſſis omnibus, amplector intellectum Gloſſ. *in l. hactenus* 8. *verbo, ab eo, ff. de uſufructu*, ubi quod *in d. l. fin. §. fin.* fuit dictum de illo fundo, cauſa demonſtrandæ ſolutionis, & ſic non fuit fundus affectus onere reali: argumento *l. quidam teſtamento* 99. *ff. de legatis* 1. *& l. Paula Callinico §. finali, de legatis* 3. Thomas Grammat. *deciſion.* 90. *num.* 1.

5 Et quod in dubio præſumatur, quod verbum ſtet demonſtrativè, tradit Mantica *de conjecturata mente defuncti, libr.* 9. *titul.* 2. *num.* 5. Aymon. *conſil.* 301. *num.* 5. Marcus Antonius Peregrinus
6 *de fideicommiſſis, articul.* 16. *num.* 110. ubi quod procedit in omni materia, quod ſecus eſſet ſi non cauſa demonſtrationis, ſed diſpoſitionis & taxativè fuiſſet adjectus, quia tunc afficeretur onere, ut tradit prædicta gloſſa, & licèt ipſa non alleget, eſt textus *in l. cum certus* 5. *ff. de tritico, vino, & oleo leg.* quem gloſſæ intellectum ſequitur Gigas *de penſionibus, quæſt.* 62. *num.* 19. & 20. & eundem intellectum non relatis gloſſa & Gigante, tradit Alvarus Valaſcus, *prima parte juris emphyt. quæſt.* 32. *num.* 17. *in fine*, Antonius de Padilla *l. & in*
7 *Provinciali* 3. *in num.* 6. *C. de ſervitutibus.* Ubi quod quemadmodum inſerta perſona ſtipulationi non facit eam ſemper perſonalem, *l. juriſgentium*, *§. pactorum, ff. de pactis*, ita res inſerta promiſſioni non facit eam realem, nec actio perſonalis mutat naturam, quamvis propter rem ſit contracta, & res ſit cauſa obligationis, *l.* 1. *§. ſi hæres, ff. ad Trebellianum*, de quo Franciſcus de Claperiis *in centuria cauſa* 42. *quæſt.* 1. *numer.* 11. & Padilla *dict. l. in Provinciali, num.* 27. exemplificat in 8
eo, qui promiſit vicino non aperire feneſtram in pariete, nam ſi poſtea alienet domum, emptor poterit aperire, quia obligatio perſonalis ſolùm non realis fuit contracta, ut tradit Speculator *titulo de emptione & venditione, num.* 24. Paulus *l. Lucius, num.* 2. *ff. de ſervitutibus ruſticorum*, Florianus *l. pomum, ff. de ſervitutibus*, Ripa *l.* 1. *§. ſi hæres, num.* 4. *ff. ad Trebellianum*, Urſilius *in additionibus ad Afflictum deciſione* 285. *nu.* 7. licèt ſecus eſſet ſi ratio eſſet expreſſa in ſervitutis 9
conſtitutione, quia tunc jus reale eſſet conſtitutum, ut tradunt Speculator, & Florianus *ubi ſupra*, & Cæpola *de ſervitutibus, cap.* 62. *num* 8. Decius *conſ.* 262. *n.* 4. & teſtatur communem Angelus *§. ſi quis velit, num.* 1. *inſtituta de ſervitutibus.*

Et ad hunc intellectum conducit, quod tradit 10
Aym. *conſil.* 217. *num.* 4. ubi reſolvit, quòd ſi fundus non ſit hypothecatus expreſſe, vel promittens utatur talibus verbis, quibus hypotheca inducatur, ſed fuerit annua præſtatio, promiſſa occaſione rei, ſeu fundi, citra tamen aſſignationem ipſius annuæ præſtationis ſuper ipſa re, vel fundo ſolùm contrahitur obligatio perſonalis, quæ non tranſit ad fundi ſucceſſorem, & hunc dicit verum intellectum *d. l. fin. §. fin. de contrahenda emptione.*

Scias tamen, quod tunc dicetur conſtitutum 11
onus reale, licèt expreſſis verbis non conſtituatur, quando promittens uſus fuerit dictione, *ſuper*. Nam dictio illa, *ſuper*, juncta in oratione certæ 12
rei ejus cui adjungitur, hypothecam inducit, Bart. *l. codicillis §. conſtituto, num.* 2. & idem *l. fundus quem, ff. de annuis legat.* Romanus *ſingulari* 625. Franciſus Cremenſis, *ſingulari* 45. Cacialupus, Hieronymus Gigas, Felin. Neguſantius, & alii, quos refert & ſequitur Quintil. Mandoſius *in additionibus ad Romani conſilia, conſil.* 338. *littera* B. poſt Roman. *ibi num.* 2. Afflictis *deciſ.* 162. *num.* 6. Covarruvias, *cap. Rainutius §.* 10. *num.* 8. & licet Alvarus Valaſcus *de jure emphyteu.* 1. *part. qu.* 32. *n.* 17. hoc non admittat circa intellectum *§. fin. de contrahenda emptione*, tamen in fine dicit non eſſe recedendum ab eo, quod frequentius receptum eſt.

Quid autem dicendum eſt, pro intellectu *l. nihil* 13
*proponi*, ex cujus verbis non apparet an fuerint legato ædificia adjecta demonſtrativè, vel diſpoſitivè & taxativè, & tenet manere affecta onere? Et video, quod Flores Diez de Mena, *libr.* 1. *variarum quæſt.* 18. *num.* 5. ſentit *in l. nihil proponi*, ſolùm fuiſſe ortam actionem perſonalem, quemadmodum etiam *in l. fundi Trebatiani* 28. *ff. de uſufructuo legato*, cui libenter aſſentirer, niſi obſtarent verba *dicta l. nihil proponi*, ibi: *Salva tamen cauſa legati*, quæ ſignificans affecta eſſe ædificia onere anniverſarii, ut rectè expendit Salazar de *uſu & conſuetudine, c.* 11. *n.* 34. & Alvarus Valaſcus, *conſultatione* 81. *num.* 8. Gamma *deciſione.* 30. *numero.* 1.

Tu dic, quod ibi Jureconſultus non expreſſit 14
verba quibus teſtator uſus fuit in legando, atque ita præſupponere debemus terminos habiles, & ſic quod teſtator talibus verbis uſus fuerit, ex quibus conſtet quod pignori eſſe voluit ædificia pro ſportularum præſtatione, quia quando legiſlator ſuper uno diſponit dubio, cætera rectè interveniſ- 15
ſe præſupponit, *l. qui teſtamento ff. de teſtamentis*,

*lut.*

*l. ut gradatim* §. *& ſi lege*, *ff. de muneribus*, *& hono.*
Bart. *l.* 1. §. *nuntiatio*, *num.* 2. *ff. de novi oper.*
Cornaçanus *decis* 43. *num* 5. & in terminis oneris
anniverſarii tradit Gamma *deciſ.* 30. *num.* 2.
16 Vel poteſt dici, quod ibi legatum fuit factum
reipublicæ ad ſportulas, quæ (ut interpretatur
17 gloſſa ibi) ſunt ſalaria ad alimenta Decurionum,
cum qua gloſſæ interpretatione tranſit Flores de
Mena, *practicarum quæſtionum quæſt.* 18. *num.* 2.
(quæ frequenter relinquebantur, *l. cum quidam*, *ff.*
*de annuis legatis*, *l. in civitatibus*, *de leg.* 1.) quo
caſu, & quia fuit legatum ad alimenta, & quia
ſunt aſſignata in publicam utilitatem, cui inſerviunt,
& aſſiſtunt Decuriones (ut in ſimili pro conceſſo
ad alimenta Cardinalium, qui Sanctæ Romanæ
Eccleſiæ inceſſanter aſſiſtunt, ponderat Ludovic.
Roman. *conſil.* 388. *num.* 3. Succedit juris
concluſio, dicens, quod res illa ex qua concedens
18 mandat alimenta præſtari, eſt obligata pro alimentis,
ut concludit gloſſa, *l. Lucius ff. de alimentis*
*legatis*, & *l. cum hi*, *verſic. idem ſi ageret*, *ff. de*
*tranſactionibus*, *& l. Gaius ff. de annuis leg.* Et eſt
text. qui hanc concluſionem manifeſtè probat *in*
*l.* 2. *ff. de alimentis legat.* & tradit Paul. Caſtrenſ.
*conſil.* 338. *num.* 3.
19 Et quia legatum alimentorum, ſive factum
pauperi, ſive diviti, ſemper continet alimentorum
favorem, ut per DD. *l. ſi certis annis*, *C. de pact.*
ubi Alciatus & tradit Hieronym. Gigas de penſionibus,
*cap.* 51. *num.* 20. quem ſequitur Simon de
Prætis *lib.* 4. *de interpretan. ult. volunt. interpret.*
1. *dub.* 11. *num.* 8.
20 Et idem, quod de alimentis judicatur de relicto
pro anima, ut voluit Petrus Jacob. *in pract. titul.*
*de actione in rem determinans*, idem in anniverſario,
Guido Pap. *deciſ.* 576. quod refert, &
ſequitur Salazar *de uſu*, *& conſuetud. cap.* 11.
*num.* 34. plures referens. Idem tenet Tiraquellus
*de privileg. piæ cauſæ*, *privil eg.* 63. ſequitur Maſcardus
*de probationibus*, *concluſ.* 1171. *num.* 54.
21 Quod procedit quocumque modo, ſive quacumque
dictione fundus fuerit adjectus, quia id ſpeciali
favore alimentorum, & piæ cauſæ eſt inductum
ut tradit Covar. *cap. Rainutius*, § 10. *num.* 8. *in fine*,
*de teſtamentis*, & Gigas *de penſionibus*, *c.* 44. *num.* 1.
22 Finem imponemus huic cap. ſi ſanum intellectum
tribuamus, *l. fundi Trebatiani* 38. *ff. de uſufructu*,
quæ lex ſimul & ſemper allagatur, cum *d. l. nihil*
*proponi*, quæ verba hæc: *Fundi Trebatiani reditus
uxori meæ quoad vivet dari volo, quæro an
poſſit tutor hæredis fundum vendere, & legatario
quantitatem offerre annuam quam vivus paterfamilias
ex locatione fundi redigere conſueverat; reſpondi
poſſe*: in qua lege ſolum legata fuit æſtimatio fructuum,
quam teſtator redigere conſueverat: Et ad id
23 refertur legatum, quia ſumit interpretationem à
conſuetudine teſtatoris, *l. ſervus plurium* §. *fin. de*
*legat.* 1. *l. damnas* 15. §. *fin. de uſufruct. legat. l. penult.*
*de aliment. legat.* Bar. *l. cum certus ff. de vino, tritico,*
*& oleo legat.* & ita intelligit Ruinus *l. fructus num.*
3. *ſoluto matri.* ubi Barboſa *num.* 30. addit: Quod
24 legatum reddituum importat, quod percipitur ex
fundo, ut tradit Cephalus *conſil.* 20. *num.* 24. *vol.* 1.
& cum dicta lex dicat, quòd teſtator ſolebat quantitatem
percipere ex fundo, admittitur, poſſe hæredem
quantitatem præſtare, ut ſic vendere fundum,
cum ab ipſo hærede ſit legata quantitas, ut
*in d. l. fundi*, tenet Albericus *num.* 1. & Cephalus
*dicto conſ.* 20. *num.* 27.

## CAPUT III.

Si teſtator diſpoſuerit, quod celebretur anniverſarium pro anima ſua, an hæres adimpleat in primo anno, & in ea diſpoſitione ſit locus regulæ? *l. boves* §. *hoc ſermone ff. de verborum ſignificatione*, vel ſit perpetuum judicandum?

### *SUMMARIUM.*

1 *Sermo ſimpliciter prolatus, intelligitur de prima vice.*
2 *Quod procedit etiam in materia favorabili, & dotis.*
3 *Argumentum ſumitur à dote ad piam cauſam.*
4 *Si teſtator relinquat certam ſummam, ſeu pitançam in die Sancti Franciſci, intelligitur legatum de ſumma ſemel præſtanda.*
5 *Quod pro conſtanti affirmavit Bart. in caſu quo concurrebat favor ultimæ voluntatis, & piæ cauſæ.*
6 *Regula l. boves* §. *hoc ſermone, de verborum ſignificatione procedit in omni materia.*
7 *In dubio talis eſt ſumenda interpretatio, ut minus cenſeatur hæres gravatus.*
8 *Potius toleratur quod legatum ſit inutile, quam quod cenſeatur teſtator gravare hæredem.*
9 *Anniverſarium relictum ſimpliciter à teſtatore, perpetuum eſt intelligendum.*
10 *Si in diſpoſitione ponitur aliqua ex dictionibus perpetuum tempus ſignificantibus, diſpoſitio cenſetur perpetua.*
11 *Dictiones, ſemper, perpetuò, in infinitum, faciunt diſpoſititionem perpetuam, etiam in annuo relicto.*
12 *Quando in diſpoſitione ſunt aliqua verba perpetuitatis inductiva perpetua efficitur diſpoſitio.*
13 *Ex natura & vi verbi anniverſarium, & ex ſubjecta materia animæ, quæ perpetua eſt, diſpoſitio perpetua judicatur.*
14 *Expenditur l. annua* 20. §. *atria*, *ff. de annuis legat. ad hoc quod anniverſarium ſit perpetuum.*
15 *Expenditur ad id l. cum quidam* 24. *ff. de annuis legat.*
16 *Expenditur etiam ad id l. fin. ff. de annuis legat.*
17 *Expenditur etiam ad id l. defuncta* 65. *in fine ff. de uſufructu.*
18 *Limitatur deciſio l. boves*, §. *hoc ſermone, ut non procedat ſi in ultima voluntate relinquatur per verba generalia, & indefinita, id quod ex ſua natura reiteratur, ſive renaſcitur.*
19 *Extenditur ea limitatio, ut non ſolum procedat quando res legata ſua natura ſit reiterabilis, ſed etiam quando legato additur aliqua qualitas, quæ ex ſe reiterabilis ſit.*
20 *Intelligitur d. l. cum quidam* 24. *ff. de annuis legat.*
21 *Qualitas anniverſarii adjecta legato cum ſit reiterabilis, facit perpetuum judicari legatum.*
22 *Quando diſpoſitio profertur in materia, quæ ex conſuetudine recipit reiterationem, primus actus non conſumit diſpoſitionem.*



23 *Traditur alius intellectus ad d. l. cum quidam, de annuis legat.*
24 *Uterque intellectus traditus num.* 20. *&* 23. *poteſt adaptari d. legi* cum quidam, *ſecundum Cephalum.*
25 *Traditur differentia relicti in die natalis teſtatoris, vel in die alicujus ſancti, vel aliis feſtivitatibus, quæ anniverſaria ſolemnitate celebrantur.*
26 *Semper eſt ſumenda interpretatio ut ceſſet ſuperfluitas.*
27 *Verba non debent eſſe ſine effectu operandi.*
28 *Regula d.* §. *hoc ſermone, non procedit quoties primus actus non conſumit effectum, ſecundùm diſponentis intentionem.*
29 *Si agitur de re ſuapte natura perpetuò duratura, diſpoſitio non conſumitur primo actu, nec prima perſona, ſed ad ulteriores in infinitum progreditur.*
30 *Quod procedit in anniverſario.*
31 *Expenditur l. annuam* 6. *ff. de annuis legatis.*
32 *Interpretatio ceſſat, quando ſumus in caſu claro, cum ea ſolum admittenda ſit in caſu dubio & ambiguo.*
33 *In caſu dubio, ita eſt ſumenda interpretatio, ut non contraveniatur propriæ ſignificationi vocabuli.*
34 *Intellige niſi in caſu, quo nihil operatur diſpoſitio, & fruſtraria redderetur.*
35 *Propria ſignificatio vocabuli ſumitur per etymologiam, ſeu alluſionem vocabuli, & per eam conſtat ſic oſtēdere verba prolata.*
36 *Etymologia vocabuli, anniverſarium, ſuadet ut reverſo anno celebretur, & ſic perpetuò.*
37 *Credendum eſt teſtatorem uſum fuiſſe nomine anniverſarium, ut conveniente rei gerendæ, cum nomina debeant eſſe conſonantia rebus.*
38. *Regula quæ habet, quod eſt ſumendà interpretatio in favorem hæredis, non procedit contra defunctum, & in præjudicium ipſius animæ.*
39 *Credendum eſt teſtatorem potius voluiſſe ſibi & animæ ſuæ favere, quàm hæredi, ex bene ordinata charitate, quæ incipit à ſeipſo.*
40 *Teſtator magis præſumitur diligere animam ſuam, quàm hæredem uxorem, & cætera omnia.*
41 *Semper ſumenda eſt interpretatio, quæ favet animæ.*
42 *Deducitur limitatio ad regulam quæ habet, quod ſumenda eſt interpretatio, ut minus cenſeatur hæres gravatus, ut non procedat in anniverſario.*
33 *An ſi anniverſarium relinquatur in contractu habeat locum regula, l. boves*, §. *hoc ſermone, reſolvitur negativè.*
44 *Contractus recipiunt interpretationem à mente contrahentium.*
45 *Reipublicæ demonſtrat agentis intentionem.*
46 *Quando verba contractus ſunt apta ad comprehendendam infinitatem toleratur infinitas in contractibus.*
47 *Si p. omiſſio annua in contractu ſit facta pauperi, erit annua, & perpetua.*
48 *Si teſtator diſponat, quod aliquid erogetur in die mortis ſuæ, vel exequiarum vel in fine anni, vulgo,* cabode anno, *ſemel tantum fiet.*



HOC *ſermone dum nupta erit, primæ nuptiæ* 1
*ſignificantur*; Verba ſunt Pomponii
Juriſconſulti, *libr.* 6. *ad Sabinum* relata,
*l. boves* 89. §. *hoc ſermone*, *ff. de verborum
ſignificatione*, ex quibus Doctores, ibi præcipuè
Alciatus, Tiraquel. & Rebuffus (qui latè
eam exornant) deducunt vulgarem illam concluſionem
& regulam, quod ſermo ſimpliciter
prolatus, intelligitur de prima vice, quam etiam
ponit text. *in l. dotis promiſſio* 69. *ff. de jure dotium.*
Quæ jura loquuntur in materia favorabili dotis. 2
Et conſummatur argumentum de dote ad piam 3
cauſam, *cap. unico*, §. *donare*, qualiter olim poterat
feudum alienari, cum aliis congeſtis à Everardo
loco à dote ad piam cauſam, videtur dicendum
idem de anniverſario relicto ſimpliciter, &
ſic quod ſemel tantum celebretur.
Pro quo facit doctrina Bartoli *in l. cum quidam*, 4
*numero* 2. *ff. de annuis legatis*, ubi tenet, quod
ſi teſtator relinquit Monachis certam ſummam,
ſeu pitançam in die ſancti Franciſci, intelligi
debet de ſumma ſeu pitança ſemel præſtanda.
Idem tenet Palacius Rub. *in repetitione rubric. de
donation.* §. 69. *numer.* 21. Hippol. de Marſil.
*rubr. de fidejuſſoribus*, *num* 99. Alex. *conſil.* 16.
*num.* 7. *volum.* 4. Cephal. *conſil.* 612. *num* 17.
*lib.* 4. Anton. Gabr. *lib.* 6. *concluſionum*, *tit. de
legibus*, *concluſ.* 2. *num.* 26. Jaſ. *l. divortio*, §.
*quod anno*, *num.* 17. *ſolut. matr.* & ibi Barboſa *num.* 5
13. teſtatur Bartolum communiter eſſe receptum,
& expendit quod in caſu & exemplo Bartoli concurrebat
favor ultimæ voluntatis, & favor religionis,
ſive piæ cauſæ, & nihilominus recurritur
ad regulam, §. *hoc ſermone*, & ſic Alex. *conſ.* 16.
*n.* 9. *lib.* 4. & Jaſ. *conſ.* 36. *lib.* 4. *ad fin.* & Curt. 6
Jun. 132. *num.* 1. dicunt, quòd ea regula procedit
in omni materia, quos refert & ſequitur Ant.
Gabr. *lib.* 6. *concluſionum*, *titul de legibus &
conſtitutionibus*, *concluſione* 2. *num.* 19.
Pro quo etiam facit quod in dubio talis eſt ſu- 7
menda interpretatio, ut minus cenſeatur hæres
gravatus, *l. unum ex familia*, §. *ſi rem*, *de legat.*
2. Quinimo potius toleratur quod legatum ſit 8
inutile, quam quod teſtator cenſeatur gravare
hæredem, *l. Mævius in prin. verſ. ſanè conſtitutio
Principis*, *de leg.* 2. *l. quod in rerum*, §. 1. *ff. de
leg.* 1. ubi notat Jaſ. *num.* 1. Aymon *conſ.* 32. *num.*
3. Qui annuo relicto loquitur, *& conſ.* 167. *num.*
14. *& conſ.* 187. *num.* 5. Cavalcan. *de uſufructu
uxori relicto n.* 77. *ad medium.*
Sed contrarium eſt tenendnm, imò quod anni- 9
verſarium relictum ſimpliciter à teſtatore perpetuum,
ſit intelligendum: & probatur: nam que- 10
madmodum, quando in diſpoſitione ponitur, ſeu
adjicitur aliqua ex dictionibus perpetuum tempus
ſignificantibus, diſpoſitio cenſetur perpetua (ut 11
de dictione, ſemper tradit gloſſa *l.* 1. *verbo*,
*ſemper*, quam ſequuntur ibi Bartol, Alexand. &
Jaſ. *ff. ſoluto matrimonio*, Boërius *deciſione* 158. *ex
numero* 1. ubi late plures refert Molina, *libr.* 1.
*de primogen. cap.* 5. *num.* 33. & ſic de dictionibus,
*perpetuo*, & *in infinitum* Joann. Garcia *de nobilitate*,
§. 1. *gloſſæ* 1. *num.* 24. Alexand. Raudenſis,
*conſil.* 22. *numer.* 487. & in annuo relicto tradit
Cephalus, *conſilio* 612. *nnm.* 9. *volum.* 4.) Ita 12
& quando in tali diſpoſitione ſunt aliqua verba
perpetuitatis inductiva, ut tradunt *ſupra* relati:
eo enim caſu perpetua erit diſpoſitio, ut eſt de

mente gloſſæ, *l. Cajus, ff. de annuis legat. verbo,*
*neque in rem*, ibi: *propter illam annuam comme-*
*morationem, & quoniam cum quadam perpetuitate,*
*hujuſmodi ſervitutes reales conſtituantur.* Ex quo
evenit quod tam ex vi verbi *anniverſarium*, ſecun-
dum interpretationem à nobis ſupra traditam,
*in cap.* 1. quod ſit celebrandum unoquoque anno
revoluto à morte defuncti ( ut dicit gloſſa *cap.*
13 *cum creatura, de celebratione Miſſarum* ) quam ex
ſubjecta materia, quæ eſt animæ, ſit intelligendum
perpetuum, cum ex ſubjecta materia diſpoſitio
perpetua judicetur, ut tradit Paulus Caſt. *conſil.* 9.
*volum.* 1. Ex quo enim anima perpetua eſt, quod
pro ea relinquitur judicandum eſt perpetuum,
argum. *tex. in l. jubemus in fine principii, C de*
*ſacroſan. Eccleſ.*

14 Et quod anniverſarium perpetuum ſit judican-
dum probat *l. annua* 20. §. *atria, ff. de annuis*
*leg.* ubi juriconſultus ponit hæc verba: *Atria*
*fideicommiſſum his verbis reliquit, quiſquis mihi*
*hæres erit, fidei ejus committe, ut nec ex reddita*
*cænaculi mei, & horrei poſt obitum Sacerdoti,*
*hierofilaci & libertis, qui in illo templo erunt dena-*
*rios, decem, die nundinarum quas ibi poſui:*
*Quæro utrum his dumtaxat, qui eo tempore quo*
*legabatur in rebus humanis & in eo officio fuerint,*
*debitum ſit? an etiam his qui in locum eorum ſucceſ-*
*ſerunt; Reſpondi ſecundùm ea quæ proponerentur mi-*
*niſterium quidem nominatorum deſignatum, cæterum*
*datum templo. Item quæro utrùm uno dumtaxat anno*
*decem fideicommiſſi nomine debeantur; an etiam in*
*perpetuum decem annua præſtanda ſint? Reſpondi in*
*perpetuum.* Hæc Jureconſultus. Et ibi gloſſa, *verbo,*
*in perpetuum*, addit: *ſi templum perpetuo duret:*
quam expendit Barboſa, *l. divortio*, §. *quod in*
*anno, num.* 11. *ff. ſolut. matrimonio.*

15 Ad quod etiam conducit, *l. cum quidam.* 24 *ff.*
*de annuis legat. Cum quidam* ( inquit Marcellus
Jure Conſultus ) *de Decurionibus, diviſiones dari*
*voluiſſet die natalis ſui divi Severus & Antonius*
*reſcripſerunt non eſſe veriſimile teſtatorem de uno anno*
16 *ſenſiſſe ſed de perpetuo legato.* Facit etiam pro hoc
*lex fin. eo tit* ubi teſtator reliquit reipublicæ centum
pro certaminibus ſeu ludis per quadriennium,
& non in primo quadriennio, ſed in perpetuum
17 intelligit relictum: idem probat *l. annuam.* 6. *eo*
*titul.* eſt etiam pro hoc text. *in leg. defuncta*, 65.
*in fine ff. de uſufructu.* ubi ſi relinquo ſextam
partem fructuum oleris, quæ habeo in agro fer-
rar orum, non pro uno anno, ſed quotannis,
videtur relictum: ad quæ ita quod hujuſmodi an-
niverſarium perpetuum judicari debeat, tradit
Alvarad. *de conjecturat. mente defuncti, lib.* 2.
*cap.* 1. §. 2. *numero.* 24.

18 Neque obſtat *d. l. boves*, §. *hoc ſermone*,
quia multipliciter poteſt reſponderi, & in primis,
quod ejus regula non procedit ſi in ultima volun-
tate relinquatur per verba generalia & indefinita,
id quod ex ſua natura reiteratur, ſive renaſcitur,
quia his concurrentibus non intelligitur legatum
de prima vice, ut probat *d. leg. defuncta*, § *fin.*
*ff. de uſufructu* ubi agitur de fructibus qui ſua na-
tura renaſcuntur, ut *in leg. divortio*, §. *ſi vir*,
*ff. ſolut matrimo.* ita tradit Barboſa *dict. leg. divor-*
*tio*, §. *quod in anno, num.* 11.

19 Et ampliatur, ut non ſolum procedat ea limi-
tatio, ſi res legata ſua natura reiterabilis ſit, ſed
etiam quando legato additur qualitas aliqua, quæ
ex ſe reiterabilis ſit, ut colligitur ex *d. leg. cum*
*quidam, ff. de annuis legatis*, ſecundum intelle-
ctum Cumani, *in leg. cum qui Kalendis, in princip.*
*de verborum.* Nam teſtator ibi juſſerat fieri divi- 20
ſiones inter Decuriones die natalis ſui, qui qui-
dem dies reiterabilis eſt, quia cum non poſſit in-
telligi de die in qua natus fuerat, relinquens,
quæ jam præterierat, & ſic redire non poterat,
neceſſario intellexit teſtator de ſolennitate comme-
morativa diei natalis ſui, qui recepit reiteratio-
nem, ut declarat Lancelot. Dec. *in dict. l. cum*
*quidam*, & hanc dicit elegantem ampliationem
Barboſa. *d.* §. *quod in anno, numer.* 12. ( licet in
ea non reſideat ) ubi refert Alex. Jaſ. Zaſium,
Soci. & Ant. Gomez ſequentes Cumani intellec- 21
tum, & ſecundum hanc ampliationem reſultat,
quod cum qualitas anniverſarii adjecta legato,
ſit reiterabilis perpetuum debet judicari legatum.
Et quando diſpoſitio profertur in materia, quæ 22
ex conſuetudine recipit reiterationem, primus
actus non conſumit diſpoſitionem, *l.* 1. *C. de*
*fideicommiſſis*, Roman. *conſ.* 294. plures refert
Antonius Gabriel. *libro.* 6. *concluſ. tit. de legibus,*
*concluſione* 2. *limitatione* 12. *num.* 42.

Sed Barboſa diſcedit ab intellectu Cumani ſe- 23
quendo intellectum Bartoli *in d. l. cũ quid, n.* 3.
dicentis, quod ibi fuit parva quantitas relicta
Decurionibus die natalis teſtatoris, & quod ex
quantitate parva, & qualitate perſonarum, quibus
fuit relicta, præſumitur teſtatorem de prima vice
non intellexiſſe, ut tradit ibi JureConſultus,
cujus contrarium dicet, tenendum altero ex his
deficiente, ſed eſſe recurrendum ad regulam, §.
*hoc ſermone*: quem Bartoli intellectum dicit ma-
gis communiter receptum Barboſa *ubi ſuprà nume-*
*ro.* 13.

Ego verò magis puto utrumque intellectum poſſe 24
vere applicari caſui, *l. cum quidam*, prout tenet
Cephalus. *d. conſ.* 612. *num.* 17. ubi inquit, quòd
poteſt dici, quod ibi erant verba reiterabilia, vel
quod procedit ex veroſimili mente teſtantis, qui
reliquerat quid minimum Decurionibus, & ne
videat indignum legatum reliquiſſe non debere
intelligi, quod ſemel tantum voluerit præſtari.

Et ſi teneas Cumani intellectum, poteſt reſpon-
deri ad doctrinam Bart. & conſortium dicentium, 25
quod ſumma, ſeu pitança relicta fratribus in die
ſancti Franciſci non debetur, niſi ſemel ut proce-
dat, quia jam eſt conſtituta commemoratio ab
Eccleſia illius diei, in honorem ſancti, ut *in cap.*
*illa*, 12. *diſt.* ibi: *Sicuti Domini Paſſio, & Aſ-*
*cenſio in cœlum, & Adventus de cœlo Spiritus*
*Sancti anniverſaria ſolemnitate celebratur, & ſi-*
*quid aliud tale occurrerit, quod ſervetur ab univerſa*
*quacumque ſe diffundit Eccleſia. Atque ita non*
*indicitur novè à teſtatore commemoratio reiterabilis*
*reſpectu ſui legati, ſed videtur illa dies adjecta,*
*at quando tempus adjicitur ſolutioni legati, ut per*
*totum quando dies legati cedat, nec eſt opus conjec-*
*turare teſtatoris mentem, at quando teſtator juſſit*
*ſummam, ſeu pitançam dari Decurionibus in die na-*
*talis ſui, cujus nulla erat commemoratio, non im-*
*meritè collegit & conjecturavit Jureconſultus diem*
*adjeciſſe, ut ejus perpetua fieret commemoratio,*
*ſiquidem ad nihil aliud potuit mentionem facere de*
*die ſuæ Nativitatis.* Quod maximè procedit, quia
temporibus illis, quibus lex lata fuit, aſſuetunt
erut celebrare dies natales hominum, juxta illud
Tibulli *lib.* 2. *Elegia* 2.

*Dicamus bona verba, venit natalis ad aras.*
*Quiſquis adeſt, lingua vir mulierque fave.*
*Vrantur pia thura focis, urantur odores,*
*Quos tener è terra divite mittit Arabs.*





Et eſt textus *in l. dies feſtos, C. de feris: Et ſi*
*in noſtrum ortum, aut natalem celebranda ſolẽnitas*
*inoderit*, ſed vera celebranda nativitas ea eſt,
de qua Eſaias, *c.* 60. inquit: *Surge, & illuminare*
*Hjeruſalem in ſplendore ortus tui*, de quo gloſſa,
26 *in d. l. dies feſtos.* Pro quo facit, ſemper eſt ſu-
menda interpretatio, ut ceſſet ſuperfluitas ver-
borum, ut tradit Paulus Caſtrenſis, *conſil.* 43.
*numer.* 2. *& conſil.* 222. *numero* 1. *lib.* 2. Alexander
*conſil.* 17. *numer.* 45. inferendo illud, ut verba
27 non ſint ſine effectu operandi, quem ſequitur
Simon de Prætis, *lib.* 2. *de interpretanda ultim.*
*volunt. interpret.* 3. *dubit.* 1. *ſolut.* 2. *num.* 49.

28 Et ſic cum prima præſtatio non ſatisfaciat in-
tentioni diſponentis, ſuccedit ea limitatio regulæ,
§. *hoc ſermone.* ut non procedat quoties primus
actus non conſumit effectum ſecundum diſponentis
intentionem, ut tenent Bald. Jaſ. Georgius,
Natta, Romanus Felinus, Decius, Gramma. Ti-
raquel. & alii plures, quos refert Anton. Gabriel,
*lib.* 2. *concluſionum, tit. de legibus, & conſtitution.*
*concluſ.* 2. *limit.* 2. *num.* 28. Menoch. *conſi.* 85.
*num.* 124. *volum.* 1. & Barboſa, *dict.* §. *quod in*
*anno, num.* 21. ubi quod erit exemplum ſi agatur
29 de re ſuapte natura perpetuo duratura. Nam tunc
diſpoſitio ita accipienda eſt, ut nec primo actu,
nec prima perſona conſummatur, ſed ad ulteriores
in infinitum progrediatur, ut tradunt Alciat. §.
30 *hoc ſermone*, & ibi Tiraq. *limit* 18. *n.* 1. Quæ om-
nia recte conveniunt diſpoſitioni, qua anniverſa-
rium relinquitur, quod ſua natura perpetuò durat,
31 ut dictum eſt, ſicque ſemper perpetuum eſt judi-
candum, etiam ultra hæredis ſeu legatarii vitam,
*l. annuam* 6. *ff. de annuis legatis.*

32 Neque obſtat, quod ſumenda eſt interpretatio, ut
minus cenſeatur hæres gravatus ut diximus pro
parte negativa, nam illud procedit cum ſimus in
dubio, quo caſu neceſſaria eſt interpretatio. At
quando ſumus in caſu claro, non eſt opus conjec-
turis, *l. ille, de lega.* 3. ubi quando in verbis nul-
la eſt ambiguitas, non admittitur voluntatis quæſ-
tio, interrpretatio enim eſt facienda in caſu du-
bio & ambiguo, *l.* 2. §. *fin. ff. de his quæ in teſta-*
*mento delentur l. in his quæ, ff. de condiction.*
*& demonſtration.* Simon de Prætis, *lib.* 1. *de inter-*
*pretanda volunt. interpret.* 1 *dubitatione* 2. *ſolut.*
33 4. alias ſuperflua eſſet interpretatio. Imo & in caſu
dubio talis eſt ſumenda interpretatio, ut non con-
34 traveniatur propriæ ſignificationi vocabuli, niſi eo
caſu quo nihil operaretur diſpoſitio, & fruſtra-
toria redderetur, ut *in l. ſi uno anno, ff. locati.*

35 Propria autem ſignificatio vocabuli ſumitur per
etymologiam ſeu alluſionem vocabuli, & per eam
conſtat ſic oſtendere verba prolata, ut tradit Si-
mon de Prætis *de interpr. ult. volunt lib.* 2. *inter-*
*pret* 3. *dubit.* 2. *ſolut.* 1. *n.* 255. *pag. mihi.* 252.
36 Et ſi hoc ſuadet etymologia vocabuli anniverſari-
um, ut reverſo anno celebretur, ut dixi *c.* 1. *num.*
32. non eſt quærenda alia interpretatio, ſiquidem
37 credendum eſt teſtatorem uſum fuiſſe illo nomine
anniverſarii, ut convenienti rei gerendæ, quia no-
mina debent eſſe conſonantia rebus, §. *eſt, & aliud,*
*inſtit. de donat. l.* 1. §. *ait prætor: de vi & vi arma-*
*ta*, nec credendum eſt, hominem aliud velle
quam dicat, *l. ex his, ff. de excuſat. tuto.* Proſperus
Palletus, *conſil.* 115. *num.* 14. nullum majus teſti-
monium eſt noſtræ mentis, quam quod colligitur
ex ſignificatione verborum, Baldus *ſuper literis de*
*reſcript.* Nam voces ſunt ſigna conceptus, & notæ
paſſionum animi, *l. Labeo*, §. *idem tu vero, de*
*ſupellect. legat.* gloſſa *in l. nemo.* §. 1. *de hæred inſ-*
*tit.* Ioan. Garc. *de nobilitate, gloſſa.* 1. §. 1. *nu.* 29.
Aym. *conſ.* 20. *numero.* 2. & anima organo vocis
mentem ſuam explicat Innoc. *c. veniens, num.* 30.
*de verb. ſignific.* & vide Luca de Pena, *l. definimus,*
*numer.* 2. & 4. *C. de agricolis, & cenſitis, lib.* 11.

Et dato quod eſſemus in caſu dubio, regula quæ 38
habet, quod eſt ſumenda interpretatio in favorem
hæredis, non procedit contra defunctum, qui eum
inſtituit hæredem. Nam ſi ea præſumptio ſumitur
ex mente conjecturata defuncti, ut minus voluerit
gravare hæredem, non rectè ſumentur, ubi re-
dundaret in præjudicium animæ defuncti. Imo 39
credendum eſt, potius voluiſſe ſibi, & animæ ſuæ
favere, quàm hæredi, ex bene ordinata charitate,
quæ incipit à ſe ipſa, *l. Præſes provinciæ, C. de*
*ſervitur. & aqua.* Et quia magis præſumitur dili- 40
gere animam ſuam quàm hæredem, uxorem, &
cætera omnia, Maſcard. *de probation. concluſ.*
1171. *nu.* 7. & 75.

Et quia ſemper ſumenda eſt interpretatio, quæ 41
favet animæ, tradit Suarez *in proœmio fori, num.*
28. *l. ſunt perſonæ, ff. de religioſis, & ſumpt.*
*funerum.* Ex quibus deducitur optima limitatio ad 42
eam regulam, quæ aſſeritur, quod ſumenda eſt
interpretatio, ut minus cenſeatur hæres gravatus,
ut non procedat in anniverſario. quia redundaret
in præjudicium animæ defuncti.

Sed an in contractibus idem dicendum ſit, 43
difficultas conſiſtit in doctrina Baldi, *in l. divortio.*
§. *quod in anno*, quam dicit eſſe communiter rece-
ptam Barboſa ibi, *num.* 11. *ad finem, & num.* 12.
qui partem negativam tenet in promiſſione facta
per contractum, per *l. eum qui Kalendis.* 41. *in*
*principio. ff. de verb. oblig.* & ſi ut ſolum intelliga-
tur de una præſtatione.

Sed idem puto ſervandum in contractibus quod 44
in ultima voluntate ea ratione, quia contractus
recipiunt interpretationem à mente contrahentium,
*l. non omnis numeratio, ff. ſi certum petatur* & tra-
ditur *deciſ. Genuen.* 63. *num.* 3. & ex intentione
& mente contrahentis, ſeu facientis pro an-
niverſario, eſt quod quotannis celebretur, ut 45
diximus *cap.* 1. *num.* 32. tùm etiam, quia rei qua-
litas demonſtrat agentis intentionem, ut *in l. non*
*Codicillum, C. de teſtamentis*, ubi Baldus & cum
proprietas vocabuli hoc ſuadeat, ut dictum eſt,
non eſt cur non intelligamus anniverſarium relic-
tum per contractum perpetuum debere eſſe, ſiqui- 46
dem quando verba contractus ſunt apta ad com-
prehendendum infinitatem toleratur infinitas in
contractibus *l. ſi ita ſtipulatus.* 56. *ff. de fidejuſſo-*
*ribus.*

Et facit ad hoc, quod tradit Bart. *l. eum qui ita,* 47
§. *qui ita, n.* 3. ubi quod ſi promiſſio in contractu 48
ſit facta pauperi, erit annua & perpetua. Si tamen
in teſtamento ſeu alia diſpoſitione dicat diſponens,
quod aliquid erogetur in die mortis ſuæ, vel ob-
ſequiarum, vel in fine anni, ( *vulgo cabo de anno*
) ſemel tantum fiet: ita tradit Antonius Gomezius.
2. *t. c.* 11. *n.* 48. *in fin.* cum quo finiatur hoc ca-
put tertium.

# CAPUT IV.

## An ex eo quod relinquantur bona cum onere anniverſarii perpetuí pro anima, cenſeatur inductum vinculum majoratus?

### *SUMMARIUM.*

1 *Expenditur*, l. annuam. 6. ff. de annuis leg. *ad hoc quod per ſolam oneris anniverſarii impoſitionem, cenſeatur inductum perpetuum fideicommiſſum.*

2 *Eſſe inductum perpetuum fideicommiſſum, eſt maximum argumentum conſtitutionis majoratus.*

3 *Ex quo anniverſarium inducit perpetuum fideicommiſſum, aliqui viri docti cenſuerunt conſtitutum majoratum.*

4 *Res affectæ onere anniverſarii debent ſervari indiviſibiles propter onus Miſſarum individuum, ſed hoc non eſt præciſè neceſſarium*, num. 29.

5 *Per diviſionem minuuntur res relictæ pro anniverſario, & confunditur onus.*

6 *Conveniens eſt conſervationi anniverſariorum, quod res pro eis celebrandis relictæ, ſerventur indiviſibiles.*

7 *Expenditur conſtitutio Synodalis Archiepiſcopatus Toletani pro individuitate rerum anniverſariorum.*

8 *Unitas eſt ad conſervationem ſubjecti; dualitas ad deſtructionem.*

9 *Si res debet eſſe penes unum, is debet eſſe major.*

10 *Ad meliorem executionem anniverſarii poteſt Epiſcopus facere, ut res anniverſarii ſit penes junum.*

11 *Epiſcopus ſumma ope niti debet, ut anniverſaria impleantur.*

12 *Ut publice intereſt quod familiarum dignitas ſalva ſit, & earum memoria conſervetur: ita etiam intereſt animabus, quod conſerventur anniverſaria, & ſit memoria fundatorum, ut pro eis celebrentur & juventur eorum animæ.*

13 *Subſtitutio facta à teſtatore de duobus antiquioribus de domo ſua cum onere dandi pauperibus, ſingulis menſibus, ſeu annis unum ſtarum frumenti, inducit perpetuum fideicommiſſum in familia teſtatoris.*

14 *Vinculum fideicommiſſi, ita inducitur tacite, ſicut expreſſe.*

15 *Per oneris anniverſarii impoſitionem ſimplicem, non inducitur vinculum majoratus.*

16 *Expenditur l. nihil proponi* 123. *de legat.* 1.

17 *Res cenſeri debet libera & allodialis, non verò majoratus, nec feudalis.*

18 *Per oneris impoſitionem etiam piam non inducitur fideicommiſſum majoriæ.*

19 *Bona feudalia licet ſint affecta onere perpetuo, non ſunt majoratus, nec majori deferuntur, exceptis feudis Ducatus, Marchionatus, & Comitatus.*

20 *Bona feudalia dividuntur inter fagnatos, taliter quod non confundatur ſervitium.*

21 *Argumentum ſumitur ex feudis ad anniverſaria.*

22 *Per ſolam oneris anniverſarii impoſitionem, non inducitur vinculum majoratus, niſi aliis adminiculis poſſit conjecturari voluntatem diſponentium fuiſſe in contrarium.*

23 *Inter fideicommiſſum, & majoratum, multum diſtat.*

24 *Fideicommiſſum in teſtamento ſolum poteſt relinqui; ſecus in contractibus: Majoratus autem teſtamento & contractu fieri poteſt.*

25 *Fideicommiſſarius univerſalis non poteſt propria authoritate fideicommiſſum capere, nec dantur illi actiones utiles, nec directæ, niſi ei fueri reſtituta hereditas, ſecus in majoratibus.*

26 *Majoratus ſucceſſor abſque aliqua prædeceſſoris reſtitutione, poſſeſſionem nanciſcitur.*

27 *Fideicommiſſa diviſibilia ſunt, & plures ſimul in eis ſuccedunt, ſecus in majoratibus.*

28 *Non ſequitur, eſt onus perpetuum, ergo majoratus.*

29 *Non eſt præciſè neceſſarium quod res anniverſarii ſerventur individuæ.*

30 *Dato quod res anniverſarii uni adjudicetur; jubente Epiſcopo, valor rei eſt dividendus inter heredes.*

31 *Intelligitur l. cui fundus, ff. de cond. & demonſtr.*

32 *Conditio ſui natura individua eſt.*

33 *Res ſua natura dividua, ſi in conditione adjiciatur, efficitur individua.*

34 *Ex parte rei cauſatur individuitas.*

35 *Hæredes ejus, qui lite cœpta deceſſit, tenentur unum procuratorem conſtituere, nec unuſquiſque poteſt unum creare.*

36 *Litigans non debet diſtringi per diverſos adverſarios.*

37 *Et eo caſu omnis numerus hæredum, pro una perſona eſt habendus.*

38 *Traditur intellectus ad dict. l. cui fundus.*

39 *Intelligitur conſilium Ancharrani.* 27.

40 *Adjuncta faciunt ut fiat extenſio & declaratio, & quod verbà plura vel pauciora comprehendant.*

41 *Quoties teſtator relinquit bona agnationi, & familiæ, per verba tractum ſucceſſivum denotantia, cenſetur majoratum conſtituere.*

42 *Maxime ſi adeſt dictio*, in perpetuum.

43 *Ex vocatione antiquioris de domo & progenie, cenſetur inductum vinculum majoriæ.*

44 *Si conjecturæ ſumptæ à mente teſtatoris ſint concludendæ, inducunt majoratum.*

45 *Ad quod requiritur, ut tales conjecturæ ſint legis authoritate munitæ.*

46 *Si teſtator profeſſus fuerit ſe velle facere majoratum, & faciat vocationes cum prælatione maſculorum majorum, vel ponat gravamina nominis, & armorum, & alia ſimilia, cenſetur velle inducere majoratum.*

47 *Rejicitur opinio Feliciani defendentis per ſolam oneris anniverſarii impoſitionem induci perpetuum vinculum majoriæ.*

*ANNUAM pecuniam ad ludos civitatis*
*reliquit, quibus præſidere hæredes voluit,* 1
*ſucceſſores hæredum negant ſe debere, quaſi teſtator tamdiu præſtari voluerit, quamdiù præſiderent hæredes: quæro igitur an cum præſidendi mentionem fecerit, ad tempus fideicommiſſum? an perpetuò præſtari voluerit? Modeſtinus reſpondit fideicocommiſſum quotannis in perpetuum reipublicæ præſtandum.* Verba ſunt Juriſconſulti Modeſtini, relata *l. annuam 6. ff. ne annuis legat.* Ex quibus colligitur per ſolam oneris anniverſarii impoſitionem cenſeri inductum perpetuum fideicommiſſum, nec reſtringi ad primum hæredem: quod etiam probat *l. annua* 20 §. *fin. ff. eo titul.* & tene: Riminaldus junior, *conſil.* 297. *num* 15. *volum.* 3. quem refert & ſequitur Petrus Antonius de Petra, *de fideicommiſſis, quæſt.* 3. *num.* 26. *in fine, & eadem quæſt. num.* 141. & agnoſcit idem Alvarus Valaſ-
2 cus, *conſultatione* 82. *numer.* 2. Et ibi quod eſſe inductum perpetuum fideicommiſſum, eſt maximum argumentum conſtitutionis majoratus, &
3 allegat Burgenſem de Paz, *quæſt.* 2. *num.* 114. & Molinam, *lib.* 1. *primog. cap.* 4. inquit, quod ex hoc quod inducit perpetuum fideicommiſſum aliqui viri docti cenſuerunt conſtitutum majoratum, quod etiam tradit Antonius Gama, *deciſ.* 30. ubi refert pluries ſic pronuntiatum in Senatu à graviſſimis viris in multis cauſis, quas enumerat.

4 Et facit pro hoc, quod hujuſmodi res affectæ onere anniverſarii debent ſervari indiviſibiles propter onus Miſſarum individuum, ut argumento *l. cui fundus, ff. de condiction. & demonſtr.* tradit
5 idem Valaſcus, *ubi ſupra, num.* 8. aliàs diminuerentur & confunderentur, *ut in l. communi dividundo ff. communi dividundo*, quam expendit Me-
6 neſius, *l. cum quidam, num.* 24. *de legat.* 2. & ad minus conveniens eſſe conſervationi anniverſariorum aſſerit Flores de Mena *ubi ſupra numero vigeſimo tertio*; & pro ejus conſideratione, adeſt conſtitutio Synodalis Archiepiſcopatus Toletani, inter compilatas à Domino Cardinali Quiroga *conſ-*
7 *tit.* 65. in hæc verba: *Otroſi ordenamos y mandamos, que por quanto de partirſe las heredades atributadas a la Yglеſia y Cabildo y anniverſarios, ſucede que las memorias que ſobre las dichas heredades ſe cargan ſe pierden y viene en olvido, de aqui adelante no ſe partan ni dividan entre los herederos, ſalvo que el un heredero las tenga y pague el tri-*
8 *buto.* Unitas enim eſt ad conſervationem ſubjecti, dualitas ad deſtructionem, Molina *de primogeniis, lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 5.

9 Et ſi apud unum debent remanere, is debet eſſe major, *l. fin. ff. de fide inſtrumentorum.* Et quod
10 Epiſcopus hoc poſſit facere ad meliorem executionem anniverſarii, tradit idem Flores de Mena *ubi ſupra, num.* 47. Debet enim Epiſcopus ſumma ope
11 niti, ut hujuſmodi anniverſaria adimpleantur, & quod à fidelibus pro eis celebrandis relinquitur, accuratè ſolvatur, ut commendat Concil. *ſeſſ.* 35. *in principio*

12 Et facit etiam, quia ſicut publice intereſt, ut familiarum dignitas ſalva ſit, & earum memoria non auferatur, ut *in l.* 1. *ff. de ventre inſpic.* ita etiam intereſt animabus, ut hæ memoriæ, & anniverſaria conſerventur, & ſit memoria fundatorum, ut pro eis celebrentur, ita Concilium Tridentinum, *ſeſſ.* 25. *cap.* 4. *de reformatione*, ubi dum providet Oecumenica Synodus circa commutationem piarum cauſarum, ponit in fine, hæc verba: *Ita tamen, ut eorum ſemper commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ad pios uſus reliquerunt.*

13 Et facit pro hac parte, celebre & famigeratum illud conſilium Ancharrani 27. *ubi num.* 9. *& ſequentibus*, tenet in ſubſtitutione à teſtatore facta de duobus antiquioribus de progenie, & domo ſua, cum onere dandi ſingulis menſibus unum ſtarum, ſive modium frumenti pauperibus, cenſeri inductum fideicommiſſum perpetuum in familia teſtatoris, ad quod proximi ſucceſſive cenſeantur invitati, quod vere eſt vinculum majoratus.

Et facit pro hoc, quod vinculum fideicommiſſi 14
ita inducitur tacitè ex conjecturata mente defuncti, ſicut expreſſe *l. Pamphilo in princip. l. fideicommiſſa* §. *cum eſſet de legat.* 3. *l.* cum proponetur *de legat.* 2. cum ſimilibus, & tenet gloſſ. 1. *verſ. ſi autem l quotiens C. de fideicommiſſis*, quam gloſſam ad hoc ponderat Bartol. *l. filius familias* §. *divi num.* 3. *de legat.* 1. & eam extollit Antonius Gomezius *l.* 40. *Taur. numero* 38. & Molin. *liber.* 1. *de primogeniis, cap.* 6. *num.* 33. quo argumento utitur Valaſcus *conſultation.* 82. *num.* 2. & 3. & poſt eum eo argumento etiam utitur Flores de Mena *quæſt.* 18. *n.* 19. ubi habes bonam theoricam ad hoc, quod ex conjecturis inducantur fideicommiſſum, & majoratus.

Sed contrarium, imò, quod per oneris anniver- 15
ſarii impoſitionem ſimplicem non inducatur vinculum majoratus, tradunt Alvarus Valaſcus *conſultatione* 82. *num.* 6. *& ſequentibus*, Gama *deciſ.* 40. *& deciſ* 48. *& deciſ.* 224. *num.* 8. *& deciſ.* 286. *ex num.* 1. tradit Flores de Mena *d. quæſt.* 18. *num.* 46. Salazar *de uſu, & conſuetudine, cap.* 12. *num.* 43. & alii inferius allegandi.

Pro quo facit *l. nihil proponi* 123. *de legat.* 1. 16
ubi res ſuper qua relinquitur anniverſarium, non prohibetur alienari, ſalvo onere tradit Didacus del Caſtillo *l.* 74. *Taur. verſic. ex his etiam*, ubi inquit, ſe reprehendiſſe clericos, qui nitebantur petere per commiſſum fundum venditum, ſuper quo erat relictum anniverſarium perpetuum ipſis clericis, & Speculator *titul. de emphyteoſi* §. *nunc aliqua, quæſtion.* 118. *num.* 144. & ibi Ioannes Andr. Jaſ. *l.* 2. *num.* 45. *C. de jure emphyt.* ubi Additionator Menochius alios refert.

Facit etiam, quia res cenſeri debet libera, & 17
allodialis, non vero majoricatus, nec feudalis, *cap.* 1. §. 2. *ſi de feudo fuerit controverſia inter dom. & agnat.* Stephanus Ranchinus *deciſione* 107. 3. *part.* Burgos de Paz, *quæſt.* 2. *num.* 7. ubi plures refert, & dicit eſſe communem opinionem, & in terminis majoratus: Rodericus Suarez *l. quoniam in prioribus C. de inofficioſo teſtamento ad l. Regiam limitatione* 11. *column.* 6. *verſ. ſed ubi aliquis*, Molina *libr.* 1. *de primogen. cap.* 11. *num.* 11. & Mieres *de majorat.* 3. *part. qu.* 5. *n.* 20.

Et facit pro hac parte famoſum conſilium Oldrad. 18
21. ubi per oneris impoſitionem, etiam piam, (quia erat dotandi filias ex maſculis deſcendentes) reſolvit, non induci fideicommiſſum, quod communiter recipitur, ut teſtatur. Menoch. *conſil.* 85. *numero* 46. *vol.* 1. ubi plures Doctores refert, & ibi, *num.* 124. reſpondet *ad conſil.* 27. Ancharrani Antonius Gabr. *libr.* 4. *communium concluſion. titul. de fideicommiſſ. concluſione* 7.

Pro quo etiam facit, quod bona feudalia, quæ 19
ſunt affecta onere perpetuo, non ſunt majoratus, nec majori deferuntur jure primogenituræ, exceptis feudis Ducatus, Marchionatus, & Comitatus, ut tradit Iſernia, *cap.* 1. §. *præterea Ducatus, cum ſequentibus, num.* 35. *ne prohibita feudi alien.* per Federicum, ubi *n.* 36. Quod dividentur inter agna- 20
tos, taliter, quod non confundatur ſervitium, cum bona feudi dividantur, ut *in cap.* 1. de ſucceſſione feudi in uſibus feudorum, quæ eſt una de differentiis, quam ponit inter feudum, & majoratum Parladorus 3. *part. differentia* 105. *num.* 2. tradit Bartol. Socin. *conſ.* 165. *num.* 15. *volum.* 2. Cornelius

*conſil.*

*conſil.* 199. *num.* 47. *vol.* 2. Rodericus Suarez *l.*
*poſt rem in* 11. *limitatione dubio* 2. quos & alios plu-
res refert Flores de Mena *dict. qu.* 18. *num.* 12.
21 Ubi argumentatur ex feudis ad anniverſaria. Con-
22 cludendum igitur eſt per ſolam oneris impoſitio-
nem non induci vinculum majoratus, niſi aliis ad-
miniculis efficacioribus poſſit conjecturari, quod
voluntas diſponentis fuit, quod bona anniverſarii
jure primogenituræ deferrentur.

23 Neque obſtant adducta pro contraria parte, &
in primis non obſtat *l. annum*, quia non ex eo,
quod per oneris impoſitionem inducatur perpetu-
um fideicommiſſum, ſequitur, quod eſt majora-
tus, cum inter fideicommiſſum, & majoratum
multum diſtet, ut tradit Parladorus 3. *part. diffe-*
24 *rentia* 18. Ubi ponit duas differentias, quarum
altera eſt, quod fideicommiſſum ſolum in teſta-
mento, & codicillis poteſt relinqui: in contractu
ſecus *l. ſi quis quæſt.* 60. *de legat* ubi omnes.
Majoratus autem teſtamento, & contractu
25 fieri poteſt, ut *in l.* 44. *Taur.* quæ hodie eſt *l.* 4.
*tit.* 7. *libr.* 5. *Recopil.* Altera eſt quod fideicom-
miſſarius (univerſalis ſaltim) non poteſt propria
26 authoritate fideicommiſſum capere, neque dantur
illi actiones utiles, nec directæ, niſi ei fuerit reſti-
tuta hæreditas re, aut verbo, *l.* 1. *ff. ad. Trebel-*
*lian* Majoratus autem ſucceſſor abſque aliqua de-
ceſſoris reſtitutione, majoratus, poſſeſſionemque
ejus nanciſcitur, ut *in l.* 45. *Taur.* hodie, *l.* 18.
*titul.* 7. *libr.* 5. *Recopil.* Quas differentias ponit Pe-
ralt. *l.* 3. §. *qui fideicommiſſum*, *num.* 27. *ff de hæ-*
*red. inſtit.* Molina *lib.* 1. *de primogen. cap.* 1. *n.* 16. *&*
*cap.* 4. & alias tradit Joannes Garcia *de expenſis*
27 *cap.* 16. *num.* 3. Spino *de teſtamentis gloſſ.* 27. *num.*
42. Simancas *diſputationum cap.* 5.

Sed extra poſitas à Parladoro eſt alia, quæ plus
conducit ad noſtrum propoſitum, nempe, quod
fideicommiſſa diviſibilia ſunt, & non ſolum unus,
& major, ſed & plures ejuſdem gradus in eis ſuc-
cedunt *l. cum ita* §. *in fideicommiſſo de legat* 2. ibi:
*Et qui ex his primo loco procreati ſunt*, & *l. peto* §.
*fratre*, ibi *Omnes fideicommiſſum petent, qui in*
*familia fuerint.* Et ibi: *Quid ergo ſi non ſunt juſdem*
*gradus*: at majoratus non ſunt diviſibiles, ſed ma-
jori deferuntur. Atque ita differre à fideicommiſſis
tradit Molina *libr.* 1 *de primogen. cap.* 1. *& cap.*
26. *num.* 14. *& ſequitur*, Covarru. *libr.* 3. *varia-*
28 *rum cap.* 4. Qua differentia ſtante, non obeſt dict.
*l. annuam*, cum multipliciter poſſit onus rei ac-
cedere, abſque eo, quod ſit majoratus, nam &
cenſus eſt onus perpetuum, & non eſt majoratus,
ut tradit Alvarus Valaſcus *dict. conſultatione* 82.
*num* 9. Quæ loquitur in noſtris terminis impoſitio-
nis anniverſarii, diſtabit autem hoc anniverſarii
onus ſimpliciter poſitum, vel cum fideicommiſſo
familiæ relicto in eo, quod in primo res affecta
onere anniverſarii poteſt vendi, & etiam relinqui
extraneo, ut *in l. nihil proponi de legat.* 1. ubi au-
29 tem fuerit poſita cum fideicommiſſo familiæ, non
poterit relinqui extra familiam.

Neque obſtat, quod res affectæ onere anniver-
ſarii debent ſervari individuæ, ratione oneris ad-
juncti, quia licet (ut diximus *ſupra num.* 10.) ſi
Epiſcopus viderit expedire ad meliorem executio-
30 nem anniverſarii, poſſit facere, non tamen præciſè
eſt neceſſarium, ſed poteſt dividi inter plures ſalvo
onere Et dato, quod uni adjudicetur, valor rei
eſt dividendus inter hæredes, ut *in l. communi di-*
*vidundo ff. communi dividundo*, ut in ſimili tradit
Meneſius *l. cum quidam num.* 24. *de legat* 2. fit
quotidie in officiis Decurionatus, Tabellionatus, &
ſimiliũ, quæ debent eſſe penes unum, & tamen valor
ſeu commoditas illorum dividitur inter cohæredes. 31

Neque obſtat *l. cui fundus ff. de condition. &*
*demonſtrat.* inquit enim text. *in finalibus verbis:*
*in eo vero, quod uni ſub conditione legatum eſt,*
*ſcindi ex accidente conditio non debet, & omnis*
*numerus eorum qui in locum ejus ſubſtituuntur pro*
*ſingulari perſona eſt habendus*: quæ verba ſatis nota-
bilia ſunt, & ex eis colligunt Doctores, quod 32
oneris impoſitio individuitatem inducit, ſed illud
procedit interim, quod conditio adimpletur, quæ
ſui natura individua eſt. Aymon *conſ.* 323. *num.*
152. Tiraquel. *de retract. lignag. gloſſ.* 21. §. 1.
*num.* 13. In tantum, quod ſi materia ſua natura 33
dividua eſt, ſi in conditione adjiciatur, efficitur
individua, ut tradit Sarmiento *libr.* 2. *ſelectarum*,
*capit.* 1. *numer.* 7. *ad fin.* ut in caſu dict. *l. cui fun-*
*dus*, ubi nec præſtatio pecuniæ admittitur pro par-
te, licet diviſibilis ſit quantitas, nec fundus pro 34
parte datur. Sic etiam ex parte rei poteſt cauſari
individuitas, exemplum habes, quando lite cœpta
moritur unus ex litigantibus hæredibus, nam eo
caſu omnes tenentur unum procuratorem conſtitu- 35
ere. Nec unuſquiſque poteſt ſibi unum creare, ut
tradit Paulus (per *dict. l. cui fundus*) *l. ſi quis cum* 36
*procuratorio* §. *unius ff. de procurator.* Et hoc ne
litigans per diverſos adverſarios diſtingua tur con-
tra *l.* 1. *in fin. cum l. ſequent. ff. de exercit. action.* Soci-
nus Junior *conſ.* 71. *num.* 14. *&* 15. *&* 18. *volumin.* 4.
Atque ita omnis numerus hære dũ quo ad hoc pro 37
una perſona eſt habendus, ut dicit dict. *l. cui fundus.*

Neque intelligas, quod ibi text. loquitur in hæ-
redibus legatarii, quia legatum conditionale ad hæ- 38
redes non tranſit ex vulgara *l. unica* §. *ſin autem*,
*C. de caducis tollend.* nam ibi Juriconſultus ſolum
ponit doctrinam, nullum tamen tradit exem-
plum particulare; & ſic procedit ejus deciſio
per viam regulæ, ut intelligit Barboſa *l. ſi mora*,
*numero* 77. *ff. ſolut. matrimonio*, ubi quod dictæ
legi cui fundus poſſunt aſſignari exempla, atten-
tis juris principiis, ſine aliqua divinatione,
præſupponendo terminos habiles, argumento
*l. qui teſtamento* §. 1. *ff. de teſtamentis.* Et ſic
poteſt, imò debet intelligi dict *l. cui fundus* in
his in quos legatarius ceſſit, vel alienavit jus ſuum,
qui ſubrogantur in ejus locum, & non poſſunt con-
ditionem dividere, & non in hæredibus, ut pulchrè
intelligit Socinus Junior *l.* 4. §. *Cato numero* 1484.
*verſiculo*, ſed ſalvando, de verborum obligatio-
nibus, quem ſequitur Barboſa, ubi ſupra, ubi
etiam relativè ponit alia exempla: & hic eſt verus
intellectus *d. l. cui fundus*, rejectus traditis à Bartol.
ibi, & Peralta *l. neminem num.* 6. *ff. de legat.* 2.

Nec obſtat conſilium Ancharrani 27. cui reſpon- 39
det Alvarus Valaſcus *dict. conſultatione* 82. *num.* 9.
*in fine*, quod ſolum ibi Ancharranus ait cenſeri in-
ductam fideicommiſſum in familia, non tamen
quod inducatur majoratus, quod non convenit,
nam Ancharranus inquit, quod vocati cenſentur or-
dine ſucceſſivo gradatim. Quare die, quod ibi ul-
tra impoſitionem oneris alia adfuerunt, ex quibus
potuit colligi evidenter, & legitimè, quod teſta-
tor voluit inducere fideicommiſſum in familia, ad
quod deſcendentes invitarentur ſucceſſivo ordine,
nam ultra oneris impoſitionem fuit habitus reſpec-
tus ad agnationem, & conſervationem familiæ, vo-
cavit enim antiquiores numero plurali, & ſic non
cenſentur



cenſentur ſe reſtringere ad primos, ſed etiam ex-
tendere voluntatem ſuam ad ulteriores, ſubſtitu-
endo alios de familia, mortuis primis, Aymon *con-*
*ſilio* 161. *num.* 9. ex ea namque vocatione ſumitur
conjectura majoratus, alios referens tradit, ſequendo
Ancharranum Hippolytus Riminaldus *conſilio* 23.
*numero* 51. *volumine* 1. idem tenet plures citans Mo-
lina *libro* 1. *de primogen. cap.* 5. *num.* 19. vocavit
inſuper teſtator antiquiores de domo, & progenie
ſua de Calcagnis in perpetuum, quod colligitur ex
adjuncto onere, quod in perpetuum darent ſingulis
menſibus unum ſtarum frumenti pauperibus, ex
40 adjunctis enim fit extenſio, & declaratio, ut ver-
ba plura, vel pauciora comprehendant, ut tradit
plures referẽs Hieronymus Gabriel *cõſilio* 16. *n.* 14.
Alexand. Raudenſ. *conſilio* 30. *numero* 29. Afflictis
41 *deciſione* 3. *numero* 4. Et quotiens teſtator relinquit
bona propriæ agnationi, & familiæ per verba trac-
tum ſucceſſivum denotantia, cenſetur majoratum
inſtituere, Molina *libro* 1. *de primogeniis*, *capite*
42 3 *numero* 23. Maximè ubi adeſt dictio, in perpe-
tuum, ex cujus natura ſumitur conjectura majora-
tus, ut tradit ibi Molina *numero.* 35. Et relati per
nos *cap.* 3. *numero* 10. *&* 11. Vocavitque anti-
quiores de domo, & progenie incertos, per quæ
43 verba cenſetur inducere vinculum majoratus in
familia juxta ea, quæ tradit Peralta *l. cum ita le-*
*gatur* §. *in fideicommiſſo numero* 15. ubi de verbo,
proſapia, parentela, domo, genere, & aliis,
quem refert, & ſequitur Molina *lib.* 1. *de primo-*
*gen. capit.* 5. *numero* 25. Omnia hæc ſuadent, ut
credatur, in caſunquem ponit Ancharran. non eſſe
reſtrictum fideicommiſſum ad primos ancianos,
quos ſi nominaſſet, ſecus eſſet, ut tradit Petra *de*
*fideicommiſſis quæſtione* 5. *numero* 76. *in fine*, Bur-
gos de Paz *quæſtione* 1. *numero.* 9. Joannes Bota
*conſilio* 50. *numero* 76. ubi quod onus dotandi
reſtringitur ad perſonas expreſſas, & ita intelligi
debet Oldradi *conſilium* 21. Stantibus itaque iis
fortiſſimis conjecturis, quid mirum ſi majoratus
inducatur in rebus relictis cum onere anniverſarii,
eo enim caſu cum ultra anniverſarii onus ſint
aliæ conjecturæ, neceſſario fatendum eſt induci
majoratum, ut in terminis anniverſarii tradit Valaſ-
cus *conſultatione* 82. *numero* 3. Cabedo *deciſione*
96. *num.* 1. 1. *part.* & Menochius *lib.* 4. *præſum-*
*ptione* 79. *n.* 71. Curtius Jun. *conſ.* 8. *num.* 8.

44 Neque obſtat, quod majoratus inducitur ex
conjecturis ſumptis à mente teſtatoris, quia illud
verum eſt, ſi conjecturæ ſint neceſſario conclu-
dentes, urgentes, & multum probabiles, ut de-
clarat Jaſ. *l. vel. ſingulis ff. de vulgar.* Julius Clarus
*receptarum ſententiarum*, §. *teſtamentum quæſtione*
76. Joannes Bota *conſilio.* 50. *numero* 98. Antonius
Peregrinus *de fideicommiſſis*, *articulo* 11. *numero*
45 43. Imò debent eſſe conjecturæ legis auctoritate
munitæ, ut tradit ibi *num.* 44. Joannes Bota *dict.*
*conſilio* 30. *num* 72.

46 Quando autem conditor anniverſarii, vel pro-
feſſus fuerit, ſe velle facere majoratum, vel tales
faciat vocationes maſculorum majorum cum præ-
latione fœminarum, vel ponat gravamina, ut no-
minis, & armorum, & alia, ex quibus poſſit
clare colligi voluiſſe, primogenium conſtituere,
bona anniverſarii deferrentur jure materiæ, nam
quæ alias ſunt conjecturæ ſufficientes ad inducen-
dum majoratum, non debent minui, imo augeri
per oneris anniverſarii impoſitionem, quod qui-
dem perpetuitati juvat, ut ponderat Matthæus
Gribaldus *conſil.* 40. inter conſilia Jacobi Philippi
Portii *num.* 13. & alii quos retulimus *ſupra num.*
43. *in fine.*

Poſt hæc ſcripta vidi Doctorem Fœlicianum, 47
qui *in appendice ad librum ſecundum de cenſibus*
*capite* 3. *numero* 19. nititur defendere per ſolam
oneris anniverſarii impoſitionem induci vinculum
majoriæ, à cujus opinione, ſalva ipſius doctiſſimi
viri pace, diſſentior, inhærendo contrariæ reſolu-
tioni, per jura, & rationes, de quibus ſupra: &
hanc noſtram opinionem jam ſæpiùs vidi practi-
cari.

## CAPUT V.

### An ſi anniverſarium relinquatur cum clauſulis inducentibus majoratum, ejus ſucceſſio reguletur legibus majoratuum?

*SUMMARIUM.*

1 *De ſimilibus idem eſt judicium.*
2 *Caſus quos nectit paritas æquitatis, & identitas rationis, non ſunt, quoad juris diſpoſitionem ſeparandi.*
3 *Nec parium debèt eſſe diſpar ratio.*
4 *Sufficit, quod ſimilitudo rationis verſetur in eo, de quo agitur, licet in aliis non ſit convenientia.*
5 *Ob identitatem rationis diſpoſitio de ſervis, intelligitur de filiis.*
6 *Quando adeſt eadem ratio in pluribus caſibus, illa decidit omnes caſus, & non per extenſionem, ſed propriè.*
7 *Sicut genus comprehendit ſuas ſpecies, ita generalis ratio comprehendit diverſas ſpecies caſuum emergentium.*
8 *Quando in ãniverſario adfuerint clauſulæ majoratuum, habebunt locum in bonis anniverſariorum, & ejus ſucceſſione diſpoſita in bonis, & ſucceſſione majoratuum.*
9 *Diſpoſitum l.* 40. Tauri *circa repræſentationem majoratus, habet locum in iis anniverſariis.*
10 *Diſpoſitio l.* 41. Tauri *circa probationem majoratus, habet locum in anniverſariis.*
11 Lex 45. Tauri *quæ diſponit circa tranſmiſſionem poſſeſſionis civilis, & naturalis, abſq; apprehenſionis actu, habet locum in anniverſariis.*
12 Lex 46. Tauri *diſponens circa refectas in domibus majoratuum, ſervabitur in bonis anniverſariorum.*
13 Lex. 7. tit. 7. lib. 5. Recop. *quæ dividit majoratus junctos per matrimonium, ſi excedant ſummam in ea lege prætaxatam, habet locum in his anniverſariis.*
14 Lex. 7. tit. 8. libr. 5. Recop. *& ejus deciſio non procedit extra caſum matrimonii, in quo loquitur, & caſus ſucceſſionis, & cæteri, veluti omiſſi ſunt judicandi per jus commune, & juxta teſtatorum diſpoſitiones.*
15 *Expenditur* l. ſi vero §. de vieo ff. ſolut. matrimonio,
16 *Proviſio legis contra jus commune non extenditur ultra expreſſum in lege, cum correctoria non extendantur etiam ex majoritate rationis.*

17 Leges

17 *Leges correctivæ non ſunt extendendæ ad caſum in verbis legis non comprehenſum, etiam ex majoritate rationis.*

18 *Quod non mutatur, ſtare non prohibetur.*

19 *Dicta lex ſeptima eſt inductiva pœnæ, quia inducit privationem ſucceſſionis, & privatio juris eſt pœna.*

20 *Cum privatio juris ſit pœna, non inducitur niſi per verba expreſſa legis.*

21 *In pœnalibus non licet arguere à ſimili.*

22 *Dicta l. ſeptima eſt correctoria, & pœnalis ſimul, quia privat ſucceſſione, quæ jure defertur, & ſic non eſt extendenda ex identitate rationis.*

23 *Jaſon auſus fuit affirmare hoc procedere, etiam quod ſit ratio ſcripta in lege.*

24 *Sed ab eo diſſentit Abbas Alfonſus Villagut, tenens extenſionem faciendam ex ratione ſcripta in lege correctoria, & pœnali ſimul.*

25 *Si ultra rationem expreſſam in l. eſſet alia, vel major ratio non ſcripta in l. quæ ſuaderet extenſionem non eſſe faciendam propter diverſitatem rationis, non eſt facienda extenſio.*

26 *Traditur ratio, quæ militat in caſu matrimonii, quæ non militat in caſu ſucceſſionis.*

27 *Quoties lex ſe reſtringit ad unum caſum, videtur cæteros excludere.*

28 *Quod ſine dubio procedit ſtante diſſimilitudine caſuum.*

29 *Si ſucceſſor majoratus machinatus fuerit in mortem prædeceſſoris, arcetur à ſucceſſione, ne ex delicto, & dolo commodum reportet.*

30 *Subſtitutus non admittitur ſi occidat inſtitutum, nec fideicommiſſarius occidens eum, cui erat injunctum fideicommiſſum.*

31 *Si frater occidat fratrem, non ſuccedit in feudo.*

32 *Limita præcedentia, ut non procedant, ſi ſucceſſor occidat poſſeſſorem ad defenſionem ſui conſanguinei, nam tunc non privabitur ſucceſſione.*

33 *Parladorius reprehendit noſtrates, eo quod omiſerint tractare an d. l. ſeptima habeat locum in caſu ſucceſſionis, cum non viderit Doctorem Mieres, & inquit d. l. caſum ſucceſſionis comprehendere.*

34 *Quando quæſtio eſt ardua, non eſt congruum latiori diſputare ſermone, cum non ſit ſuperfluum, per quod clarius quid exprimitur.*

35 *Verba ſatis dicuntur operari, quando tollunt dubitationem.*

36 *Caſus quibus diſpoſitio d. l. 7. habebit locum ſi majoratus jungantur per ſucceſſionem ex præambulo matrimonio.*

37 *Ex modo ſuccedendi aliquibus annis, cenſentur bona vinculata.*

38 *Longa obſervantia facit præſumere, quod fuerit plus dictum, & minus ſcripum.*

39 *Non ſunt mutanda, quæ interpretationem certam ſemper habuerunt.*

40 *Stante conſuetudine generali, quod in omnibus anniverſariis ſuccedatur jure majoriæ, ea eſt ſervanda.*

41 *Si diu ſucceſſum eſt in bonis anniverſarii jure primogenituræ, probata immemoriali juxta modum præſcriptum* l. 41. Tauri *ſervabitur in eis diſpoſitio illius legis.*

42 *Idem procedit in anniverſariis parvis, ut unius domus, vel fundi, licet de hoc dubitet Salazar.*

43 *Majoratus poteſt conſtitui in qualibet re, & à quolibet etiam ignobili, licet dignitas ſit.*

44 *Quilibet poteſt apponere rei ſuæ onus reale, & ordinarium, in toto patrimonio, & in parte.*

45 *Si adeſt memoria ſeu principium corruit immemorialis.*

46 *In verbis diſpoſitionis anniverſarii declaratio ſumitur ex conſuetudine ſuccedendi per decennium, ut in poſterum ita ſervetur.*

47 *Licet alias ad præſcribendum in bonis majoratus requiratur tempus immemoriale, in hoc caſu, cum non de præſcriptione, ſed de interpretatione agatur, ſufficiunt decem anni.*

48 *Obſervantia ſubſequuta in omni materia declarat actum præcedentem.*

49 *Et ad id non requiritur, quod obſevantia ſit præſcripta, ſed ſufficiunt duo, vel tres actus, etiam minori tempore decem annorum.*

50 *Beneficium edicti Carboniani, competens pupillis, datur eis petentibus majoratus poſſeſſionem, quæſtio ſtatus, ſeu illegitimatis objiciatur, & itidem datur in anniverſariis.*

51 *Beneficium Carboniani non datur quæſtio bonorum,*

52 *Quando lex unum diſponit, & aliud præſuppoñit, non habet locum legis diſpoſitio, niſi verificetur præſuppoſitum, & verba, quæ ſupponunt nihil diſponunt.*

53 *Beneficium Carbonianum eſt exorbitans à jure communi, & ſic reſtringendum ad caſum in quo loquitur.*

54 *Expenditur* l. 2. tit. 14. part. *6.*

55 *Dictio, tales, eſt limitativa, & reſtrictiva.*

56 *Dictio, como, Latine, ſicut eſt ſimilitudinaria.*

57 *Cauſa totius patrimonii, vel majoris partis, æquiparatur cauſæ capitali.*

58 *Dictio, eſtos, requirit omnimodam ſimilitudinem & identitatem.*

59 *Pronomen hic, hæc, hoc, eſt demonſtrativum ad oculum.*

60 *Dictiones plures ſi concurrant in aliqua oratione, quælibet illarum ſervat ſuam propriam naturam de per ſe.*

61 *Virtute facultatis ad faciendum majoratum, poterit quis anniverſarium facere in forma majoniæ.*

62 *Obtenta facultate ad faciendum majoratum cum anniverſario in uno ex filiis, poterit quis facere, ſi unicum filium habeat.*

63 *Pluralis locutio, licet ex ſui natura plurium requirat concurſum, & ſecundum aliquos pluſquam duorum, tamen ſi in uno ſit eadem ratio, in uno verificatur pluralitas.*

64 *Diſpoſitio plurali locutione concepta de filiis, verificatur in uno, etiam ſi diſpoſitivè vocentur, contra Bartolum, ſequaces.*

65 *Quod de pluribus dicitur de uno dicendum eſt.*

66 *Hæres rogatus reſtituere agnatis quibus volet, poteſt uni tantum ex pluribus reſtituere.*

67 *Vocatis proximioribus agnatis, ſi unus tantum proximior ſit, admittitur.*

68 *Bona eſt conſequentia, voluit teſtator plures habere, ergo unum ex pluribus.*

69 *Intelligitur text.* in l. fin. ff. ad Trebel. *& Bart, ibi.*

70 *Pluralitas convertitur in ſingularitates.*

71 *Facilius Princeps concederet facultatem, ſi impetrans expreſſiſſet unicum filium habere, & quare.*

72 *Non abſumitur, quod in corpore patrimonii retinetur.*

73 *Legitima non privatur filius, cui relinquitur vinculata in majoratu.*



74 *In impetratione facultatis, non eſt neceſſarium, facere expreſſionem liberorum.*

75 *Quemadmodum in majoratibus filia major excluditur à maſculo minore, ita & in anniverſariis, licet contrarium teneat Salazar.*

76 *Salazar reprehendit Doctorem Mieres, dicens, extitiſſe ſibi contrarium.*

77 *Fœmina eſt capax juriſpatronatus, & ſucceſſionis anniverſariorum, & poteſt eſſe exequutrix teſtamenti.*

78 *Ubi agnatio non eſt conſervanda, fœminæ non cenſentur excluſæ.*

79 *Fœminæ ſolent melius adimplere juſſa pia, cum ſint maſculis devotiores.*

80 *Quoties bona, lege, vel conſuetudine deferuntur primogenito, maſculus etiam minor eſt præferendus.*

81 *Idem erit ſi ex contractu bona primogenito deferantur.*

82 *Parentes plus diligunt primogenitos maſculos.*

83 *In re uni adjudicanda, maſculus præfertur fœminæ.*

84 *In multis fœminæ ſunt deterioris conditionis quam maſculi.*

85 *In fœminis non ita eſt recta, & exacta adminiſtratio, ſicut in maſculis.*

86 *Fœminæ ſunt fragilis conſilii, & contra propria commoda ſapè laborant.*

87 *In anniverſariis, quæ deferuntur jure majoratus, præfertur maſculus minor fœminæ majori.*

88 *Familia conſervatur per maſculos, & deſtruitur per fœminæ ſucceſſionem, cum ipſa ſit finis familiæ.*

89 *Soror dicitur quaſi ſeorſim naſcatur, quia ſeparatur à domo, & in aliam familiam transfertur.*

90 *Movetur quæſtio, quare familia plus conſervetur per ſucceſſionem maſculorum, ſiquidem filiatio reſpectu matris eſt indubitabilis, reſpectu autem patris incerta, & præſumptiva ſolum.*

91 *Familia, & ſucceſſio generis proprius conſervatur per ſucceſſionem maſculorum.*

92 *Ad generationem (ex teſtimonio medicorum) non requiritur, quod fœmina concurrat cum maſculo, niſi ſolum, paſſive.*

93 *Frigiditas ex parte mulieris ob quam non ſeminet, non impediet matrimonium.*

94 *Affinitas cauſatur ex eo ſolo, quod vir ſeminaverit intra clauſtra pudoris fœminæ, licet ipſa non ſeminet.*

95 *Licet ſecundum plurium opinionem, fœmineum ſemen non ſit præciſè neceſſarium ad generationem, non ex eo ſequitur, quod mulier non generat.*

1 *NON poſſunt omnes articuli ſigillatim, aut
legibus aut Senatuſ conſultis comprehendi, ſed cum in aliquo caſu ſententia eorum
manifeſta eſt, is qui juriſdictioni præeſt, ad
ſimilia procedere debet, atque ita jus dicere:* verba ſunt Jul. *lib.* 15. *digeſtorum* relata *l. non poſſunt
ff. de legibus*, quæ innuunt de ſimilibus idem
eſſe judicium. Cum caſus quos nectit paritas
2 æquitatis, & identitas rationis non ſint quo ad
juris diſpoſitionem ſeparandi, vulgaris eſt text.
*in l. illud ff. ad l. Aquiliam l.* §. *hoc interdictum*
3 *ff. de fonte l. nam ut Pedius ff. de legibus.* Parium
enim non debet eſſe diſpar ratio, Baldus *l. mulier
C. de ſponſalibus*, Math. de Afflict. *c.* 1. *in princ.
n.* 102. *de pace juramento firmanda* Menoch. *libr.*
2. *de arbitrar. centuria* 1. *caſu* 84. *per totum.* Præ-
4 cipuè *num.* 8. ubi quod ſufficit ſimilitudo rationis
in eo, de quo agitur, licet in aliis non ſit
couvenientia, quod etiam tenet gloſſa *in
l. ſi quis ſervo. verbo corrumpi C. de furtis*,
ubi diſpoſitionem de ſervis intelligit de filiis Ri- 5
pa, & alii, quos refert Brunorus à ſole in
compendio, verbo argumentum à ſimilitudine,
& quando adeſt eadem ratio in pluribus caſibus, il- 6
la decidit omnes caſus, & non per extenſionem,
ſed propè, ut tradit Hieronym. à Laurentiis, repetitione *l. ſi emancipati, q.* 5. *n.* 54. *de collationi-
bus* Surdus, *conſil.* 302. *n.* 22. *volum.* 3. Quia ſi- 7
cut genus comprehenditi ſuas ſpecies *l. ſi quid earum* §. *inter. de legat.* 3. *l. ſemper generalibus ff. de
regulis juris*, ita generalis ratio comprehendit diverſas ſpecies caſuum emergentium.

Et cum anniverſarium ex rationibus, & cauſis, 8
de quibus præcedenti capite, numero 46. adſimiletur majoratui, procedent, & habebunt locum in
bonis anniverſarii, & ejus ſucceſſione diſpoſita in
bonis, & ſucceſſione majoratus, tradit Alvaradus
de conjecturata mente defuncti, *libro* 2. *capite* 3.
§. 3. *numero* 13. Velazque *l.* 40. *Tauri*, *gloſſa* 2.
*numero* 42. & Azevedus *in rubrica tituli* 7. *de los
mayorazgos*, *numero* 7. *libro* 5. *Recopilat.*

Et ſic diſpoſitum *l.* 40. *Tauri* circa repræſenta- 9
tionem majoratus habet locum, & in his anniverſariis, ut in terminis tradunt Anto. Gomez. *l.* 40.
*Tau. nu.* 65. *in fine*, & Molina, *lib.* 3. *primogeniorum*, *capit* 7. *num.* 17. Matienço *l.* 7. *titulo* 7.
*libro* 5. *Recopil. gloſſa* 1. Peralta *in rubrica de hæred.
inſt. numer.* 123.

Sic diſpoſita. *l.* 41. *Tauri* circa probationem 10
majoratus habent locum iu anniverſariis, Caſtellus *dict. l.* 42. *Taur. verbo*, *Coſtumbre*, Salazar *de
uſu*, *& conſuetudine. c.* 12. *numero.* 77.

Sic diſpoſitio. *l.* 45. *Tauri* circa tranſmiſſionem 11
poſſeſſionis civilis, & naturalis, abſque apprehenſionis actu, habet locum iu anniverſariis, Padilla *in rubrica de fideicommiſſis*, *numer.* 9. Mieres.
3. *part. de majoratibus*, *quæſtione.* 1. Gutierrez *libro.* 3. *practicarum quæſtione* 86. *numero* 2.

Sic deciſio *legis* 46. *Tauri* de refectionibus factis 12
in domibus majoratus, ut non recuperentur à ſucceſſoribus, ſervabitur in bonis anniverſariorum,
tradit Joannes Garcia *de expenſis capit.* 13. *numer.*
46. *& de conjugali quæſtu*, *numer.* 89. Mieres *de
majorat.* 1. *part. quæſt.* 10. *numero.* 21. Meneſius
*rubrica de fideicommiſſis*, *numer.* 10. Burgos de Paz
*quæſt.* 6. *numer.* 46. Molina *libro.* 1. *de primogen.
cap.* 7. *numero.* 11. *ad fin. & capit.* 1. *numer.*
26. *&* 27.

Sic diſpoſitum. *l.* 7. *titul.* 7. *lib* 5. *Recopil.* circa 13
diviſionem majoratuum, qui per matrimonium
juncti fuere, habet locum in iis anniverſariis: ſed
an ea diviſio reſtringenda ſit ad majoratus junctos
per matrimonium, vel etiam procedat, ſi per ſucceſſionem jungantur. Et Mieres *de majorat.* 1. 14
*part. quæſt.* 10. *numer. fin.* in ea eſt ſententia, ut
dictæ legis deciſio non procedat extra caſum matrimonii in quo loquitur, & quod cæteri caſus, veluti omiſſi, ſunt judicandi per jus commune, &
juxta teſtatorum diſpoſitiones, & licet nihil allegaverit pro ejus vera ſententia faciunt plura.

Et in primis eſt text. *in l. ſi vero* §. *de viro ff. ſo- 15
lut. matrim.* ubi cum lex tantum loquatur de ſocero, de ſucceſſoribuſque ſoceri, nihil in lege ſcriptum ſit, eos Labeo quaſi omiſſos adnotat. Et ſic
cum *in dict. l. Regia* nullum verbum de accumulatione majoratuum per ſucceſſionem invenitur,

caſus ſucceſſionis pro omiſſo haberi debet, juxta communem regulam.

16 Pro quo etiam facit, quod proviſio legis contra jus commune non extenditur ultra illud, quod lex exprimit; lex namque correctoria non extenditur ex identitate, & quæ etiam ex majoritate rationis. Authentica quas actiones, ubi Bartol. & omnes. *C. de ſacroſanct. Eccleſ.* & Jaſ ibi *numer.* 21. *verſicul.* ſit firma regula, & Paulo ante in eodem numero dicit communem eſſe opinionem, eandem tenet Imola *conſil.*64. Aretinus *conſil.* 27. *verſic. non obſtat quod melior*, Corneus
17 *conſil.* 271. *num.* 8. *&* 9. Ubi quod leges correctoriæ non ſunt extendendæ ad caſum in verbis legis non comprehenſum, etiam ex majoritate rationis. Quia quod non mutatur, ſtare non prohibetur. *l. præcipimus in fine. C. de appellation. l. ſancimus C. de teſtamentis*, & eandem ſententiam tenet Abbas *conſ.* 111. *n.* 4. 2. *part.*

18 Facit etiam, quia lex Regia eſt inductiva pœnæ, quia inducit privationem ſucceſſionis, & privatio juris eſt pœna, gloſſ. fin. *c. fin. de jure patronatus*,
19 ubi quod ex eo, quod privatio juris eſt pœna, non inducitur, niſi exprimatur. Quæ gloſſa communiter recipitur ad id. Et quod privatio juris non inducatur niſi per verba expreſſa legis, probat text. *in authen. de non eligendo ſecundo nubentes.* §. *cum igitur*, *verſ. ſint autem*, *collatione* 1. Vincentius de Franchis *deciſ* 11. *num.* 23. Oſaſchus *deciſ.*
20 147. *num.* 4. & dicemus *infra cap.* 7. *num.* 45. Nec hoc caſu licet arguere à ſimili, Everardus in locis legalibus loco à ſimili, verſ. ſexto non procedit.

21 Et cum *dict. l. Regia* ſit correctoria, & pœnalis ſimul, quia privat ſucceſſione, quæ jure defertur, non eſt extendenda ex identitate rationis, ut tradit Jaſ. authent. quas actiones, *num.* 22. *verſicul.* intellige tamen iſtam fallentiam. C. *de ſacro-*
22 *ſanctis Eccleſiis.* Ubi audet affirmare quod hoc procedit etiam, quod ſit ratio ſcripta in lege, & allegat gloſſam *verbo*, *in eiſdem*, juncto text. *in Clementin. ut ii qui, de ætate*, *& qualitate*, per quam gloſſ. ita tenet Roman *conſil.* 129. Antonius de Butrio *cap. fin. de conſuetudine fallentia* 1. *&* 12. Alexand. *l. ſi conſtante*, *numer.* 5. *&* ibi Jaſ. *numer.* 70. *ff. ſolut. matrimon.* Geminianus. *capit.* 1. *fallentia* 1. *de temporibus ordi. libr.* 6.

23 Et licet ab hoc diſſentiat Abbas Alphonſus Villagut titul. de extenſione legis *in quæſtione de extenſione. l. correctoria*, *pœnalis ſimul*, *num.* 36. ubi affirmat, faciendam extenſionem ad alios caſus,
24 in quibus militet eadem ratio quæ eſt ſcripta *in l.* correctoria, & pœnali, per jura, & rationes quas ibi cumulat: unum tamen eſt ſine dubio, quod ſi
25 ultra rationem expreſſam *in l. correctoria*, & pœnali ſimul, eſſet alia diverſa, vel major ratio non ſcripta *in l.* quæ ſuaderet extenſionem, non eſſe faciendam propter diverſitatem rationis, quæ militaret, in caſu legis non eſt facienda extenſio, ita tradit Alexand. *l. ſi conſtante*, *numer.* 5. *verſic. ſecundo intellige. ff. ſolut. matrimon.* per gloſ. *in cap. conſtitutio de electione libr* 6, quam dicit, non habere conſociam, & Villagut *ubi ſupra numer.* 45. ubi comprobat multis juribus ab eo ponderatis, & multo fortius procedet, ſi lex ſit correctoria tantum, & non pœnalis.

26 At in caſu matrimonii expreſſo *in dict. l. Regia*, ultra rationes in ea expreſſas, militat alia diverſa ratio, non militat in caſu ſucceſſionis & ea eſt,



quod poſſunt homines induſtria, & dolo jungere familias, & majoratus per matrimonium, & ſic confundere memoriam conſtituentium, & per conſequens afferre etiam damnum hominibus illius oblitæ, & conſumptæ familiæ ex præventione procurata, ut eſt notum. Quod ſecus eſt in caſu ſucceſſionis, quæ pendet à futuro eventu, & cum hæc ſucceſſio non poſſit præveniri de certo, licet aliàs ſit ſpes, quod cònſanguineus ſuccedet conſanguineo ſuo, ut *in l.* retinente de jure deliber. eſt diverſa res à matrimonio, quo mediante, unio majoratuum certa inducitur, & noluit lex, quod eſſet in voluntate contrahentium hoc facere, non enim decet ſupremas defunctorum voluntates cum occaſionibus multoties procuratis infringere. Quæ verba in alio propoſito ponit Mieres *de majorat.* 1. *par. quæſt.* 57. *num.* 4. *in fine*, & conducit optimus text. *in cap. fin de electione lib.* 6. Vides ergo, quam diverſa, & major ratio militat ad privationem faciendam, eo caſu quo jungantur majoratus per matrimonium, quam per ſucceſſionem, ceſſat ergo debet extenſio, & ſic ſive fateamur, quod lex Regia eſt correctoria, & pœnalis ſimul, ſive correctoria tantum, non fit extenſio ad caſum ſucceſſionis.

Et quoties lex ſe reſtringit ad unum caſum, vi- 27
detur cæteros excludere. *l. ait Prætor.* 12. *ff. de judiciis*, ubi gloſſa, quam ad hoc dicit celebrem Socinus *in rubrica de acquirend. poſſeſſion. numero* 4. Quod eſt ſine dubio ſtante diſſimilitudine ca- 26
ſuum, ut tradit Barboſa. *l. ſi cum dotem in princip. numer.* 29 *ff. ſolut. matrimon.* & cum ex ratione ſupradicta diverſi ſint caſus matrimonii: & ſucceſſionis, fatendum eſt, non ſolum non eſſe ſucceſſionis caſum comprehenſum *in dict. l.* 7. imo excluſum. Et licet in ſucceſſore majoratus alicujus viventis poſſit dari præmeditatio doloſa, ut ſuccedatur in eo, nempe machinando in mortem ſui conſanguinei, qui talia facit, ob hoc arcetur à jure. Quia privatur ſucceſſione illius majoratus, ne ex 29
dolo, & delicto ſuo commodum reportet, ut *in l. ſi ab hoſtibus* §. *fin. ff. ſolut. matrimon.* per quem tex. in ſucceſſore majoratus tenet Molina *libr.* 2. *primogen. cap.* 2. *numer.* 32. Gregor. *l.* 2. *titul.* 15. *partit.* 2. gloſſa, *Sino el hijo*, *col* 1. *verſ. qui autem ſi filius major*, *& l.* 13. *tit.* 7. *partita.* 6. *verbo del heredero*, *ad ſin.* ſequitur Mieres *de major* 2. *part. quæſt.* 4. *illatione. num.* 11. Peregrin. *de jure fiſci. lib.* 2. *tit.* 3. *num. fin.*

Sic nec ſubſtitus admittitur ſi occidat inſtitutum, 29
Hippolytus *l. nihil intereſt*, *num.* 2. *de ſiccariis*, *& conſil.* 126. *num.* 4. ſic ſi frater fideicommiſſarius occidat fratrum, cui eſt injunctum fideicommiſſum, non eſt ei reſtituendum, plures refert Molina *dict. num.* 32. Mieres *de majorat.* 2. *quæſt.* 4 *illatione* 1. *num.* 17. Sic frater ſi occidat fratrem 30
non ſuecedit in feudo gloſſ. *in cap.* 1. §. *ſimili verb fratrem in fine*, quibus modis feudum amittatur, ubi Baldus *num.* 3. plures refert Barboſa. *l. ſi ab hoſtibus.* §. *fin. numer.* 21. *ſolut. matrimon.* quem videas in hoc articulo.

Adde tamen traditis à Barboſa limitationem, 31
quam ponit Portoles ad Molinam. §. *defenſio. numer.* 5. ut non procedat ſi ſucceſſor in majoratu occidat poſſeſſorem ad defenſionem conſanguinei, nam tunc non privatur ſucceſſione.

Quid itaque reſpondemus ad tradita per Parla-
dor. *in* 3. *part. rerum quotidianarum*, *quæſt.* 5. 32
ubi defendit dictam legem ſeptimam, caſum ſuc-





ceſſionis comprehendere, & reprehendit noſtrates, eo quod hanc quæſtionem omiſerint, cum non viderit Doctorem Mieres loco ſuperiùs citato, & ſe jactat, quod paucis tam magna abſolvit, ſed licet veritas in paucis conſiſtat, tamen ſalva pace doctiſſimi viri, teneo, quod ejus ſententia non ſit vera, licet brevibus tradita.

33 Et quando quæſtio eſt ardua, & parum tacta, in qua hinc inde poſſunt plures rationes adduci, non eſt incongruum latiori diſputare ſermone, quia ſurperfluum non dicitur, per quod clarius quid exprimitur gloſſ. *in cap. licet*
34 *Canon. de electione*, *libr.* 6. *l. item apud Labeonem.* §. *ait Prætor. ff. de injuriis.* Et verba ſatis dicuntur operari, quando tollunt dubitationem, Aymon Craveta *conſil.* 25. *num.* 31. *& conſ.* 70. *numer.* 29. & cum prædictam tenuerit ſententiam Parladorius ex eo, quod dicat, omnimodam eſſe ſimilitudinem inter hoſce caſus matrimonii, nempe, & ſucceſſionis, quæ non eſt cum ex dictis appareat, extra rationes in lege expreſſas eſſe aliam rationem, quæ non militat in caſu ſucceſſionis, ceſſat ejus ſententia; procedet tamen in caſibus habentibus omnimodam ſimilitudinem, ut erit, ſi contrahentes matrimonium tempore quo contrahunt, non poſſideant majoratus actu, nec aliquam habeant ſpem ſuccedendi in eis, & durante matrimonio ſit eis delata, nam cum lex non diſtinguat, an poſſederint primogenia tempore quo contraxerunt, vel nanciſcantur poſtea poſſeſſionem, nec nos diſtinguere debemus *l. de pretio ff. de publicana in rem actione l. non diſtinguemus. ff. de arbitris.*

35 Idem erit, ſi non ipſi poſſidentes majoratus, ſed eorum filii primogeniti contraxerint matrimonium; nam cum in eis vel eorum deſcendentibus ſit continuanda ſucceſſio, & per conſequens per eorum matrimonium, neceſſario perveniendum eſt ad caſum conjunctionis majoratuum in lege expreſſum, ſumus *in regula l. oratio. ff. de ſponſalibus*, quæ ſine dubio procedit, quando per neceſſe ſequitur illud, ſuper quo lex diſponit, non ſi contingenter, ſive poſſibiliter ſequatur, Barboſa. *l.* 1. 3. *partè numer.* 57. *ff. ſoluto matrimo.* idem namque judicamus de principio principiante, quod de his, quæ ex principio ſequuntur, Curtius Junior *conſil.* 154. *num.* 13. *per l. maritus. C. de procuratoribus.*

Et quod dicimus de filiis primogenitis, procedit etiam in nepotibus, & pronepotibus poſſeſſorum majoratuum, cum in omnibus eadem ſit ratio, argumento *l. Gallus.* §. *idem credendum ff. de liberis*, & *poſthumis*, quia in omnibus jam eſt irradicata ſucceſſio, ita quod ſi in vita poſſeſſoris decedat filius, admittitur nepos, & nepote etiam decedente pronepos, excluſis patruis, quia primogenitus naſcendo excludit ſecundo genitum perpetuo, Felinus *cap. Prudentiam numero.* 7. ubi additionator *de officio delegati*, Baldus *l. cum antiquioribus numero.* 11. *C. de jure deliberan.* Molina *libro* 3. *de primogeniis*, *capit.* 6. *numer.* 30. *& capit.* 7. *numero* 2. *&* 3. excepto majoratu Comitatus de Lemos, in quo patruus præfertur nepoti, ut tradit Parladorius *libro.* 3. *differentia* 18. §... *numero* 2.

Et pari modo procedet deciſio *dict. l.* 7. & ſi non durante matrimonio primogenitorum, ſit eis delata ſucceſſio majoratuum, ſed eo finito alterius morte, ſuperſtiti deferatur ſucceſſio ſui primogenii, & filio, vel alii ulteriori deſcendenti alter majoratus,



vel ſi ambo contrahentes deceſſerint, antequam ſuccedant in majoratibus, nam in eorum deſcendentibus fiet ſeparatio cum fuerint ex præambulo matrimonio; ex quo inducta fuit ſtantibus deſcendentibus neceſſaria conjunctio majoratuum, quia initium attenditur *l.* 3. §. *ſcio. ff. de minor.* Menochius *de arbitrarijs*, *quæſt.* 37. *numer.* 12. Barboſa *l. divortio.* §. *ſi vir. numer.* 46. *in fine. ff. ſoluto matrimon.*

Sed etſi contrahentes matrimonium non fuerint primogeniti poſſeſſorum majoratuum, nec de linea ſanguinis, ſed de linea vocatorum, ut quia ſint immediatè vocati, vel alter eorum, cum tales poſt mortem poſſeſſorum neceſſario ſucceſſuri ſunt, vel eorum deſcendentes, in eis quoque habebit locum *dict. l.* 7. deciſio, quemadmodum enim certa ſucceſſio inducitur per lineam ſanguinis, inducitur per lineam vocatorum, & ſubſtituitur vocatus habet ſpem ſuccedendi jure approbatam, Bart. *l. is poteſt numer.* 10. *ff. de acquirend. hæredit.*

Sic quemadmodum ex modo ſuccedendi aliqui- 36
bus annis cenſentur bona vinculata, tradunt Ioannes Lecerier *de primogen. quæſtione ultima*, *numero*, 9. *&* Tiraquel. *eo tractatu quæſtione.* 30. *numer.* 8. quos refert, & ſequitur Antonius Gama *deciſione* 215. *numer.* 1. ubi quod ex eo ſolo bona deferuntur jure majoriæ, ita in bonis anniverſarii.

Longa enim obſervantia facit præſumere, quod 37
fuit plus dictum, & minus ſcriptum; tradit Tiraquel. *de præſcription. gloſſ.* 4. *verſic. trigeſimonono*, & Alexand. Raudenſis *conſilio* 17. *numero* 217. *parte prima.*

Nec ſunt mutanda, quæ interpretationem certam 38
ſemper habuerunt, verba ſunt Pauli Juriſconſulti *l. minime.* 24. *ff. de legibus*, quam legem expendit Tiberius Decianus *conſil.* 22. *numer. fin. volumine*, 1. *&* 2. Burgos de Paz, *quæſtione civili* 2. *numer.* 133.

Sed pro meliori intelligentia diſtingue; quod 39
aut ita eſt delata ſucceſſio, quia in loco, ubi eſt relictum anniverſarium, eſt conſuetudo generalis, quod in omnibus anniverſariis ſuccedatur jure majoriæ, & ea eſt ſervanda, ut tradit Salazar *de uſu*, *& conſuetudine*, *cap.* 12. *numero fin.* & Flores de Mena *libro* 1. *variarum quæſtion.* 18. *numero* 44.

Aut non eſt talis conſuetudo generalis in loco, ſed 40
in his bonis diù ſucceſſum eſt jure primogenituræ cum onere anniverſarii, & tunc cum immemorialis habeat vim tituli *l. hoc jure*, §. *ductus atque. ff. de quotid. & æſtiva. capit.* 1. *de præſcriptio. libr.* 6. modo ſit capacitas perſonæ poſſidentis, & rerum poſſeſſarum ut tradit Abb. Panormitam. *capit. quanto num.* 2. *de conſuetudi.* & Franciſcus de Claperiis *in centuria cauſa* 35. *quæſtione* 2. *numer.* 7.) probata immemoriali juxta modum præſcriptum *l.* 41. *Tauri*, itidem ſervabitur in eis diſpoſitio legis, ut tradit Salazar. *dict. capit.* 12. *num.* 77.
licet ibi in fine dubitet, an id procedat in anni- 41
verſariis parvis, ut unius domus, vel fundi, ſed
idem dicendum puto, cum & majoratus poſſit 42
conſtitui in qualibet re, & à qualibet etiam ignobili, licet dignitas ſit, ut tenet Mieres *de Majoratibus* 1. *part. quæſtione* 1. *numer.* 7. quilibet enim poteſt apponere rei ſuæ onus reale, & ordinarium,
Aymon *conſil.* 217. *numer.* 3. & quemadmodum 43
poteſt in omnibus bonis, & toto patrimonio, ita & in parte; cum idem jus ſit de toto quo ad totum quod de parte, quo ad partem. *l. quæ de tota. ff. de rei vendicatione.*

45 Aut non poteſt probari immemorialis, quia ad
eſt memoria ſeu principium ( quo caſu corruit
immemorialis juxta *l. hoc jure*, §. *ductus aquæ. ff.
de aqua quotidiana*, & *æſtiva. l. 2. §. item Labeo. ff.
de aqua plu. arcend.* tradit Suarez *allegatione* 3.
*num.* 5. *in fine*, Molina *lib. 2. de primogen. capit.* 6.
*num.* 64. *& ſequentibus*, Joannes Garcia *de nobi-
litate gloſſa* 13. *numero.* 69. Maſcard. *de probation.*
46 *concluſione.* 1041. Alexand. Raudenſ. *conſil.* 17. 2.
*part. numero* 7. ) & tunc aut in fundatione anni-
verſarii ſunt aliqua verba, quibus dubia redditur
diſponentis voluntas, fueritne quod bona deferan-
tur jure primogenituræ, & tunc ſi probetur con-
ſuetudo ſuccedendi in illis bonis jure majoratus,
ſaltim per decennium ſufficiet, ut deinceps talis
ordo in eorum ſucceſſione ſervetur, ita Molina
*libro 2. de primog. capit. 6. numer. 75. ubi numero*
47 58. inquit, quod licet aliàs ad præſcribendum
requiratur tempus immemoriale, cum non de
præſcriptione, ſed de interpretatione agatur,
ſufficiunt decem anni, & allegat Paul. *con-
ſil.* 347. *numer.* 14. & 15. & dicit eſſe de mente
plurium Doctorum, quos ibi refert, quem ſe-
quuntur Burgos de Paz, *quæſtione civili.* 2. *num.*
131. & Joann. Garcia *de nobilitat. in diviſione nu-
mer.* 57. Molina de Medrano *in allegatione vicere-
gis extranei in Regno de Aragon, num.* 179. ubi plu-
res refert,

Pro quo facit, quod obſervantia ſubſequuta in
48 omni materia declarat actum præcedentem, ut
tradit latiſſimè Ioſephus Ludovicus *commun. opi-
nion. titulo de obſervantia ſubſequuta, concluſione.*
38. *ex principio*, & ibi *ampliatione* 1. & 2. Quod
hæc obſervantia non requiretur, quod ſit præſcrip-
49 ta, & quod ſufficiunt duo, vel tres actus, etiam
minori tempore decem annorum, quem ſequun-
tur Cavalcanus *deciſione.* 28. *numero* 63. & 64. 2.
*part.* Alexand. Raudenſ. *conſil.* 17. *part.* 8. *num.*
44. & 46. & *conſil.* 18. *num.* 38. & 40.

50 Sic beneficium electi Carboniani, quod com-
petit pupillis petentibus poſſeſſionem bonorum pa-
tris, ut ſi eis opponatur quæſtio ſtatus, differatur in
tempus pubertatis, data pupillo bonorum poſſeſ-
ſione cum ſatisdatione, de quo *in l. 1. & per to-
tum titulum ff. & C. de Carboniano edicto*, & *l. 2. ti-
tulo* 14. *partit.* 6. & *l.* 7. *titul.* 22. *partita* 3. &
optimè Rofredus *in praxi libellorum.* 6. *parte*,
*rubrica de Carboniana bonorum poſſeſſione*, & datur
in bonis majoratus, ut poſt Gregor. *dict. l. 7. tradit*
Molina *libr. 3. de primogen. cap.* 13. *ex numero* 24.
Mieres *de majorat.* 3. *part. in initio*, *numer.* 15.
Meneſius. *l. eam quam, numero* 126. *C. de fidei-*
51 *commiſſis*, habebit locum in his anniverſariis, ſi
pupillo petenti bonorum poſſeſſionem objiciatur
ſtatus quæſtio, ſeu illegitimatis; ſi tamen movea-
tur quæſtio bonorum non poterit pupillus uti eo
remedio, ut tradunt prædicti Doctores, & proba-
tur *in l. 1. § ſiquis filium. ff. de Carbonian. dicto.*

52 Pro quo facit, quod quando lex unum diſponit,
& aliud præſupponit, non habet locum legis diſ-
poſitio, niſi verificetur præſuppoſitum, gloſſa *l.
mancipia C. de ſervis fugi.* Aymon *conſilio* 298. *nu-
mer.* 4. Becius *conſ.* 53. *n.* 7. quia verba, quæ ſuppo-
nunt aliquid, nihil diſponunt, Staphileus *de literis
gratiæ, titulo de modo, & forma impetratio.* §. *fin.
numero fin.*

Facit etiam, quod cum remedium Carboniani
53 ſit exorbitans à jure communi, ſecundum quod
jus poteſt moveri contra pupillum quæſtio bono-
rum, etiam totius patrimonii §. item propter litem
inſtitutam de excuſatione tutorum debet reſtringi
ad caſum in quo loquitur *l. quod vero contra. ff.
de legibus*, & *debemus* verbis edicti inſervire, *l.* 1.
§. *ſi is qui navem. ff. de exerc. actione* & verbis legis
debemus eſſe contenti, Bald. *conſil.* 228. *libr.* 3. &
99. *libro.* 4.

Et hoc indicant verba *dict. l. 2. titul. 14. parti-* 54
*ta* 6. *Tales embargos como eſtos*, quæ ſunt reſtricti-
va, & limitativa per tradita à Rolando *conſilio*, 70. 55
*numer.* 13. *& ſequentibus volumine* 3.

Neque obſtat dictio illa, como, Latine, ſicut, 56
quæ eſt ſimilitudinaria, & inducit ſimilitudinem in
actu, cui apponitur, *cap. Parochianos de ſenten-
tia excommu.* Bald. *capit. in cauſis, verbo, ſicut, de
pace Conſtantiæ*, Lucas de Penna *l. unica C. de ca-
pitatione civium. lib.* 11. Nec ſi etiam objiciatur, 57
quod cauſa totius patrimonii, vel majoris partis æ-
quiparatur cauſæ capitali, & ſic cauſæ ſtatus, ut
tradit Thomas Grammat. *deciſione* 86. *ex numero* 9.
& Jacobus Damhoderius *in Enchiridione parium,
& ſimilium, verſiculo cauſa civilis ardua*, nam cau-
ſa patrimonii dicitur cauſa vitæ, Baldus. *l. advo-
catos. C. de advocat. diverſo*, Marcus Anton. Eu-
genius *conſilio* 76. *numero* 1. & cùm ſimilium, ſeu
parium idem ſit judicium, per conſequens debere
dari hoc remedium etiam quando quæſtio bono-
rum tantum moveretur.

Nam reſpondetur in hoc caſu requiri omnimo- 58
dam ſimilitudinem, & identitatem ex vi dictionis,
*eſtos*, poſitæ in dictis verbis, ibi: *Tales embargos
como eſtos.* Quia pronomen hic, hæc, hoc, eſt de- 59
monſtrativum ad oculum *l. nemo in principio*, ubi
Bartolus. *ff. de hæred. inſtit.* atque ita debent eſſe
ejuſdem ſpeciei, & ſic ſtatus. Et quando plures di-
ctiones concurrunt in aliqua oratione, quælibet
illarum ſervat ſuam propriam naturam de perſe,
Tiber. Decianus *conſilio.* 17. *numer.* 43. *volumine* 1.
Sic obtenta facultate ad faciendum majoratum po- 61
terit quis anniverſarium majoratus facere, ſed &
Princeps poteſt concedere facultatem ad alienanda,
ſeu obliganda bona anniverſarii facti in forma ma-
joriæ, ſalvo onere anniverſarii, cum ea bona tem-
poralia ſint, ut tradunt Rebuffus *de pacificis poſſeſ-
ſoribus num.* 287. *verſiculo & ideo*, Valaſcus, qui
alios refert, *conſultatione* 60. *numero.* 12. Guido
Papa, *quæſtione* 187. modò tamen ſubrogatio fiat
ſciente Epiſcopo, juxta ea quæ dicemus *infra hoc
libr. cap.* 14. *numero* 16. & 35. ut ſic uterque ſu-
perior adeatur, & Princeps reſpectu vinculi, &
Romanus Pontifex ſeu Epiſcopus reſpectu oneris
anniverſarii.

Sed an obtenta facultate ad faciendum majoratum 62
anniverſarii in uno ex filiis, poſſit quis facere, ſi
unicum filium habeat. Et poſſe affirmat Gregor. *l.*
23. *titul.* 9. *partita* 6. *verſicul. mas de uno*, & *l.*
32. *verſiculo non valdra, verſiculo item pone*, quod
data eſt facultas *eo titul. & part.* Mieres *de majorat.*
1. *part quæſt.* 13 Burg. de Paz *quæſt.* 1. *numer.* 22.
& ſentit Molina *libr. 2. de primog. cap.* 11. *num.* 9.
*ad fin. cum numer.* 10. quibus libenter aſſentior, &
ſecundum hanc opinionem vidi judicatum in Pincia-
na Regia Cancell. *In cauſa Toletani majoratus.*

Et pro ea ſententia facit, quod licet pluralis lo- 63
cutio pro ſui natura plurium requirat concurſum,
ſaltim duorum *l. ubi numerus, ff. de teſtibus*, regu-
la pluralis locutio, *de regul. jur. lib.* 6. ( quamvis
aliqui tenent requiri tres, vel quatuor, ut eſt gloſ.
*in* §. *fin. verſ. multæ inſtit. de jure perſonarum* Alex.



*Imperator de legat.* 1. Bal. *l. excuſantium. ff. de ex-
cuſat. tutorum*, & *l. 2. §. 1. ff. de his qui notantur
infamia*; nam & in duobus verificatur pluralitas,
licet utatur adjectivo multi, ut *in* §. *fin. de jure
perſon.* & tradit gloſſa, verbo multa *in l. 1. verſ.
hoc reſcriptum ff. ad Sillanianum*, Corneus *conſ.*
199. *vol.* 4. ſic multis vicibus factum dicitur, quod
bis ſit, Alex. *l. ſæpe. col. 1. ff. de re jud.* Tamen
64 ubi eſt eadem ratio in uno, quod in pluribus, in
eo verificatur pluralitas, ut in diſpoſitione plurali
locutione concepta de filiis probant plura jura, *l.
non eſt ſine liberis ff. de verborum ſignificat. l. ferè
ff. de pollicitation. l. pater Severinam. §. ita ſi dei-
commiſſo. ff. de condition. & demonſtr. l. jubemus*,
§. *ſin autem. C. ad Trebellian l.* 1. ubi Paulus, *C.
de conditionibus inſertis*, gloſ. Bart. & Doctores,
*l. ex facto. §. ſi quis rogatus. ff. ad* Trebel. ubi Rip-
pa *num.* 51. plures refert, Tiberius Decian. *conſ.*
93. *num.* 6. *vol.* 3. Aymon Craveta *conſ.* 180. *num.*
3. Decius *conſ.* 50. *ad fin.* Tiraquel. *l. ſi unquam
verbo ſuſceperit numero* 216. *C. de revocand. donat.*
& hoc etiam quando diſpoſitive fuerint liberi vo-
cati, nam verius eſt ( contra Bartol. *l. fin. ff. ad
Trebellian.* & alios adductos per Paulum *conſ.* 219.
1. *part.* Alex. *conſ.* 109. *vol.* 7. Ruinum *conſ.* 104.
& *conſ.* 172. *vol.* 2. ) etiam eo caſu pluralem nu-
merum in uno verificari, Abb. *conſil.* 65. incipit.
65 Quidam Balnerius 2. *part.* quod enim de pluribus
dicitur, de uno dicendum eſt, *l. Prætor ait ff. vi
bonorum raptorum l. 3. § negotia ff. de negotiis geſt.*
Jaſ. *l. Gallus* §. *quid ſi is, ff. de liber. & poſthum.*

66 Et ſic hæres rogatus reſtituere agnatis, quibus
volet, poteſt uni tantum ex pluribus reſtituere,
Bart. & Cuman. *l. unum ex familia*, §. *ſed ſi fun-
dum de legat.* 2. Imola, *d. l. unum ex familia §. ſi
duos de legatis* 2. & Corneus *conſ.* 68. *vol.* 4. De-
cius *conſ.* 50. & *conſ.* 362. *num.* 2. Mantica. *lib.* 8.
*de conjecturata mente, titul.* 12. *num.* 33.

67 Sic vocatis proximioribus agnatis, ſi unus tan-
68 tum proximior ſit, admittitur Paulus *conſ.* 385.
*vol.* 1. Roland. *conſ.* 38. *numero* 46. *vol.* 4. Hiero-
nymus Gabr. *conſ.* 117. *num.* 39. *vol.* 1. Et valet
conſequentia, teſtator voluit plures habere, ergo
unum ex pluribus *l. hæredes mei*, §. *cum ita ff. ad
Trebellianum.*

69 Doctrina autem Bartoli, & ſequacium, & text.
*in l. final. ff. ad Trebellian.* procedit, quando teſta-
tor per verba pluralis numeri diſponit, & ejus diſ-
poſitio ab initio non poterat verificari in uno, &
ideò ab initio ex vi ſermonis continet eum, qui
aliàs non contineretur. At cum tempore ordinatio-
nis in pluribus eſt verificabilis, quamvis tempore
advenientis caſus unus tantum ſuperſit, ille admit-
titur, quia pluralitas reſolvitur in ſingularitatem.
70 Alexand. *conſilio* 109. *numero* 16. Decius *conſilio*
362. *numero* 2. & fundamenta quibus fulcitur opi-
nio contraria improbantur ab Aretino *l. placet ff. de
liber. & poſthum. Ruino conſilio* 137. *volumine* 3.

Et in caſu noſtro non ſolum verſatur eadem
ratio in unico filio, quod ſtantibus multis, ad hoc
ut credatur Principem eodem modo conceſſurum
facultatem ſi expreſſiſſet impetrans unum tantum
71 filium habere, imo major, quia faciliùs Princeps
72 concederet, quippe cum quando unicus adeſt filius
non ei auferuntur bona, ſed ſibi remanent. Neque
enim abſumitur quod in corpore patrimonii retine-
73 tur, *l. pater ff. de adimen. legat.* Et ſic ſuccedit in
ſua legitima, argumento *l. 3. §. qui fideicommiſſum
ff. de hæred. inſtit.* ibi: *De neceſſario voluntarius hæ-
res efficitur, non ut deſinat eſſe hæres, ſed ut jus in-
commutetur ſucceſſionis.* At ſtantibus multis filiis
extra electum ad majoratum, cæteris aufertur ſua
legitima, quæ forſan opulentiſſima futura erat, nec
ejus datur libera, nec vinculata, quod conſiderat
Mieres *de majorat. 1. part. qu. 13. ad finem*, licet
eis dentur alimenta.

Et ſic non eſt neceſſarium in impetratione hujus 74
facultatis, facere expreſſionem liberorum, ut re-
ſolvit Gregor. *l.* 36. *gloſſ.* 2. *titul.* 18. *partita* 3.
& Covarruvias *libro* 1. *variarum capitul.* 20. *num.*
9. quamvis Mieres, *de majorat.* 1. *part. quæſt.* 3.
*num.* 2. *verſiculo*, item cum numerus contrarium
ſentiat, & ſine effectu ſecundum ipſum: ubi ſupra,
tenentem valere majoratum factum ab eo, qui uni-
cum filium habebat virtute facultatis ad faciendum
majoratum in uno ex filiis.

Sic quemadmodum in majoratibus filia major 75
excluditur à maſculo minore, ut tradit Covar-
ruvias *lib.* 3. *variarum cap.* 5. *num.* 5. etiam ſi
ſit in utero, ut tradit Mieres *de majorat* 2. *parte*,
*quæſt.* 6. *num.* 51. ita, & in anniverſariis tradit ipſe
Mieres *quæſt.* 6. *num.* 28. quod eſt verum, licet
contrarium teneat, & defendat Salazar. *de uſu, &
conſuetud. cap.* 12. *num* 73. ubi tradit, quod ſi non
adſit in anniverſarii diſpoſitione aliquod verbum
maſculinitatis prælativum, ſed tantum ſit dictum,
quod bona perveniant ad majorem, præferenda eſt
filia major maſculo minori, & inquit, quod Mie- 76
res extitit ſibi contrarius, ex eo, quod *dict. quæſt.*
6. *num.* 28. tenuerit, præferendum maſculum mi-
norem, & poſteà *num.* 55. *& ſequentibus ejuſdem
quæſtionis* dicat totum contrarium, ut ipſe inquit:
Sed quidem meo videri, Mieres non meretur repre-
hendi, quia *dicto num.* 55. *& ſequentibus* ſolùm
dicit, quod ubi ex verbis diſponentis non ſit mani-
feſta voluntas ipſius circa excluſionem fœminarum,
non ſit excludenda fœmina, tum quia eſt capax 77
juriſpatronatus, *cap. dilecta, de conceſſione prebendæ*,
& tradit Abbas *cap. 1. & cap. à nobis de jurepatro-
natus*, Decius *l. fœminæ, num.* 42. *ff. de regul. jur.*
Didacus Perez *libr.* 1. *tit.* 6. *libr.* 1. Ordinamenti,
*pagina* 136. Baeca *l.* 101. *Matriti cap.* 26. *in prin-
cipio*, Guillermus Benedictus *in repetitione capit.*
Raynucius, *verbo duas habens filias, & quæſtione
de theſaurario, num.* 8. & poteſt eſſe exequutrix,
ut *in l. à filio in principio*, ubi Bartol. *ff. de alimen-
tis, & cibariis legat. gloſſ. in capitul. 2. de teſta-
mentis*, Covarruvias *capit. tua num.* 3. *eo titulo*: 78
tum etiam, quia ubi agnatio non fuerit conſervan-
da, quæ per maſculos defertur, à ratione ceſſante
licet arguere, ut fœminæ non cenſeantur excluſæ
per jura, & Doctores, quos refert *num.* 57. non
autem ibi, nec alia parte dixit, quod eo caſu tali-
ter ſit admittenda fœmina, ut præferatur maſculo
minori ejuſdem lineæ, & gradus, ut videatur ſibi
contradicere, imo intelligendum eſt, quod ſemper
perſiſtat in eo, quod dixit *num* 28. maximè, quia
illud quod dicit Mieres, eſt intelligendum cum con-
tinuatione *præcedentis numeri* 54. ubi agit de exclu-
ſione perpetua fœminarum, & ejus intentionis fuit
ſemper de hoc tractare *in omnibus numeris ſequen-
tibus*, atque ita *num.* 61. inquit ponderandum, &
advertendum eſſe ad quid habuit teſtator reſpectum,
& oculum in vocatione ſucceſſorum, ad juſpatrona-
tus, an ad conſervationem familiæ, vel ad id, quod
relictum pro anima rectiùs adimpleretur, ut hoc
ſecundo caſu fœminæ non cenſeantur excluſæ. Ex
quo ſolent melius adimplere juſſa pia cum ſint maſ- 79
culis

culis devotiores, ( devotus, namque ab Eccleſia appellatur fœmineus ſexus ) neque ex eo ſequitur, quod dixerit, præferendas maſculis minoribus, & tandem relinquit cogitandum, an ſint admittendæ, nec determinat, ſed teneo, quod præferendus eſt maſculus minor, quia quotieſcumque bona lege, vel conſuetudine deferuntur primogenito, maſculus etiam minor eſt præferendus, ut tenet
80 Petrus, & Jacobus de Arenis *l. pater §. quindecim, ff. de legat.* 3. Bald. *l. in multis, ff. de ſtatu hominum*, Romanus *conſilio* 98. Socinus *conſil.* 90. *libr.* 1. Joannes Lupus *in rubrica de donatione. inter.* §. 69. *num.* 24. Pariſius *conſilio* 72. *num* 80. *volumine* 4. quos refert, & ſe-
81 quitur Covarruvias *libr. 3. variarum cap.* 5. *num.* 5. verſiculo primum hoc, ubi quod idem erit ſi ex contractu bona primogenito deferantur, ubi refert Tiraquell. qui latè proſequitur *de jure primogeniture, quæſtione* 10. *ex num.* 1. quem tu vide, *quæſt.* 11. & Guid. Pap. *deciſione* 506. quem ſequitur Guillermus Benedictus *repetitione, cap. Raynuntius, verſiculo in eodem teſtamento relinquens* 1. *n.* 273.
82 Et quia parentes plus diligunt primogenitos maſculos, ut ibi, & plura conducibilia ad hanc maſculi prælationem tradit Caldas *de nominatione emphyt.* §.
83 3. *quæſtione* 12. præferendus ergo eſt maſculus minor, pro quo facit, quod in re uni adjudicanda, præfertur maſculus fœminæ, *l. fin. ff. de fide inſtru-*
84 *mentor.* Et fœminæ in multis ſunt deterioris conditionis maſculis, *l. in multis ff. de ſtatu hominum.* Et
85 in eis non ita eſt recta, & exacta adminiſtratio, ſicut in maſculis, *l. 1. §. 1. ff. ad Belejanum, & in l.*
86 1. §. *ſexum, ff. de poſtulando.* Et ſunt fragilis conſilii, & contra propria commoda ſæpè laborant, *l. penultima, C. de ſponſalibus, l. cum de indebito, §. ſin autem, ff. de probation.* Mieres *ubi ſupra, n.* 63. ubi plures refert.

87 Quod ſine dubio procedit in caſu, de quo loquimur, ſcilicet quando anniverſarium defertur jure majoratus, ubi agitur de conſervanda, fa-
88 milia, quæ per maſculos conſervatur, *l. Juriſconſultus cum ſimilibus, ff. de gradibus*, & deſtruitur per fœminæ ſucceſſionem, cum ipſa ſit finis familiæ, *l. pronuntiatio, §. familiæ, ff. de verborum ſignificatione.* Et ad aliam domum ſeu familiam ſuſcipitur, ut conſiderat *text. in l. adverſus, C. de crimine expilatæ hæreditatis, l. quicumque, C. de re militari libro* 10. & Tiraquell. *l. 1. connubiali, gloſſ.*
89 1. 1. *part. num.* 31. Ubi quod ſoror dicitur, quod quaſi ſeorſim naſcitur, & ſeparatur à domo, & in aliam familiam transfertur, *& ibi num.* 34.

90 Sed quæſtionis eſt, quare familia, & genus plus conſervetur per ſucceſſionem maſculorum, quam fœminarum, ſiquidem filiatio reſpectu matris eſt certa, & indubitabilis; reſpectu autem patris incerta, & præſumptiva ſolùm, ut de utroque eſt *text. in l. quia ſemper, ff. de in jus vocando*, in hæc verba: *Quia ſemper certa eſt mater etiam ſi vulgo conceperit, pater verò is tantum quem nuptiæ demonſtrant*, & idem dicit *l.* 5. *titulo* 19. *partita* 4. *in fine*, ibi *Eſto es por razon, porque la madre ſiempre es cierta del fijo que nace della, que es ſuyo, lo que no es el padre, &c.* Atque ita datur vera probatio reſpectu matris, *l. prima, ff. de ventre inſpiciendo*: reſpectu autem patris impoſſibilis reputatur, *l. Lucius Titius* 82. *ff. de cond. & demonſtr.* quapropter potiùs videtur, quod conſervetur per fœminarum ſucceſſionem genus alicujus gentis.

91 Sed tu dic, meliùs, & proprius conſervari genus per ſucceſſionem maſculorum. Quia ad generatio- 92
nem ( ex teſtimonio Medicorum ) non requiritur, quod fœmina in coïtu concurrat cum maſculo, niſi ſolùm paſſivè, hoc eſt, quod recipiat virile ſemen in matrice, licèt ipſa non ſeminet: nam ſemen viri ſolùm receptum in mulieris matrice ſufficit ad generationem, ut tradit Guillermus Benedictus *in repetitione, cap. Raynuntius, verſiculo cuidam Petro* tradiderunt, *num.* 17. *teſtamentis*, ubi plura in comprobationem hujus opinionis adducit. Idem tradit Sanctus Thomas *in* 4. *diſtinct.* 34. *quæſt. unica, artic.* 2. Aguirre *de ſucceſſione Regni Portugaliæ* 2. *parte numero* 45. & 46. Alexand. Raudenſ. *conſil.* 1. *num.* 35. & *num.* 80. Thomas Sanchez *de matrimonio libr.* 2. *diſput.* 21. *num.* 10. Cælius Rodiginius *libr.* 4. *antiquar. lectio. capitul.* 10. Sylveſter *in ſumma, verſiculo matrimonium* 8. *quæſt.* 16. *verſiculo poſt Archidiaconum ab eo relatum*, Ariſtoteles *de generatione animalium, libro* 1. *capitul.* 20.

Ex quo eſt, quod frigiditas ex parte mulieris ob 93
quam non ſeminet in coïtu, non impediet matrimonium, Matienço *in rubrica tit.* 1. *de matrimonio, gloſſa* 1. *num.* 198. *libr.* 5. *Recopilat.* Sotus *in* 4. *diſtinctione* 34. *quæſt. unica, artic* 2. *columna* 1. *verbo quapropter*, idem tenet Martinus Navarrus ab Azpilcueta *conſil.* 3. *n.* 12. & 13. *de frig. & maleficiat.* ubi refert divum Thomam, Cajetan. & Ariſtot, idem tenentes, tradit Barboſa *l.* 1. 1. *part. n.* 97. *ff. ſoluto matrimonio.*

Hinc eſt, quod affinitas cauſatur ex eo ſolo, quod 94
vir ſeminaverit intra clauſtra pudoris fœminæ, licet ipſa non ſeminet, tradit Guillermus Benedictus, *ubi ſupra, n.* 16.

Sed velim advertas lector, quod licet ſecundum 95
opinionem prædictorum ad generationem non ſit præcisè neceſſarium uxoris ſemen in coïtu, non ex eo poteſt dici, quod mulier non generat, cum verum ſit, quod fœmina ſub idem tempus una cum mare formam dante emittat ſemen in conceptione, tribuendo univerſam materiam, & etiam formam, uſque ad aliquid, ſecundum Hippocratem *de natura pueri*, Galenum *lib.* 1. & 2. *de ſemine*, Joannem Fernel. *de hominis procreat. lib.* 7. *cap.* 6. Andr. Are. *in Peripat. quæſtionibus lib.* 5. *quæſt.* 2. ubi inquit, hanc eſſe manifeſtam ſententiam, Alex. Raudenſ. *conſ.* 1. *num* 80. ubi dicit filium dici principaliter propagatum ex perſona, & ſanguine ipſius matris, Corneus *conſ.* 219. *lib.* 2. Berojus *conſ.* 120. *num.* 34. *lib.* 2. Decius *l.* 2. *num.* 65. *ff. de regul juris.* & conducit *l.* 1. *C. de conditionibus inſertis*, ibi: *Nepotem quem ex filia ſuſceperat*, ubi Paul. Caſtrenſ. ſcribit hanc eſſe veritatem, & *num.* 5. notat, quod nepos, vel neptis ex filia dicitur de generatione avi materni, quia eſt generatus ab eo mediante filia, & id quod textus *in d. l.* 1. inquit, avum ſuſcipere nepotem ex filia, nihil aliud eſſe quam generationem, quia ſuſceptio illa eſt generatio, & invehit contra aſſerentes, quod mulier non generat, cum ſecundum naturales pater præbeat formam; mater autem materiam, & in re generata æque principalis eſt materia ſicut forma, imò ſe habet per prius, quia ſine materia non poteſt eſſe forma; hoc tamen non obſtat concluſioni *ſuprà* traditæ, quod non præcisè eſt neceſſarium ad generationem, quòd mulier ſeminet in coïtu cum maſculo, nam abſque eo, quod ſeminet, poteſt præbere materiam præcisè neceſſariam ad generationem.



# CAPUT VI.

**An ſi fundus ſeu alia res fuerit alicui relicta cum onere anniverſarii, hoc addito, *ne alienet*, poſſit alienare, vel ſaltim ejus filii, ſeu hæredes, & de intellectu *Authent. de reſtitutione fideicommiſſi*, præcipuè in verſiculo, *nos igitur collatione* 9.**

## *SUMMARIUM.*

1 *Simpliciter prohibitus alienare, & non reſpectu aliquarum perſonarum, poteſt de bonis liberè diſponere.*
2 *Quando prohibitio alienationis eſt facta ſimpliciter, cenſetur facta favore prohibiti tantum.*
3 *Prohibitio alienationis facta filiis non extenditur ad nepotes, qui poterunt alienare.*
4 *Prohibitio alienationis eſt odioſa, & ideo non extendenda ultra perſonas expreſſas.*
5 *In odioſis appellatione filiorum non veniunt nepotes, & idem in diſpoſitione legis continentis odium.*
6 *Ex proprio ſignificato vocabuli appellatione filiorum non veniunt nepotes in quacumque legis vel hominis diſpoſitione, maximè ubi non tractatur de filiorum commodo, ſed gravamine, & onere.*
7 *Fideicommiſſum dicitur onus, atque ita uni appoſitum, ad alium, non extenditur.*
8 In *gravaminibus non fit extenſio ultra perſonam gravati, neque extenſio eſt facienda de perſonam ad ampliandum fideicommiſſum odioſum.*
9 *Prohibitio facta hac ratione expreſſa, ut bona in familia conſerventur non extenditur ultra quartam generationem, etiam ſi teſtator utatur dictione*, perpetuo.
10 *Limitatur dicta concluſio, ſi teſtator uſus fuerit collectivo nomine familiæ, cum non conſervetur ultra quartam generationem.*
11 *Secus erit, ſi non collectivo nomine familiæ fecerit prohibitionem teſtator, ſed prohibendo liberos alienare, quia velit bona perpetuo manere penes ejus deſcendentes.*
12 *Differentia verſatur inter nomen familiæ, & nomen deſcendentium.*
13 *Sed ab ea differentia diſcedunt plures.*
14 *Traditur intellectus ad textum* in d. auth. de reſtitutione fideicommiſſi.
15 *Deciſio* d. authent. de reſtitutione *fideicommiſſi, habet locum ſtantibus omnibus circumſtantiis, quæ ibi comitantur in caſu illius novellæ quibus ceſſantibus, ſtandum eſt juri antiquo.*
16 *Quotieſcumque ex verbis poteſt colligi teſtatorem voluiſſe perpetuam eſſe prohibitionem, etiam ultra quartam generationem durabit.*
17 Lex Regia *noſtræ Hiſpaniæ, quæ eſt* 27. Tauri, *tollitur limitatio quartæ generationis, & jubetur, quod ſit perpetua prohibitio, ſine differentia quartæ vel quintæ generationis.*
*Natura anniverſarii indicat, ut prohibitio cenſeatur perpetua, nec claudatur quartâ generatione.*
19 *Facta prohibitione alienationis nomine majoratus, in infinitum durat, & iidem de anniverſario, cum ſit perpetuum.*

DIVI Severus, & Antoninus reſcripſerunt *eos qui in teſtamento vetant, quid alienari, nec cauſam exprimunt, propter quam id fieri velint, niſi inveniatur perſona cujus reſpectu hoc à teſtatore diſpoſitum ſit nullius eſſe momenti ſcripturam, quaſi nudum præceptum reliquerint, quia talem legem teſtamento non poſſunt dicere*: verba ſunt Martiani Juriſconſulti, relata *l. filius familias* 117. §. *divi, ff. de legat.* 1.
Ex quibus colligitur, quod ſimpliciter prohibitus 1
alienare, & non reſpectu aliquarum perſonarum, ſed generaliter, & ſimpliciter, poteſt de ipſis bonis liberè diſponere, ex ſententia Bartoli communiter recepta *in l. ſi ita quis, §. ea lege, ff. de verborum obligationibus*, & ibi omnes Doctores poſt eum, Ruinus *conſilio* 89. *nu.* 16. *volumine* 2. Aretin. *conſil.* 19. Gabriel *conſilio* 132.

Et eſt ratio, quia tunc videtur facta prohibitio 2
favore ipſius prohibiti tantum tradit Bartol. *l. ſi quis in tantam, verſic. quæro an Dominus, C. unde vi, & in l. finita, §. ſi de vectigalibus n.* 13. *verſic. ibi erat, ff. de damno infecto*, Decius, *l. furioſi, verſiculo ſupradicta, de regulis juris*, Socinus *conſilio* 121. *n.* 22. *verſicul. ſed regula eſt, volumine* 4. Grammat. *deciſ.* 105. *n.* 39. *verſic. & ſic ſequitur.*

Si tamen prohibitio alienationis ſit facta filiis, ul- 3
tra filios non extenditur, & nepotes poterunt alienare, *l. pater filium, § fundum Titianum de legat.* 3. *text. in auth. de reſtitutione fideicommiſſi, §. nos igitur collatione* 9. ubi gloſſa verbo voluiſſe, cujus opinio communis eſt cum Bartol. *l. filius familias, §. divi, de legat.* 1. *quæſtione* 10. & hanc ſententiam cum dict. gloſſa tenuerunt Raynerius, Baldus, Imola, & Alexand. *in dict. §. divi*, eandem tenent Cinus, Bald. & Salicet *in l. voluntas, C. de fideicommiſſis*, Rodericus Suarez, *l. quoniam, C. de inofficioſo teſtamento* 2. *limitatione ad l. Regni, numero decimo octavo*, & Covarruv. *lib.* 3. *variarum capit.* 5. *num.* 4. ubi dicit communem.

Quod ea ratione procedit, quia hujuſmodi pro- 4
hibitio eſt odioſa, & ideo non eſt amplianda, neque extendenda ultra perſonas expreſſas, tradit Decius *in conſilio* 377. *numero* 5. *verſ.* & hoc confir- 5
matur, quia in odioſis filiorum appellatione non veniunt nepotes, gloſſa *in l. filii appellatione* 84. *ff. de verborum ſignificatione*, Paulus Caſtrenſ. *conſilio* 38. *dubium facit, & conſilio* 170. *ne in propriis, columna* 2. Antonius Gabriel. *libro* 6. *concluſ. titul. de verborum ſignificatione concluſione* 1. *numero* 49. & *numero* 51. ubi quod idem in diſpoſitione legis continentis odium.

Et appellatione filiorum etiam ex proprio ſigni- 6
ficatu vocabuli non veniunt nepotes in quacumque diſpoſitione legis, vel hominis, dicit magis communem opinionem Alexand. *conſilio* 198. *perſpectis numero* 16. *volumine* 6. & contrariam opinionem dicit non tutam Mieres *de majorat.* 2. *part. quæſtione* 15. *numero* 3. & quod quando non tractatur de ipſorum commodo, & favore, ſed de onere, & gravamine non contineantur nepotes, dicit communem omnium eſſe ſententiam Socinus *conſilio* 152. in prima ſubſcriptione.

Et cum fideicommiſſum dicatur onus, ut *in l.* 7
*cohæredi, §. cum filio de vulgar.* Corneus *conſilio* 199. *numero* 34. *volumine* 2. uni appoſitum ad alium non

non extenditur, atque ita fuiſſe judicatum Florentiæ tradit Corneus *dict. conſilio* 199. & poſt eum Curtius junior *conſil.* 111. Dominus Paulus, *n.* 2.
8 *verſic. & iſtam opinionem.* In gravaminibus enim non fit extenſio ultra perſonam gravati, neque extenſio eſt facienda de perſona ad perſonam ad ampliandum fideicommiſſum odioſum, Aretin. *in l. Gallus*, §. *& quid ſi tantum*, *ff. de lib. & poſt column.* 4. *verſ. ſecundo addc*, Decius *conſ.*211. *n.*5. *& conſ.*18. *numero* 9. *& conſ.* 291. *num.* 6. *verſ. ſecundo*, *&* 16. *conſil.*377. *numero* 2. *& conſ.*465. *n.*16. *& conſ.*697. *numero* 13. & tradit *in l. illam*, *C de collationibus*, atque ideo filiis gravatis non cenſentur gravati nepotes, Curtius Junior *dict. conſ.*111. *numero* 1. *& conſ.* 139. *num.* 22. Decius *conſ.*95. *in* 2. *dubio*, Pariſius *conſ.*31. *num.*16. *volum.*2. Ruinus *conſil.* 131. *vol.* 2. *num.*1.

9 Si tamen prohibitio ſit facta hac ratione expreſſa, ut bona in familia conſerventur, tunc non extenditur prohibitio ultra quartam generationem, etiam teſtator, ſeu alter diſponens, dicat ſe velle, quod bona in familia perpetuo remaneant, & conſerventur, text. eſt expreſſus *in dict. authent. de reſtitutione fideicommiſſi*, §. *nos igitur*, ubi cum in codicillis prohiberetur alienatio certæ rei, eo quod teſtator volebat eam in ſua familia perpetuare, & nunquam exire de ſuo nomine, deciditur ibi, eam prohibitionem non afficere ultra quartam generationem, & ſic notarunt Jacobus de Beloviſo, Bartol. & Angel. *ibi*, Rodericus Suarez, *l. quoniam ad l. Regul.* 2. *limitatione*, *num.*18. & ibi Valdeſius plures referens Covarruv. *libro* 3. *variarum cap.* 5. *n.* 4. *verſicul. ſecundum*, ubi dicit, quod eſt omnium concors ſententia, Molina *lib.* 1. *de primogen. cap.*4. *num.* 12. ubi etiam dicit communem opinionem, Matienço, *l.*11. *tit.* 6. *lib.* 5. *Recopil. gloſſ.* 12. *n.* 2. Peregrin. *de fideicommiſſis*, *articulo* 30. *numero* 12. ubi alios refert.

10 Hæc tamen concluſio admittenda eſt, ſi teſtator uſus fuerit collectivo nomine familiæ, ut ſi dicat, ſe velle, quod bona perpetuo in familia remaneant, quia tunc cùm familia non conſervetur ultra quartam generationem, prohibitam non extenditur ulterius, ut dicit Antonius Gomez. *l.* 8. *Taur. in fine.*

11 Secus erit, ſi non collectivo nomine familiæ fecerit prohibitionem teſtator, ſed prohibendo liberos ſuos alienare; quia velit bona perpetuò manere, penes ejus deſcendentes, eo caſu etiam ultra quartam generationem in infinitum prohibitio extenditur, ſecundum Jacobum de Beloviſo, & Angelum *in dict* §. *nos igitur*, eo quod hæc nomina omnes in infinitum contineant, *l. fin. C. de ſuis, & legit. liberis. l. cognoſcere*, §. *ultimo*, *ff. de verborum ſignificatione*, *l. Juriſconſultus*, §. *parentes*, *ff. de gradibus*, tradunt plures relati à Covarr. *lib.*3. *variarum capit.* 5. *num.*4. *verſ. ſecundum* dicens communem eſſe opinionem DD. ab Antonio Gomezio, *l.*40. *Taur. num.*45. à Mieres *de majoratib.* 2. *part.*
12 *quæſtione* 6. *numero* 72. qui omnes conſtituunt differentiam inter nomen familiæ, & nomen deſcendentium, ſequuntur plures relati ab Antonio Peregrino *de fideicommiſſis artic.* 30. *num.* 12. *& num.* 1. & eam differentiam eſſe communiter receptam tradit Menochius *conſ.* 232. *num.* 23. *& conſ.*327. *numero* 114.

13 Ab hac tamen differentia diſcedunt Ripa, *l. filius familias*, §. *divi*, *num.*112. *de legat.*1. & Alienat us *num.*42. Crotus *ad fin.* Covarruv. *dict. cap.*5. Cephalus *conſ.* 386. *num.*10. Menoch. *conſ.* 233. *num.* 2. & hoc ea ratione, quia familiæ nomen omnes cujuſcumque gradus à primo originem ducentes contineat per *l. pronuntiatio*, §. *familiæ*, *ff. de verborum ſignific.* imo, & amplior videtur ejus ſignificatio, cum contineat parentes, liberos, uxorem, nurum, & liberos, *l. fin. C. de verborum ſignificatione*: & ſi credimus Covarruv. *ubi ſupra*, appellatione deſcendentium non comprehenduntur plures gradus, quam familiæ appellatione, nec id probatur *l. ultima, C. de ſuis, & legitimis liberis.*

Sed Marcus Antonius Peregrin. *dict. art.* 30. 14
*n.*16. cum, ut ipſe inquit, ſæpè, & ſæpiùs, ac die noctúque conſideraret text. *in dict. auth. de reſtitutione fideicommiſſi*, ejus eſt opinionis, ut teneatur cum communi, quod quando fideicommiſſum ſub nomine collectivo familiæ ordinatur, intra quartam claudatur generationem, etiam ſi dictio perpetuitatis adjecta ſit, & eo caſu procedere illius textus deciſionem. Quando verò de deſcendentibus actum ſit, cùm communiter DD. conſtituant fideicommiſſum ulteriùs progredi, & in infinitum obſequendo teſtatoris voluntati, & nominis proprietati, dicendum eſſe, exorbitantem deciſionem dicti authentici relinquendam in ſuo caſu in quo loquitur, quia ita legis authoritas, & teſtatoris voluntas cogit. Et quia textus ille in fine reſtringit ſuam deciſionem ad caſum in eo ſubjectum, cui libenter aſſentior, & poſt hæc ſcripta vidi Andream Fachineum *lib.*4. *controverſiarum juris*, *capit. fin.* tenentem cum Cujacio, quod illius authent. deciſio ſolum proceder, & habebit locum ſtantibus omnibus 15
circunſtantiis, quæ comitantur in propoſito caſu illius novellæ, quibus ceſſantibus, inquit, ſtandum eſſe legibus antiquis, loquentibus de fideicommiſſis.

Et quotieſcumque ex verbis poteſt colligi teſta- 16
torem voluiſſe perpetuam eſſe prohibitionem etiam ultra quartam generationem, durabit ſine differentia quartæ, vel quintæ generationis, ita tradit Jacobus de Beloviſo *in dict. authent. de reſtitutione fideicommiſſi*, §. *nos igitur*, *in fine*. ſequitur Barbatia *conſ.*14. *volum.*3. Alexand. *conſil.* 13. *volumin.*1, *num.*2. & 3. *conſil*, 56. *volumin.*1. Doctores, *l. filiusfamilias*, §. *divi de legat.*1. & ibi Crotus *num.* 129, Molina *lib.* 1. *de primogen. cap.*6. *n.*30. Gregor. *lege* 6. *tit.* 11 *partita* 5. *verſic. E a ſus herederos*, dicit communem reſolutionem Alvarad. *de conjecturata mente libr* 2. *capit.* 1. §. 1. *num.* 26. *in fine*, Tellus Fernandez, *l.* 27. *Taur. nu.* 17. Ubi dicit hoc idem 17
diſponi per *dictam l.*27. *Taur. n.*17. ibi: *Mandamos, que vala para ſiempre, ò por el tiempo que el teſtador declara, ſin hazer deferencia de quarta, y quinta generacion* Et Covarruv. *dict. lib.* 3. *variarum cap.* 5. *num.* 4. *verſ. verum*, *Juſtiniani conſtitutionem*, tenet deciſionem dicti authentici omnino ſublatam eſſe *per dict. l.* 27. *Taur.* cum ea ſancitum ſit, vincula, & prohibitiones perpetuas, eſſe nul a facta diſtinctione quartæ, vel quintæ generationis, quod obſervavit Padilla *l. voluntas numer.*25. *de fideicommiſ.* Alvarado *de conjecturata mente teſtat. lib.*2. *cap.*1. §. 1. *num.*26.

Et cum conſtitutio illa nimis adverſetur teſtatorum diſpoſitionibus, mirum videri non debet, ſi in aliquibus regionibus, & in noſtra Hiſpania recepta non ſit; ut inquit Peregrinus *de fideicommiſ. art.* 30. *num.* 17.

Sed quia in noſtra ſpecie anniverſarium relictum 18





cenſetur eſſe perpetuum, ut diximus *cap.* 3. conſequens eſt, quod alienatio prohibita cenſeatur perpetua, nec claudatur 1. 3. ſeu 4. generatione, nec ad eas reſtringatur alienationis prohibitio, ſed progrediatur ultra, cum hoc indicet anniverſarii natura, ſcilicet, quod ſit perpetuum, & ex adjunctis ſumatur interpretatio *l. ſi ſervus* 111. §. *qui quinque de legat.* 1. nam adjuncta efficiunt, ut vocabulum plura, vel pauciora comprehendat, ſeu latè, vel ſtrictè intelligatur, ut tradit Alexand. Raudenſis, *conſ.* 30. *num.* 29. *volum.* 2. Hieronymus Gabr. *conſ.* 46. *numero* 14. *volum.* 2. Ruinus *conſil.* 161. *num.* 5.

19 Et ſic videmus, quod facta prohibitione alienationis nomine majoratus, prohibitio in infinitum facta cenſetur, Covarruv. *lib.* 3. *variarum cap.* 5. Mieres *de majorat.* 4. *part. quæſtione* 1. *num.* 5. Alvarad. *de conjecturata mente lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 94. Et ad eundem modum ſi prohibitio ſit facta nomine anniverſarii, ex quo anniverſarium eſt perpetuum, erit utique prohibitio perpetua, ſed non intelligas, quod efficiet majoratum, quia aliud eſt fideicommiſſum perpetuum, aliud majoratus, ut diximus *ſupra*, *cap.* 4. *ex num.* 23.

## CAPUT VII.

### Res affecta onere Aninverſarii an deferatur fratri majori, ſi ad meliorem executionem anniverſarii, vel ad rixas evitandas ordinarius juſſerit eam deponi, vel eſſe penes unum.

*SUMMARIUM.*

1 *Si res debet eſſe penes unum, debet ſervari apud majorem.*
2 *Non valet conſuetudo etiam immemorialis, quod minor præferatur majori, quia eſt contra humilitatem; & major intelligitur, non qui ſcientia, divitiis, ſeu dignitate alterum præcellit, ſed qui ætate.*
3 *Exiſtentibus duobus notariis, ſeu tabellionibus ejuſdem cauſæ, acta debent eſſe penes ſeniorem.*
4 *In beneficiis præfertur ſenior.*
5 *Seniores præferuntur in teſtimonii fide, & dignitatibus.*
6 *Seniores prius debent loqui.*
7 *Plus valet umbra ſenis quam enſis juvenis.*
8. *Majoriæ ratio præcipuè procedit inter fratres, quia major dicitur dominus fratrum.*
9 *Primogeniti ſecundum omnes, aut ſaltim plurimas gentes, habent dignitatem ſuper cæteros; & dignitas vel honor proveniens jure hæreditario, quæ non poteſt dividi, ſoli primogenito adjudicatur ſecundum Hieronymum.*
10 *Executoria nobilitatis, quam pater litigavit expenſis totius patrimonii, relinquitur majori, in quo ſtat ſplendor genituræ.*
11 *Major fratrum poteſt eligere domum principalem fratris.*
12 *Major fratrum debet ponere cuſtodes arcium, & oppidorum, & creare judices, & prætores.*
13 *[illegible] domorum, & rerum hæreditariarum, debent eſſe penes majorem.*
14 *Redditio rationis pertinet ad fratrem majorem.*
15 *Major fratrer ſedet ad dexteram.*
16 *Dextera eſt locus honoratior, præſtantior, & nobilior.*
17 *Doctiſſimus Tiraquellus habebat domi conductos ſuo ſtipendio, viros peritiſſimos diverſarum ſcientiarum.*
18 *Caſſaneus nititur defendere ſiniſtram eſſe præſtantiorem, & ob eam rationem inquit in Bullis plumbatis Romani Pontificis depingi imaginem divi Petri in parte ſiniſtra, Pauli autem ad dexteram.*
19 *Rejicitur opinio Caſſanei, ſequendo communem, & ponitur ratio quare imago divi Petri Principis Apoſtolorum ponatur in ſiniſtra, Pauli autem in dextera.*
20 *De conſuetudine Regni Franciæ frater major præfertur in re uni adjudicanda.*
21 *Pater ſi inſtituat vinculum de bonis ſuis, etſi non addat quod defertur majori, ei deferatur.*
22 *Limita niſi ætate minor ſit prædilectus.*
23 *Referuntur plures ſecundo geniti, qui chariores fuere apud Deum, quam primogeniti.*
24 *Licet aliquando contingat ſecundo genito eſſe chariores, regulariter tamen, primogeniti ſunt præferendi.*
25 *Expenditur ſtatutum Pileatorum, vulgo, Boneteros, civitatis Toletanæ, quo cavetur, ſignum, quod pater mortuus ponebat in pileis, deferendum filio majori.*
26 *Intelligitur dictum ſtatutum, ut deferatur majori ejus uſus valoris autem fiat diviſio per æſtimationem.*
27 *Favendum eſt iis qui deplorant diminutum eſſe patrimonium.*
28 *Licet executoria nobilitatis ſit penes majorem; cæteri fratres ea fruuntur.*
29 *Signum niſi per æſtimationem dividatur, fratres juniores defraudarentur legitima, adjudicando illud majori.*
30 *Filii directè, nec obliquè poſſunt in legitima gravari.*
31 *De eo quod quis capit beneficio legis, nemo poteſt cenqueri.*
32 *Statutum ſemper eſt ſumendum in eo ſenſu, ut minus jus commune lædatur.*
33 *Statutum debet large, vel ſtricte intelligi: ſecundum quod minus derogetur juri communi, & juri tertii, etiam ſi oporteat verba impropriari.*
34 *Statuta recipiunt interpretationem declarativam à jure communi.*
35 *De ſigno Pileatorum eſt judicandum, ut de feudo hæreditario, cujus commoditas dividitur per æſtimationem inter fratres, uſu remanente penes majorem, qui alios poteſt prohibere uti eo.*
36 *Inſignis, Artifex poteſt prohibere alium ne utatur ſuo ſigno, ne inducatur confuſio mercium.*
37 *Ex ſigno, & marcha arguitur dominium.*
38 *Ad ſignum cognoſcuntur valla, ut vulgo fertur.*
39 *Ratione ſigni poteſt peti res in judicio.*
40 *Quod limita in ave ſignata cujuſcumque generis, dum fera natura ſit, quia ſi evolaverit ſit occupantis, non obſtante ſigno.*
41 *Nemo poteſt facere quin diſpoſitio legis in favorem alterius ſortiatur effectum.*
42 *Limita niſi habuerint conſuetudinem volandi, & redeundi.*
43 *Bona anniverſarii relicta abſque verbis indu-*

*ctivis majoratus deferuntur majori, ſecundum Iſerniam, cum quo tranſit Alvaradus.*

44 *Contrarium Flores de Mena, ex quo nullo jure id probatur, & quia ſufficit, quod ad unum poſſit pervenire; licet non ſit major ſorte, vel adjudicatione, cujus opinioni author aſſentitur, & comprobat multis aliis fundamentis.*

45 *In materia privativa, quod expreſſe cautum non eſt in lege non inducitur.*

46 *Non debemus eſſe inventores privationis, ubi lex non privat.*

47 *Æqualitas eſt ſervanda inter filios.*

48 *Æqualitas eſt inductiva concordiæ, & amica pacis.*

49 *Æqualitas (ſecundum Platonem & Ariſtotelem) ubi eſt, ibi amicitia.*

50 *Inæqualitas eſt inductiva diſcordiæ.*

51 *Fratres oderunt Joſeph, eo quod pater plus eum diligeret, & feciſſet tunicam polimitam.*

52 *Fratres nec unum iota patiuntur fratres anteferre.*

53 *Titulus de collatione bonorum tendit ad inducendam pacem inter fratres.*

54 *Et ſic pro inæqualitate vitanda, denegatur collatio.*

55 *Idem operatur oppoſitum in oppoſito, quod operatur propoſitum in propoſito.*

56 *Refertur diviſio Lothis, & Abrahæ fratrum.*

57 *Refertur conſuetudo, qui viget, ut quando terrenorum aliquid partiendum ſit, major dividat, & minor eligat.*

58 *Teſtimonium ſancti Doctoris munitum authoritate veteris, vel novi teſtamenti, vel etiam aliquo Canone, eſt præferendam cuicumque conſtitutioni.*

59 *Canoniſtæ tenent diviſionem faciendam eſſe dividente majore, & minore eligente, & Legiſtæ arbitrio judicis, vel ſorte, cum qua tranſit Covarruv.*

60 *Res anniverſarii quoties uni eſt adiudicanda, adiudicabitur uni ex filiis, ſorte, vel conventione, data recompenſa, ſine prælatione majoris, ſed judicio ſortis.*

61 *In judicio ſortis non gravatur aliquis niſi à fortuna, & ſic à judicio ſortis non appellatur.*

62 *Refertur judicium ſortis inter fundatores urbis Romæ.*

63 *Sors etiam admittitur in ſucceſſione.*

64 *Res anniverſarii poteſt eſſe penes plures pro indiviſo, prout poteſt eſſe res indiviſibilis.*

*SI de tabulis teſtamenti deponendis agatur, & dubitatur, cui eas deponi oporteat, ſemper ſeniorem juniori, & amplioris honoris inferiori, & marem fœminæ, & ingenium libertino præponemus:* verba ſunt Ulpiani *libro* 50. *ad edictum relata l. fin. ff. de fide inſtrumentorum*, cui convenit
1 *l.* 7. *titul.* 15. *part.* 6. Ex quibus verbis ſatis colligitur, quod ea res, quæ debet eſſe penes unum, debet ſervari apud majorem, ex aliis tradit Antonius Gamma *deciſione* 41 *numer.* 4. major enim ætas ſemper attenditur *l. ſemper ff. de jure immunitatis.*

2 Nec valet conſuetudo, quod junior præferatur ſeniori, Marcus Antonius Cuchus *libr.* 1. *inſtit. maio titul.* 9. *numero* 105. etiam immemorialis, Ruinus *conſilio* 155. *numero* 11. *volum.* 4. quia ut ipſe inquit, primus gradus humilitatis eſt deferre majori, gloſſ. *in Clementin.* 1 *verſ. humilitatis de Religioſ. domibus* Abbas *conſil.* 21. *volum.* 1. Majorem autem intelligas, non qui ſcientia, divitiis, potentia, ſeu dignitate alterum præcellit, quia ſæpe contingit alterum excedere in aliquo, ut dixit Apoſtolus, diviſiones gratiarum ſunt 1. *Corinthiorum c.* 12. ſed qui ætate, Barbatia. *conſilio* 10. *num.* 30. *volumin.* 2.

Et ſic exiſtentibus duobus notariis, ſeu tabel- 3
lionibus ejuſdem cauſæ acta debent eſſe penes ſeniorem, Baldus capit. quoniam contra falſam, verſiculo quid ſi judex, *num.* 55. *de probation.* Innocentius *cap.* 1. *de majoritate, & obedient.* ubi quod convocatio pertinet ad majorem, ubi non eſt aliud deputatus.

Atque ita in beneficiis præfertur ſenior. Barbat. 4
*conſ.* 23. ſcripſit Pſalmiſta *volum.* 1. ſequitur Rochus de Curte *tractat. juris patronatus, verb. honorificium numer.* 42. Bald. *conſ.* 167. *incip. ordinatio teſtamenti in fine*, *volumine* 4. Gregorio. *l.* 7. *titulo* 15. *partita* 6. *verb. mas anciano*, Joannes Gutierrez *conſ.* 2. *num.* 30.

Sic ſeniores præferuntur in teſtimonii fide, & in 5
dignitatibus, ut per gloſſ. & DD. *l. cum quid. ff. ſi cert. petatur.*

Sic & ſeniores prius debent loqui *capit.* 1 *de con-* 6
*troverſia feudi inter patron.* Romanus *ſingulari* 81. Rolandus *conſ.* 47. *num.* 70. *volumine primo*, quia 7
plus valet umbra ſenis, quam enſis juvenis, *cap.* 1. *de renuntiatione*, Bald. *l. ſenium num.* 1. *C. qui teſta-* 8
*menta facere poſſ.* Et ratio majoriæ præcipuè procedit inter fratres, quia major dicitur Dominus fratrum. *Geneſis capit.* 27. & *l.* 2. *titul.* 15. *partita* 2. *ibi: Que lo adelena, è lo pone ſobre los otros, porque le deven obedecer, y guardar aſſi como à padre, y ſeñor.* Et Abulenſis *ſuper capit.* 11. *lib.* 2. *Paralipomen. quæſtione* 27. dicit, quod primogeniti ſecun- 9
dum omnes, aut ſaltim plurimas gentes, habebant dignitatem ſuper cæteros, & quod ſi aliqua dignitas, vel honor erat proveniens jure hæreditario, quæ non poterat dividi, ſoli primogenito competebat.

Et ſic videmus, quod executoria nobilitatis, quam 10
pater litigavit, licet expenſis totius patrimonii, & forſan labore, & ſolicitudine aliorum filiorum ſit obtenta, relinquitur majori, quia, ut inquit Bald. *l. ultima in fine. C. pro ſocio*, in eo ſtat ſplendor genituræ.

Sic manor fratrum poteſt eligere domum prin- 11
cipalem patri, Alvarado *de conjecturata mente defuncti libro* 2. *capit.* 2. §. 3. *numero* 5. & *eo liber. cap.* 4. *numer.* 29.

Et major fratrum debet ponere cuſtodes arcium, 12
& oppidorum & creare judices, & prætores, Felinus *cap. prudentiam de offic. delegati num.* 7. quem & alios refert, & ſequitur Queſada *diverſarum quæſt. cap.* 14. *numer.* 10.

Sic & claves domus, & rerum hæreditariarum 13
debent eſſe penes majorem *l. cum pater* §. *pluribus de legat.* 2. Anton. Gomez. *l.* 40. *Taur. numer.* 59. *verſicul.* 3. ubi refert Rodericum Suarez, & 14
alios, ita tenentes alios refert Flores de Mena *libro* 1. *variarum quæſtion. quæſtione* 18. *numer.* 22. atque ita rationis redditio pertinet ad majorem fratrem, Paulus Montanus *de jure tutelarum*, *cap.* 15
38. *numero* 64. & 65. Sic frater major ſedet ad dexteram, tradit Anton. Gomez *l.* 40. *Taur. numer.* 1. ex eo, quod dextera eſt honoratior, Bald. *l. decernimus* 2. *notabili num.* 2. *C. de ſacroſanctis Eccleſiis*, ſequitur Tiraquel. *de jure primogeniture præfatione*, *num.* 13. *cum ſequentibus*, ubi quod dextera

eſt



præſtantior, & nobilior multis rationibus, & authoritatibus comprobat. Quod etiam tradit Selva *de beneficio* 1. *parte*, *quæſtione* 52. *in fine*, ubi addidit locum Apocalypſis divi Joannis de viſione Angeli ponentis pedem dextrum ſuper mare, quem non retulit Tiraq. qui licet alioquin vir do-
17 ctiſſimus eſſet, domi penes ſe tenebat ſuo ſtipendio conductos viros peritiſſimos diverſarum ſcientiarum, & profeſſionum, à quibus congruas ſententias diverſorum authorum habitas, pro eorum profeſſione, ſuo acri judicio in ſuis locis accommodabat ut tradit Simon de Prætis *de interpret. ultim. volunt. in præfatione*, *num.* 21. Quod honoris, & laudis nihil detrahit ſuis operibus.

18 Et licet ſatis fundet ubi ſupra, dexteram eſſe locum nobiliorem, & præſtantiorem, contrarium tuetur multis rationibus Caſſaneus *in Catalogo gloriæ mundi.* 3. *parte*, *conſideratione* 2. ubi poſt Nebriſenſem, quem ibi tranſcripſit, nititur defendere ſiniſtram eſſe præſtantiorem, & ob id in Bullis plumbatis Romani Pontificis depingi imaginem divi Petri Apoſtolorum Principis in ſiniſtra parte, Pauli autem ad dexteram: ſed licèt ſatis curioſè, & ſubtiliter nitatur juvare ſuam opinionem verſibus Poëtarum intellectis, juxta expreſſionem ab eo traditam, & aliis rationibus puto, quod magis ſub-
19 tiliter, quam verè in id reſidet. Et cum apud omnes receptum ſit, dexteram eſſe nobiliorem partem, reſponde ad id de imaginibus Petri & Pauli Apoſtolorum, quod dextera ſignificat immortalitatem, ſiniſtra autem mortalitatem, & ob eam ſignificationem Petrus ponitur in ſiniſtra parte, quia aſſumptus fuit ad Apoſtolatum tempore mortalitatis Chriſti Domini noſtri ante ejus mortem. Paulus autem ad dexteram, quia adhæſit Apoſtolatui poſt Aſcenſionem Domini, ita tradit Guillermus Durandus *in libro* qui intitulatur *Rationale divinorum officiorum lib.* 7. *cap.* 44. *verſiculo.* quidam tamen per duos annulos, ſequitur Selva *de beneficio* 1. *parte*, *quæſt.* 5. *num.* 71. *Decius in capit. tranſlato* 2. *lectura*, *numero* 20. *de conſtitutio.* Ludovicus Gomez *capit.* 1. *numer.* 36. *de conſtitution. lib.* 6. Cardinalis Sancti Sixti *lib.* 2. *de Eccleſia*, *num.* 3. Cardinalis Alexand. *in cap. quamvis* 21. *diſtinctione.*

20 Sed redeundo à quo digreſſi fuimus de prælatione fratris majoris in ea re, quæ uni eſt adjudicanda de conſuetudine Regni Franciæ teſtatur Tiraquel. *de jure primogenituræ*, *quæſtione* 60. *in fine.*

21 Sic ſi pater inſtituat vinculum in bonis ſuis, & non addat, quod deferatur filio majori, nihilomi-
22 nus ei defertur, poſt alios tradit Alvaradus *de conjecturata mente libro* 2. *capite octavo*, §. *tertio numero octavo*, ubi *num.* 10. limitat niſi ætate minor ſit prædilectus, quod ſæpè contingit, tradit Mieres *de majorat.* 2. *parte quæſtione* 5. *numero finali.* Et
23 de Deo optimo Maximo multis ſacræ Scripturæ locis legitur, ſecundo genitos dilexiſſe, charioreſque habuiſſe quàm primogenitos; nam dilexit Abel ætate minorem, quam Cain, Iſaac, Juniorem Iſmaele, Jacob dilexit, Eſau odio habuit, Phares electus, reprobatus Zaram, electus Ephraim reprobatus Manaſſes, electus Juda, in quem benedictio ſeminis Chriſti transferretur, reprobatus Ruben, electus præ cæteris David minus inter octo fratres Moyſes, magis dilectus, quam Aaron; & de aliis videre poteris per divum Hieronymum in Iſaïam, ca-
24 pit. 10. Sed quod hoc aliquando contingat, non obeſt, quin regulariter primogeniti ſint præferendi, ut tradit Tiraq. *de jure primog. in præfatione*, *n.* 74.



Et in hac civitate Toletana adeſt ſtatutum in offi- 25
cio Pileatorum, vulgò, *Boneteros*, quo cavetur, quod ſignum, quod pater mortuus ponebat in pileis deferatur filio majori, ex quo ſi omnes filii eo uterentur, induceretur confuſio mercium: & ſic cùm non poſſit eſſe penes plures, ſed uni ſit adjudicandum, defertur majori. Quod intellige, dummodò valoris ſigni fiat diviſio per æſtimationem, argumento eorum quæ tradit Padilla *l. cum quidam*, *numero* 25. *de legat.* 2. Atque ita jam vidi in partitione bonorum cujuſdam magiſtri illius artis fieri æſtimationem ſigni, & gravatum filium majorem ad dandum decem mille marapetinos cuilibet ex fratribus, & ſororibus, quod quidem habet maximam æquitatem, nam à communiter accidentibus talia ſigna famigerantur per oppoſitionem optimæ lanæ, optimæque rubeæ coloris, in quo magiſtri conſumunt partem ſuæ ſubſtantiæ, & forſan ex induſtria aliorum filiorum elaborantium in perficiendis pileis, & eſſet periniquum, quod filius major totum ſigni valorem ſibi perciperet, & remanerent fratres lugentes contra *deciſionem l. cum oportet. C. de bonis quæ liber.* Et poſſent fratres conqueri dicentes, cur nobis ſit damno tibi lucroſa voluptas, nos ſementem fecimus tu metis. Et faven- 27
dum eſt iis qui deplorant diminutum eſſe patrimonium, *l.* 3. *C. de alluvionibus.*

Nec obſtat, quod ſuperius diximus, quod executoria nobilitatis licèt expenſis totius patrimonii & ſolicitudine aliorum filiorum ſit obtenta, debet 28
remanere penes majorem, quia eſt diſpar ratio, nam licèt ſit penes majorem, æqualiter omnes fruuntur illa. Et ſic optimè inquit Baldus, quod in majori ſtat ſplendor genituræ, ut ſupra *num.* 10. qui ad omnes alios extenditur, & non ſtat in eo privative, ſeu excluſive, ſed accumulativè, & cuſtodiæ cauſa, quæ non privat cæteros fratres ſua poſſeſſione, & jure, argumento, *l. intereſſe puto*, ubi Bartol. *ff. de acquirenda poſſeſſione.* Signum au- 29
tem non cuſtodiæ cauſâ, ſed in totum adjudicatur majori fratri, & niſi per æſtimationem dividatur, neceſſariò fatendum eſt, juniores fratres defraudari ſua legitima, cum in tali ſigno non mediocris pars paternæ ſubſtantiæ ſit. Atque ita privarentur filii illa parte, ac ſi defraudarentur aliis bonis, quia nil refert quid ex æquipollentibus fiat *l. ſi mulier. ff. de conditione cauſa data l. mulier, quæ duobus* 1. *reſp. ff. ad Trebell. l. Julianus ait, ff. de condition.* & *demonſtrat l. ultima in fine, ff mandati*, Mandoſius *conſilio* 7. *num.* 12. & *conſilio* 21. *num.* 3. Et di- 30
rectè, nec obliquè filii poſſunt in legitima gravari *l. quoniam in prioribus C. de inofficioſo teſtamento.*

Neque etiam obſtat ſi dicatur, quod tale ſignum 31
capit primogenitus beneficio legis ſeu ſtatuti: nam reſpondeo, quod non repugnat noſtræ ſententiæ, quia ſolum jubet, quod filius major utatur illo ſigno, & licet quo ad uſum, & exercitium cæteris auferatur, non tamen negat eſſe conferendum per æſtimationem, atque ita cum poſſit ſtatutum habere effectum, & fratribus conſuli, ſtatutum ſumendum eſt in eo ſenſu, ut minus jus commune lædatur, Bartol. *l. omnes populi*, *num.* 56. & ibi Jaſ. *numero ſexageſimo*, *digeſtis de juſtitia*, & *jure*, Ripa *in rubrica ſoluto matrimonio*, *numero ſexageſimo primo*, Andreas Alferii *conſilio ſexageſimo octavo*, *num.* 6. ubi Additionator, & Rolandus *conſilio vigeſimo primo*, *num.* 21. *volumine* 1. Ubi quod 33
ſtatutum debet largè, vel ſtrictè intelligi, ſecundum quod minùs derogetur juri tertii, etiam ſi

 opotteat

oporteat verba impropriari, ut probatur, *capite*
*cum dilectus*, quem ibi ad hoc ponderant Anto-
34 nius de Butrio, & Imola *de conſuetudine*, & ſta-
tuta recipiunt interpretationem declarativam à jure
communi, Albericus 2. *part. ſtatutorum quæſtion.*
2. *num.* 5. *poſt medium.*
35 Erit itaque judicandum de hoc ſigno, ut de feu-
do hæreditario, cujus commoditas communicatur,
ut tradit Raudenſis *conſ.* 6. *num.* 9. & diximus ſu-
prà, *cap.* 4. *num.* 20. & hoc ſaltim per æſtima-
tionem in partitione bonorum patris, uſu remanen-
36 te penes majorem qui alios poterit prohibere uti eo,
prout quilibet inſignis artifex poteſt, *argumento*
*textus in capite dilecta de exceſſibus Prælatorum*,
& tradit Avendanus *libr.* 1. *de exequendis manda-*
*tis*, *cap.* 19. *numero trigeſimo ſecundo*, de quo Ma-
tienço *l. ſexta titulo decimo ſecundo*, *gloſſa prima*,
*ſecunda*, *& tertia*, *lib.* 5. *Recopil.* Antonius Go-
mez. *l. quadrageſima quinta Tauri numero ſeptuage-*
*ſimo ſeptimo*, quia ultra confuſionem mercium in-
37 duceretur confuſio dominii. Cum ex ſigno, & mar-
cha arguatur dominium, *l. quod ſi neque*, *ff. de*
*periculo*, *& commodo rei venditæ*, *deciſio Genuens.*
201. *num.* 3. ubi inquit, quod ex eo emanatum
38 eſt illud vulgare. Quod ad ſignum cognoſcuntur
balliæ, & Boërius *deciſ.* 105. *num.* 9. Maſcard. *de*
39 *probation. concluſione* 557. *num.* 3. Ubi quod ra-
tione ſigni poteſt peti res in judicio, quod ibi,
40 *numero* 6 limitat in ave ſignata cujuſcumque ge-
neris, dum feræ naturæ ſit, quia ſi evolaverit,
41 non obſtante ſigno, fit occupantis, quia ſignans
volucres non poteſt facere quin legis diſpoſitio in
favorem alterius ſortiatur effectum, quod tamen
ſublimitat *numero* 7. Niſi habuerint conſuetudinem
42 volandi, & redeundi, juxta deciſionem §. *pavo-*
*num inſtituta de rerum diviſione*. Redeamus ergo à
quo volati, & digreſſi fuimus.
44 De bonis autem relictis cum onere anniverſarii
abſque verbis inductivis majoratus, quod deferan-
tur majori, tenet Iſernia, *cap. Imperialem*, §.
*præterea Ducatus*, *de prohibita feudi alienatione*
per Federicum, ubi quod ſi aliquis emat feudum,
vel anniverſarium extraneum, quia indiviſibile,
debet pervenire ad filium majorem, cum quo tran-
ſit Alvaradus *de conject. mente defunct. libro* 10. *cap.*
3. §. 3. *numero decimo primo.*

Sed ab eo diſcedit Flores de Mena *lib.* 1. *varia-*
*rum*, *quæſt.* 18. *num.* 24. ubi id falſum eſſe exiſti-
mat, quia nullo jure probatur, & quia ſufficit,
quod ad unum poſſit pervenire, etiam ſi major
non ſit, vel ex ſortibus, vel adjudicatione, data
recompenſa, vel aliàs, cujus ſententiæ libenter
aſſentior, atque ita intelligenda eſt conſtitutio Sy-
nodalis, de qua ſuprà, *capit.* 4. *numero* 7. ubi non
dicitur, quod ſit penes majorem, ſed penes
unum.

Pro cujus ſententia facit, quia ſi majori eſſet
adjudicandum induceretur privatio aliorum filio-
45 rum; at in materia privativa ſi expreſſe cautum
non eſt lege, non inducitur diſpoſitio, textus
*in authent. de non eligendo ſecundo nubentes*, §. *op-*
*timum*, *collatione* 1. ibi: *Nec qualibet eſt lex ali-*
*quid tale dicens*, quem textum ad hoc extollunt re-
lati à Cacherano *deciſione* 147. *num.* 40. & Mo-
lina *libr.* 3. *primogen. cap.* 4. *numer.* 36. Roland.
46 *conſilio* 27. *num.* 14 *volumine* 1. nec debemus eſſe
inventores privationis, ubi lex non privat, ut
dicit Tellus Fernandez *l.* 6. *Taur. n.* 20.
47 Quod maximè procedit, quia æqualitas eſt
ſervanda inter filios, *l. inter filios*, *C. familiæ er-*
*ciſcundæ* Roland. *conſilio* 51. *num.* 7. *volum.* 4. Ti-
berius Decianus *conſil.* 3. *num.* 37. *volumin.* 1.
Quia æqualitas eſt inductiva concordiæ, & amica 48
pacis, & propterea in omnibus ſervanda, *l. fin.*
*C. de fructibus*, *& litium expenſis*, *l. quamvis*, *C.*
*de impube. aliis*, *l. ſi cum dies*, § *arbitror in fine*,
*ff. de arbitris*, *l.* 1. §. *ſi is quod ff. de rei vendica-*
*tione*, Aymon *conſilio* 133. *numero* 8. Tiraquell.
*de jure primogen. quæſtione* 4. *numero* 8. ubi *nume-*
*ro* 9. refert Platonem, & Ariſtotelem dicentes, 49
ubi æqualitas, ibi & amicitia.

Et inæqualitas eſt inductiva diſcordiæ, *Geneſis* 50
*capit.* 37. habetur. Quod illi fratres oderunt Joſeph,
eo quod pater plus eum diligeret, & feciſſet tuni- 51
cam polymitam. Fratres enim nec unum jota patiun- 52
tur fratres anteferri, ut utar verbis Angeli *conſ.* 28.
relati à Tiraquello *de jure primogenituræ*, *quæſt.* 4.
*num.* 7. & facit *l. cum oportet in princip. verſic ſic*
*etenim & §. ſin autem in fine*, *C. de bonis quæ libe.*
Socinus *conſil.* 4. *num.* 6. *volum.* 1. ubi quod ad
pacem filiorum inducendam tendit titulus *de colla-* 53
*tione bonorum*, idem tradit Hieronymus à Lauren-
tiis *in repetitione l. ſi emancipati*, *quæſt.* 5. *num.*
52. *C. de collatio. & probatur*, *l. ut liberis*, *C. de*
*collatio.* ibi: *Æquâ lance*, *parique modo proſpici*
*poſſit*, & ſic pro inæqualitate vitanda denegari de- 54
bet collatio, ut dicit Petrus Burdus *conſilio* 219. *num.*
3. *volum.* 2. ut idem operetur oppoſitum in oppo- 55
ſito, quod operatur propoſitum in propoſito, *l. ſi*
*ex toto in princip. l. quod in rerum*, §. *ſi quid poſt*
*de legat.* 1. *l. fin. de legat* 3.

Pro quo facit, quod tradit Divus Auguſtinus 56
*de civitate Dei*, *libr.* 16. *capit.* 20. ubi dum loqui-
tur de diviſione Lothis, & Abrahæ fratrum, refert
verba Abrahæ dicentis ad fratrem Loth, ſi tu in
ſiniſtram, ego in dexteram, vel ſi tu in dexteram,
ego in ſiniſtram, ut habetur *Geneſis cap.* 13. Vides
ergo qualiter Abraham frater major æqualiter divi-
ſionem propoſuit; ex quo infert Auguſtinus, quod
hinc fortaſſis affecta eſt inter homines pacifica con-
ſuetudo, ut quando terrenorum aliquid partien-
dum eſt, major dividat, & minor eligat, quod
etiam comprobatur *capit.* 1. *de parrochis ibi*, ita 57
ut ille dividat, qui amplius tempus in Epiſcopatu
habet, & minor eligat, ubi gloſſa innuit, melio-
rem eſſe conditionem minoris, & hunc modum
dicit frequentiori conſenſu receptum Covarruv.
*practicarum quæſtione* 40. *numero* 3. & ibi refert plu-
res Doctores id adnotantes, & Romanus *conſilio*
471. refert legem municipalem quâ idem erat ſta-
tutum, & Andreas Gail *lib.* 2 *obſervationum*, *ob-*
*ſervatione* 116. *num.* 14. dicit conſuetudine Ger-
maniæ in Camera Imperiali approbata, id eſſe re-
ceptum, & Andr. Fachineus, *libro* 6. *controver-*
*ſiarum juris*, *cap.* 37. inquit, quod teſtimonium
ſancti Doctoris munitum authoritate veteris, vel
novi Teſtamenti, vel etiam aliquo Canone, eſt
præferendum, cuicumque conſtitutioni, ut tradit 58
gloſſa, *cap. de libellis*, *verbo*, *illorum* 20. *di-*
*ſtinctione*, & Gratianus, *capit. placuit* 36. *quæſtione*
2. & (referens ibi opinionem Canoniſtarum, quæ
eſt prout *in dict. capit.* 1. *de parochis*, & legiſta-
rum, ut fiat diviſio arbitrio judicis, & quod ab eo
facile diffiniri non poſſit, ſorte dirimatur, (reſol-
vit conſuetudinem, de qua teſtatur, divus Augu-
ſtinus ſervandam ubi viget, quam dicit laudabilem,
ſi tamen jure agatur, opinionem Canoniſtarum ſer-
vandam inforo Eccleſiaſtico, & in terris ſubjectis
tempo



temporaliter ditioni Romani Pontificis: legiſtarum
autem opinionem in foro Cæſaris, ex quo nulli ex-
tant ſacri Canones, qui leges abrogent hac in re. Co-
varruv. *autem dict. q.* 40. *in fine*, inquit, quod Roma-
nus Pontifex *in dict. capit.* 1. illud diſpoſuit favore
fidei, atque ita in eo tantum caſu, vel aliis ſimi-
libus ſervandum eſt. Siquidem, ut ipſe inquit,
communi ſententia receptum eſt, regulariter divi-
ſionem judicis arbitrio, aut ſorti committendam
eſſe, *l. non amplius* §. 1. *& l. ſequenti de legat.*
1. *l.* 2. *C. quando*, *& quibus quanta pars debetur*
*libr.* 10. & tradit Tiraquell. *de jure primogen. quæ-*
*ſtione* 60.

Atque ita teneo, quod ajudicabitur talis res affe-
cta onere anniverſarii uni ex filiis vel ſorte, vel
60 conventione data recompenſa, quod etiam tenet
Flores de Mena *libro* 1. *variarum quæſtione* 18. *nu-*
*mero* 24. *in fine*, *& conſtitutio Synodalis* 65. *Car-*
*dinalis de Quiroga*, non dixit, quod daretur ma-
jori, ſed uni, ibi: *Que un heredero las tenga*,
*y pagua el tributo*: & ſi fiat diviſione, conventione,
vel ſorte, omnibus conſulitur, nam ſi conven-
tione nulli fit injuria; quæ non fit conſentienti, ſi
ſorte non gravatur niſi à fortuna, de qua non poteſt
61 conqueri. Et ſic à judicio ſortis non appellatur, Bal-
dus, & Jaſ. *l. ſi duobus in princip. C. communia de*
*legatis*, ſequitur Decius *l.* 1. *numero* 17. *C. de pa-*
*ctis*, plures refert Meneſius, *l. de fideicommiſſo*,
*num.* 6. *C. de tranſaction* Menoch. *libr.* 2. *de arbi-*
*trar centuria* 5. *caſu* 442. *num.* 11. de quo Ayora
*de partitionibus* 3. *parte quæſtione* 11. nec datur re-
medium *l.* 2. *de reſcind. venditione*, Pinel. *ibi ca-*
*pit.* 1. *numero* 6. niſi ſit error, ut *ibi numero* 8.

Sic obtinuit judicium ſortis inter fratres urbis
Romæ fundatores, dum inter eos eſſet conten-
62 tio, an vocaretur Rema à Remo, vel Ro-
ma à Romulo, ut refert gloſſa *penultima in l. fin.*
*ff. de rerum deciſione*, ubi quod facto Domino Ro-
mulo per ſortem, occidi fecit fratrem, quia mu-
ros tranſcenderat. Et in ſucceſſione admittitur ſors,
Alexand. Raudenſ. *conſil.* 1. *numero* 46. *per l. ſed*
*cum ambo*, *ff. de judiciis.* Quinimò, & penes plu-
63 res poteſt eſſe res affecta onere anniverſarii, dum-
64 modo ſervetur indiviſibilis, quia ut inquit Alexand.
Raudenſ. *conſil.* 1. *numero* 103. non eſt bona con-
ſequentia, eſt indiviſibile ergo ad unum tantum
ſpectat, cùm poſſit una res ad plures pro indiviſo
pertinere, *l. ſi ut certo*, §. *fin. ff. commodati.* Et
ſic juſpatronatus, quod eſt indiviſibile tranſit ad
omnes filios patroni defuncti, & commoditas præ-
ſentationis dividitur inter eos, ita ut alternis vici-
bus præſentent, textus eſt in Clementina 2. *jur.*
*patronat.* quem textum dicit notabilem Roland. à
Vall. *conſil.* 80. *numero* 3. *volumin.* 1. & expendit
Vincentius de Franch. *deciſione* 85. *numer.* 3. &
idem contingit in juriſdictione; nam cum indiviſi-
bilis ſit commoditas ejus, dividitur inter filios hæ-
redes, ut per Roder. Suarez, *l. quoniam in priori-*
*bus*, *Cod. de inofficioſo teſtament. in declaratione*
*legis Regni* 2. *dubio*, *numero octavo*, *pagin. mihi*
188. & dicemus infra *hoc libro capite decimo ſepti-*
*mo*, *numero quinto & ſequentibus*, & diximus *ſu-*
*pra numero trigeſimo quinto.*

## CAPUT VIII.

### Tertius poſſeſſor rei affectæ onere anniverſarii poſſitne directo conveniri, an per hypothecariam?

*SUMMARIUM.*

1 *Authentica*, hoc ſi debitor, C. de pignoribus, limitat. l. perſecutione pignoris, *illius tituli*, *ut ſolum procedat in debitore poſſidente pignora*, *ſecùs ſi tertius poſſideat.*
2 *Yrnerius habuit poteſtatem transferendi authenticas* de libro authenticorum ad C. non autem legis condendæ, *& ita ſi verba non conveniant*, *ſtandum eſt verbis authenticorum.*
3 *Si tertius poſſeſſor rei affectæ onere anniverſarii non poſſit conveniri niſi facta executione*, *juxta formam authent. hoc ſi debitor*, *ſentiet damnum pia cauſa*, *cum differatur ſolutio.*
4 *Super executione eſt pronunciandum*, *an ſit legitimè facta?*
5 *In multis caſibus non requiritur executio*, *ut tertius poſſeſſor conveniatur*, *ut ſi perſonaliter obligatus notoriè ſit non ſolvendo.*
6 *Idem ſi ſit abſens*, *quia dicitur non ſolvendo*, *niſi habeat domicilium in quo poſſit conveniri*, *nam nunc ad hunc effectum non dicitur abſens.*
7 *Idem ſi non appareant bona excutiendi*, *& Alguacelus*, *vel executor affirmet*, *cui eſt credendum.*
8 *Vel ſi bona ſint intricata*, *vel ſit difficultas conventionis.*
9 *Vel ſi conveniendus ſit rixoſus.*
10 *Idem ſi tertius habeat jus à condemnato lite pendente.*
11 *Et idem ſi adſit pactum de capiendo propria authoritate.*
12 *Idem ſi adſit cautela de non alienando*, *quia tunc impeditur dominii tranſlatio*, *nec bona cenſentur exiiſſe de bonis primi debitoris.*
13. *Idem & ultimo ſi ſit onus injunctum ipſi rei*, *ut onus anniverſarii*; *quo caſu perſequitur res onerata*, *quæ eſt apud tertium*, *nulla facta excuſſione.*
14 *Multum intereſt inter hypothecam*, *& onus rei injunctum.*
15 *Hypotheca non contrahitur*, *niſi adſit perſonalis obligatio*, *cui ſupponatur.*
16 *Quod non ſolum procedit in hypotheca expreſſa*, *ſed etiam tacita.*
17 *Hypotheca pro dote incipit poſt ſolutum matrimonium*, *quia ab eo tempore incipit actio perſonalis dotis*, *licet retrotrahatur ad ſimilitudinem implementi conditionis in actione perſonali.*
18 *Traditur etymologia vocabuli*, *hypotheca.*
19 *Licet hypotheca non poſſit conſtitui ſine objecto perſonalis obligationis*, *conſtituta tamen poteſt parari à perſonali.*
20 *Onus dicitur*, *quod eſt impoſitum & injunctum rei*, *non adhærens ulli actioni perſonali*, *quaſi quædam ſervitus*, *& numero* 27.
21 *Ubi onus imponitur non id agitur*, *ut pro ſecuritate*

*tate redditus promiſſi ſit res hypothecata, ſed ut in ipſa re ſit onus impoſitum.*

22 *Diverſimodè judicatur de re ſuper qua onus anniverſarii eſt impoſitum, quam de cæteris pro ſecuritate hypothecatis, quippe cum alienatis rebus anniverſarii tertius conveniatur, non facta excuſſione requiſita in hypothecatis.*

23 *Nullatenus eſt dicendum in rebus oneratis hypothecam contrahi.*

24 *Jure communi abſque aliquo favore poteſt tertius poſſeſſor rei affectæ onere anniverſarii directo conveniri, licet Guido tenuerit procedere ſpeciali aniverſariorum favore.*

25 *Et non ſolum tertius poſſeſſor poterit conveniri pro redditibus temporis quo ipſe poſſedit, ſed etiam pro præteritis.*

26 *Poterit tamen poſſidens ſe excuſare à ſolutione oneris anniverſarii, relinquendo rem.*

27 *Onus anniverſarii dicitur ſervitus innominata.*

28 *Legatarius fundi, cum onere ſolvendi centum fideicommiſſario ſi nolit illa præſtare poterit cum voluerit relinquere ſecundum oneratum.*

29 *Quando onus reſpiciens rem, venit ex diſpoſitione contrahentium, non liberatur relinquens rem, ex quo remanet perſonaliter obligatus.*

30 *Hæredes imponentis cenſum tenentur etiam, quod res cenſuata ſint tranſlatæ in tertium.*

31 *Jus executivum reſultat ex perſonali obligatione.*

1 HOC *ſi debitor poſſideat, alio vero poſſidente inhibetur hypothecaria, donec cum reo & interceſſore perſonaliter actum ſit*: verba
ſunt Yrnerii, deſumpta *ex authent. de fidejuſſori-*
2 *bus*, §. *ſed neque collatione* 1. ( Hic Yrnerius habuit poteſtatem transferendi ſolum authenticas de
libro authenticorum ad Codicem, non legis condendæ, ut tradunt Decius *in authentic. præterea*,
*C. unde vir, & uxor in princip.* & Corneus *authentica ex cauſa, num.* 91. *C. de liberis præteritis*,
Covarruv. *cap. Raynutius*, §. 6 *numer.* 4. *de teſtament.* Barboſa *l.* 15. *part. num.* 85. *ff.* ſoluto matrimonio, Marcus Antonius Nata authentica, *quod
niſi num.* 44. *C. de teſtamentis* ( & poſita *in titulo*, *C. de pignoribus.* ad limitationem legis perſecutione pignoris illius tituli, qua diſponitur, poſſe creditorem uti perſecutione pignoris, omiſſa perſonali
actione, ut ea deciſio ſolum procedat, ſi debitor pignus poſſideat, alioquin ſi de ejus dominio exierit, & ſit penes tertium, perſecutio pignoris,
ſive hypothecaria ſuſpenditur, donec in perſonaliter obligatos ſit facta excuſſio.
3 Et ſi re anniverſarii tranſlata in tertium per alienationem ( quam fieri poſſe diximus *ſupra capit.* 2.)
pignoris perſecutione, ſive hypothecaria experiundum ſit: itidem fateri cogimur, ea utendum eſſe
actione priùs excuſſione facta, juxta formam dictæ authenticæ, hoc ſi debitor, quod quidem non modicum afferret damnum piæ cauſæ cum differatur
4 ſolutio relicti pro anniverſario. Ex quo eſt prius pronunciandum ſuper excuſſione, ut tradit Puteus
*deciſione* 32. Gama *deciſione* 99. vocato ad id pignorum poſſeſſore, Antonius Gabriel *libro* 2. *concluſ. titulo de fidejuſſoribus*, *concluſ.* 1. *numer.* 26. & 42.
5 Sed quamvis deciſio dictæ authenticæ regulariter procedat, ſunt tamen plures caſus quibus excuſſio
non exigitur, ut ſi perſonaliter obligatus notoriè ſit non ſolvendo, ita tradit Gabriel, *ubi ſupra*,
*numero* 90. Afflict. *deciſione* 318. Franchis *deciſ.*
273. *numer.* 4. Vel ſit abſens, quia dicitur non 7
ſolvendo, Joſephus Ludovicus *deciſione Lucenſi* 21.
*numero* 4. Beccius *conſ.* 89. *numer.* 20. ( niſi habeat domicilium in quo poſſit conveniri, quia tunc ad hunc effectum non dicitur abſens, ut dicit, plures referens, *deciſ. Rotæ Genuenſ.* 90. *numer.* 11.) vel ſi non appareant bona excutiendi, & Alguacellus ſeu executor affirmet, cui eſt credendum ſecundum Avend. *reſponſo* 15. *numero* 2. Hyppolitum *rubrica de fidejuſſoribus*, *num.* 22. vel ſi bona ſint extra territorium, Gama *deciſione* 161. Gabriel. *dict. concluſ.* 1. *numer.* 61. vel ſi bona ſint parvi valoris, quia in vilibus bonis non eſt facienda excuſſio, Rolandus *conſilio* 9. *numer.* 3. *vol.* 1. Magonius *de-
ciſ. Lucenſi* 65. *numero* 8. Vel ſi bona ſint intrica- 8
ta, deciſio Genuæ 156. *numero* 8. vel ſit difficultas conventionis Gama *deciſ.* 21. Theſaurus *deciſ.*
*Pedemontana* 40. Vel ſi conveniendus ſit rixoſus, 9
Gabriel, *ubi ſupra*, *numer.* 63. ubi de aliis. Vel ſi 10
tertius habeat jus à condemnato, lite pendente. Ægidius magiſtri *tract. ſubhaſtationum cap.* 21. Aymon. *conſ.* 235. *numero* 2. Joſeph. Ludovic. *de-
ciſ.* 26. *n.* 9. Anton. Gabr. *ubi ſupra n.* 45. Vel ſi ſit 11
pactum de capiendo propria authoritate, Capitius
*deciſ.* 54. vel ſi adſit clauſula de non alienando, 12
quia tunc cum impediatur domini tranſlatio, mediante pacto, *l. ſi creditor*, §. *fin. digeſtis de diſtract. pign.* bona non cenſentur exiiſſe de dominio primi debitoris, Salazar. *de uſu, & conſuetud. capit.* 11. *num.* 63. *in fine*, & ita non eſt neceſſaria excuſſio, Roderic. Suarez, *l. poſt rem*, *limit.* 1. *numer.* 5. & 13. Joann. Gutierr. *l. nemo poteſt*,
*num.* 29. & 30. *de leg.* 2. Vel niſi onus ſit injun- 13
ctum ipſi rei, ut in anniverſario, quo caſu perſequitur res onerata, quæ eſt apud tertium, nulla facta excuſſione, ut tradunt DD. inferius citandi.
Quod ut melius percipias, ſcias multum intereſſe 14
inter hypothecam, & onus rei injunctum: quippe 15
cum hypotheca non poſſit contrahi, niſi adſit perſonalis obligatio, cui ſupponatur, *l. contrahitur*, ibi: *Propter aliquam obligationem*, *digeſtis de pignoribus*, tradit Petr. Surd. *conſil* 146. *num.* 9. 1. *part.* Barboſa, *l. ſi conſtante*, *in princip. num.* 22. *ſoluto
matrimon.* ubi quod non ſolum procedit in hypo- 16
theca expreſſa, ſed etiam tacita, de qua *in l. uni-
ca*, §. *& ut plenius*, *Codic. de rei uxoriæ actione*, 17
quo caſu inquit incipere hypothecam poſt ſolutum matrimonium, quia ab eo tempore incipit actio perſonalis dotis, licèt retrotrahatur ad ſimilitudinem implementi conditionis in actione perſonali, quia retrotrahitur ad initium diſpoſitionis, ad quod
allegat Neguſ. & Bal. Novellum, ut ibi videre po- 18
teris latius: hypotheca enim Græcè ſignificat Latinè obligationi ſuppoſitum, ut tradit Budeus *in annotationibus ad Pandectas*, *l. penultim. digeſtis
de pign.* Atque ita non poteſt conſtitui ſine objecto 19
perſonalis obligationis, licèt conſtituta poſſit ſeparari à perſonali, *l.* 2. *C. de luitione pig. l. ex ſextante*, §. *Latinus largus*, *digeſtis de except. rei jud.* notat Bart. *l. fidejuſſor obligari*, *in princip. digeſtis de fidejuſſor.* & reſolvit Neguſantius de Fano *de pignoribus* 6. *p.* 2. *membro numero* 5. Salazar. de uſu & conſuetud. *capit.* 11. *numero trigeſimo ſexto*, Franchis *deciſ.* 80. *num.* 17. 1. *p.* Meneſius, *l.* 3. *numero.* 31. *in fine*, *Cod. de fideicommiſſis*, Burgos de Paz *l.* 3. *Tauri*. *numer.* 894.
Onus autem dicetur impoſitum quotiens rei ſo- 20
lùm injungitur non adhærens ulli actioni perſonali, ſed rei ipſi quaſi quædam ſervitus: ita tradit
21 Velaſcus 1. *p. jur. emphyt. quæſtione* 32. *num.* 14.
Quo caſu non id agitur, ut pro ſecuritate redditus promiſſi res ſit hypothecata, ſed ut in ipſa re ſit onus impoſitum, ut tradit Alciat. *conſ.* 3. *num.*
22 28. *libro* 1. Valaſc. *ubi ſupra.* Ex quo eſt, quod diverſimodè judicandum eſt de re ipſa, ſuper qua onus ſeu redditus anniverſarius eſt impoſitus, quam de cæteris rebus pro ſecuritate hypothecatis, nam alienatis rebus ſuper quibus onus eſt impoſitum, poteſt conveniri tertius poſſeſſor ad ejus ſolutionem non facta excuſſione requiſita ad hypothecariam, per *d. auth. hoc ſi debitor*, ut tradit Valaſc. *ubi ſupra*, & Covarr. *libr.* 3. *variar. cap.* 7. *numero* 5. & 6. Aym. *conſ.* 217. *numero* 5. *in fin.* Anton. Gamma *deciſion.* 145. *numero* 2. & idem *deciſ.* 13. *numero* 3. Guttier. *l. nemo poteſt*, *numero* 31. *de leg.* 2. Guid Pap. *deciſ.* 576. Felician. de Solis *de cenſibus*, *libr.* 3. *capit.* 4. *numero* 9. Idem tenet Salazar *de uſu & conſuetud. capit.* 11. *numero* 45. & 47. ubi dicit, quòd ſatis ſibi incertus in hoc
23 reſidet Covarruv. *d. capit.* 7. *numero* 5. & firmiùs *numero* 6. & ibi quod nullatenus eſt dicendum hypothecam contrahi in bonis oneratis quidquid ſentiat Gaſparus Rodriguez *de annuis, & menſtruis reddit. libro ſecundo*, *quæſtione nona*, *numero* 65. *fol. mihi* 189. *colum.* 4. *in fine.*
24 Habes itáque quòd jure communi abſque aliquo favore poteſt tertius poſſeſſor rei affectæ anniverſarii onere directo conveniri, nulla facta excuſſione, licèt Guid. Pap. *d. deciſ.* 576. teneat id procedere ſpeciali anniverſariorum favore, quia fiunt pro defunctis, & ob id ſic pronuntiatum in curia Parla-
25 menti. Et non ſolum poſſeſſor poterit conveniri pro redditibus ejus temporis quo ipſe poſſedit, ſed etiam pro præteritis, *l.* 2. *Cod. ſi ſine cenſu vel reliquis*, *l. Imperatores*, *digeſtis de publican. & vectigal.* Anch. *conſ.* 386. *numero* 2. Aym. Crav. *conſ.* 217. *numero* 5. Afflict. *deciſ.* 95. *numero* 5. & ibi Urſilius *numero* 8. Salazar *de uſu & conſuetud. capit.* 11. *num.* 63. Follerius *de cenſibus*, §. *hujuſmodi*, *numero* 97. Solis *eo tract. lib.* 3. *cap.* 6. *numero.* 3.
26 Poterit tamen poſſidens rem effectam onere anniverſarii ſe excuſare à ſolutione oneris eam relinquendo, *l. & ſi forte*, § *etiam verſ. Labeo*, *digeſtis ſi ſervitus vendicet*, in hæc verba: *Labeo autem hanc ſervitutem non hominem debere, ſed rem, denique licere domino rem derelinquere ſcribit.* Ex quibus verbis colligitur, quod qui derelinquit rem non tenetur ad onera realia, prout Bald. ibi ſumat, & dicit bene notandum d. text. ad id. Qui textus manifeſtè diluit noſtram quæſ. & ſic poſſeſſor domus ſeu fundi affecti onere anniverſarii, licèt tanquam dominus & poſſeſſor teneatur ſolvere redditus neceſſarios pro anniverſario celebrando ratione dominii & poſſeſſionis, ſi relinquat domum, fundum-
27 vè, liber erit. Hoc namque onus anniverſarii dicitur ſervitus innominata, Guido Pap. *deciſ.* 432. *in fine.*
28 Pro quo etiam eſt text. *in l. filius familias*, §. *apud Marcellum*, *digeſtis de leg.* ubi legatarius fundi cum onere ſolvendi centum fideicommiſſario, ſi nolit illa centum præſtare, excuſabitur relinquendo fundum oneratum. Atque ita his legibus non relatis tenet Covarruv. *libr.* 3. *variarum*, *cap.* 7. *numero* 6. *in princip.* quem ſequitur Salazar *de uſu, & conſuetudine*, *capite decimo primo*, *numero* 63.
29 Et licèt quando onus reſpiciens rem venit ex



diſpoſitione contrahentium, non liberetur relinquens rem, ut tradit Bald. *d.* §. *Labeo*, Pariſius, Guid. Pap. Hipp. Tiraq. quos refert & ſequitur Urſilius in additionibus ad Afflict. *deciſion.* 95. *numero ſexto*, illud ea ratione procedit, quia remanent contrahentes perſonaliter obligati, ut *in l. creditor*, qui non idoneum pignus, *digeſtis ſi cert. petat*, *l. adverſus*, & ibi Bart. Bald. *Cod. de actio. & obligat.* uti contingit in imponente cen-
ſum, & ejus hæredibus, qui relicta vel peremp- 30
ta re ſuper qua conſtitutus fuit cenſus teneatur, ad ſolutionem, ut tradunt Covarr. *lib.* 3. *variarum*, *capite ſeptimo*, *numero ſexto*, *verſ. hinc etiam*, Joann. Guttierr. *libro ſecundo*, *practic. quæſtione* 177. *numero tertio & quarto*, ſequitur Solis *de cenſibus libro tertio*, *capite quarto*, *numero octavo.*
Et quando res onerata eſt apud tertium, qui 31
non tenetur aliqua actione perſonali, niſi ratione poſſeſſionis relicta poſſeſſione liber remanebit ab onere per ſupra dicta, quod in tantum verum eſt, ut procedat & habeat locum, etiam, quod prius recognoverit onus ſeu cenſum, ut poſt Covarrv. *dict. capite ſeptimo*, *numero ſexto*, tradit Solis *libro tertio de cenſibus, capit. fin. numero ſeptimo.* Ea namque recognitio ſolum deſideratur, ut in perſona cognoſcentis poſſit exequi durante poſſeſſione, quia executio reſultat ex perſonali obligatione, ut tradit Covarr, ubi ſupra, & colligitur *ex l.* 63. *Tauri.*

## CAPUT IX.

### Qua parte anni ſit facienda ſolutio relicti pro anniverſario.

*SUMMARIUM.*

1 *Expenditur* l. quia hoc anno 42. ff. de verbor. oblig. *ut ſolutio ſit facienda tranſacto anno.*

2 *Quod etiam procedit in ultimis voluntatibus, cum medium tempus in eis gratia hæredis, & in contractibus gratia promiſſoris cenſeatur adjectum, & num.* 59.

3 *Quod procedit in cauſa libertatis.*

4 *Licèt dies non reſpiciat obligationem, reſpicit tamen executionem ſolutionis, ut ante diem non cogatur quis ſolvere.*

5 *Si conventus ante diem non apponat dilatariam, proceſſus factus valet, & fertur ſententia.*

6 *In annuis legatis ſolutio eſt facienda in initio cujuſlibet anni, quia ſtatim, quod incipit annus debetur, & ſi decedat legatarius capto anno hæredi relinquit.*

7 *Quando ſunt faciendæ plures præſtationes, & tempus adjicitur cauſa multiplicandæ obligationis, & ſic favore creditoris ſolutio facienda eſt in initio anni, tam in contractibus, quam in ultimis voluntatibus, ſecus ſi una tantum præſtatio eſt facienda ſecundum Bart. & Albericum.*

8 *Sed eorum diſtinctio reprobatur & amplectitur diſtinctio Accurſii, & legis Regia.*

9 *Quando quis exprimit de ſolutione fienda in quolibet anno, videtur facere cauſa differendæ ſolutionis,*

lutionis, ſecus ſi promittat ſolvere omnibus annis.

10 Quod procedit etiamſi quantitas annua relinquatur ex fructibus alicujus prædii.

11 In omnibus piis indiſtinctè facienda eſt ſolutio initio anni.

12 Alimenta ſemper anticipatè ſolvuntur, ſi alimentarius indigeat.

13 Et idem ſervandum eſt in omnibus piis, ſi interſit piæ cauſæ, quod anticipatè fiat ſolutio.

14 Regulariter in cauſa pia fiet ſolutio, eo tempore quo neceſſaria ſit ad piæ cauſæ executionem.

15 Annuum relictum reſpectu certæ neceſſitatis debetur tempore neceſſitatis.

16 Semper eſt inſpicienda cauſa facti, & quare aliquid fiat.

17 Intelligitur, l. ſi ita fuerit 41. ff. de manumiſ. teſtament.

18 Agitur de intellectu, l. 4. titul. 4. lib. 7. recop. quæ loquitur de viginti diebus, quos oportet vivere renuntiantem, ut renuntiatio officii ſortiatur effectum.

19 Dies renuntiationis non computatur in termino viginti dierum.

20 Dictio deſpues, poſita in d. l. importat poſt illud momentum in quo fuerit facta renuntiatio, ſicque non excluditur totus dies.

21 Si momenti vel horæ non fuerit facta mentio, admittetur totus dies ſumendo conjecturam pro validitate actus.

22 Didacus Perez nititur defendere diem renuntiationis non eſſe computandum in termino viginti dierum, ex quo lex Regia debet intelligi de diebus naturalibus.

23 Verba legis ſunt intelligenda in proprio & naturali ſenſu.

24 Author amplectitur mediam ſententiam, quæ nec in totum excludit diem, nec in totum admittit, ſed ſolum ex hora factæ renuntiationis.

25 Dies dupliciter poteſt dici naturalis vel conſiderata in abſtracto reſpectu ſui & curſus temporis naturalis, vel quatenus jungitur vitæ hominis, vel alicui caſui contingenti.

26 Infans unius diei dicitur, qui natus fuit abhinc viginti quatuor horis, licèt non in media nocte.

27 Ætas nuturalis hominis enumeratur à momento, quo natus fuit.

28 Viginti dies renuntiationis naturaliter enumerantur ex caſu emergenti renuntiationis, non in abſtracto, ut ſuprà n. 25.

29 Anni naturales in abſtracto enumerantur ex curſu ſolis per duodecim ſigna Zodiaci, & quilibet conſtat trecentis ſexaginta quinque diebus.

30 Et dies enumeratur in anno à caſu emergente.

31 Sancta Eccleſia Toletana, facit anniverſarium feſtum in die victoriæ Navalis, quam conſecutus fuit Dominus Joannes Auſtriæ prope Letham contra Turcas, ſeptima die menſis Octobris, anni 1571.

32 Anniverſarium enumeratur à die mortis defuncti, & revolvitur ſingulis trecentis ſexaginta quinque diebus.

33 Quemadmodum annus ab emergenti caſu computatur, ita menſis, hebdomada & dies.

34 Ubi conſtat de hora & momento, viginti dies current ex momento renuntiationis.

35 Ubi de hora non conſtat excludetur totus dies, ſecundum Didacum Perecium.

36 Dictio, poſt, eſt excluſiva temporis anterioris.

37 Quando aſſignatur terminus poſtquam aliquid factum fuerit tunc eo facto, & non ante, currit tempus & hoc virtute dictionis, poſt.

38 Is in cujus favorem eſt facta renuntiatio, oſtendere debet renuntiantem vixiſſe viginti dies pro fundamento ſuæ intentionis.

39 Expenduntur verba d. legis Regni.

40 Dictio, ſino, Latinè, niſi, inducit conditionem, quæ ad unguem, & integraliter eſt ſervanda.

41 Probatio vitiatur incertitudine, cum debeat neceſſariò concludere.

42 Statuta, quæ aliquid diſponunt in tempore, ſunt ſervanda ad unguem.

43 Non eſt ſumenda conjectura, quod vixerit renuntians, quia fundans ſe in vita alicujus, eam probare debet.

44 Intelligitur l. finalis, C. de Sacro ſanctis Eccleſ. & oſtenditur ibi non probari communem allegationem, quod quilibet præſumatur vivere uſque ad centum annos, ſed id demum, quod ulterius vivere non præſumatur.

45 Si duo actus ſeu contractus ſint eadem die celebrati, nec appareat quis prior ſit, reputabitur prior ille qui habuerit horam, etiam quod hora ſit ultima diei, & quod altera ſcriptura ſit dotis 4.

46 Probatio temporis certioris præfertur.

47 Cautè facient contrahentes, cum mercatoribus ſi appoſuerint horam.

48 Opinio, quæ diſtinguit, eſt amplectenda.

49 Solutio facienda eſt tempore quo celebratur anniverſarium & non antea.

50 Licet medium tempus ſit gratia debitoris, tamen ſi tempore ſolutionis poteſt eſſe alter dominus debiti, non poteſt debitor prævenire diem ſolutionis.

51 Cum redditus ſint relicti cauſa anniverſarii, & gratia executionis ejus non eſt in poteſtate debitoris ante diem ſolvere.

52 Idem cum dilatio ponitur gratia legatarii.

53 Quod maximè procedit in anniverſariis eleemoſynarum, vel pro virginibus maritandis relictis, in quibus non poteſt præveniri dies, licèt aliàs executores quibus eſt commiſſa diſtributio eleemoſynarum poſſint prævenire diem ſecundum magis communem.

54 Conſultius facient adſtricti ſolvere pro anniverſario, ſi faciant ſolutionem tempore celebrationis, ne incidant in periculum, vel in ſuſpicionem colluſionis.

55 Non eſt veriſſimile, quod quis velit prævenire diem ſolutionis.

56 Quietatio generalis non comprehendit debitum cujus dies non ceſſarat.

57 Poſſidens res affectas onere ſolvendi aliquid Eccleſiæ pro anniverſario, licèt variabilis non ſit, creditor non poterit invita Eccleſia ſolvere pro futuris annis.

58 Utilitas provenit Eccleſiæ ex annua ſolutione, propter recognitionem ex ea inſurgentem.

QUI hoc anno aut hoc menſe dari ſtipulatus ſit, niſi omnibus partibus anni vel menſis præteritis non rectè petet. Verba ſunt Pomponii Juriſconſulti, *libr. 27. ad Sabinum* relata, *l. qui hoc anno. 42. ff. de verborum obligationibus.* Quod itidem ſervandum eſſe in ultimis vo- 1
2 luntatibus apertè demonſtrat Ulpianus, *l. cum tempus 17. ff de reg. jur.* in hæc verba. *Cùm tempus in teſtamento adjicitur credendum eſt pro hærede adjectum, niſi alia mens fuerit teſtatoris, ſicut in ſtipulationibus promiſſoris gratia tempus adjicitur.*

Et Celſus, *l. ſi in annos 48. ff. de condition. &*
3 *demonſtr.* ponit hæc verba. *Si in annos decem hæres dare damnatus, aut quis liber eſſe juſſus eſt, noviſſimo ejus temporis die legatum debebitur & libertas obtingit.*

4 Et facit quod licèt dies non reſpiciat obligationem, reſpicit tamen executionem ſolutionis, ut ſcilicèt ante diem non cogatur quis ſolvere, *l. 1. § fin. ff. quando dies uſusfructus legat. cedat*, Barboſa, *l. divortio §. fi. numero 19. ff. ſoluto matrim.*

5 Sed eſto cautus quod opponas agenti ante diem dilatoriam, quia proceſſus factus ante diem, ſi non opponatur per partem, valet, & fertur ſententia, tradit Bart. *l. eum qui 56. §. qui ita, nu. 2. de verb. obl.* cujus doctrinam dicit communiter receptam Peregrinus *de fideicommiſ. articul. 41. nu. 23.*

6 Contrarium autem videtur innuere Jureconſultus Gajus *l. in ſingulos annos. 8. ff. de annuis legat.* in illis verbis: *Illud certè amplius eſt in hoc legato, quod in ingreſſu cujuſlibet anni, ſi deceſſerit legatarius ejus anni legatum hæredi ſuo relinquit.*

Idem diſponitur ab Ulpiano, authoritate Jureconſultorum, *l. nec ſemel, in princip. ff. quando dies legati cedat*, ibi: *Et Labeo, & Sabinus, Celſus, Caſſius, & Julianus in omnibus, quæ in annos ſingulos relinquitur: hoc probaverunt, ut initio cujuſque anni hujus legati dies cederet.*

Et imperatores Severus, & Antoninus, *l. 1. D. quando dies legati, vel fideicommiſſi cedat* inquiunt in hæc verba: *Si competenti judici annua legata, vel fideicommiſſa relicta probaveris ab initio cujuſque anni exigendi habebis facultatem.*

7 Quare Bart. & Albericus. *d. l. qui hoc anno*, diſtinguunt, quod aut ſunt faciendæ plures præſtationes, & tempus adjicitur cauſa multiplicandæ obligationis, & ſic favore creditoris, & tunc quælibet præſtatio ſit facienda in initio anni, tam in contractibus, quam in ultimis voluntatibus, aut una tantum præſtatio eſt facienda: Ut ſi promitto decem hoc anno, & tunc quia tempus cenſetur appoſitum cauſa differendæ ſolutionis debeatur in fine anni.

8 Sed hæc diſtinctio reprobatur: nam etiam eo caſu, quo plures ſint faciendæ ſolutiones admittit Jureconſultus faciendas eſſe in fine cujuſlibet anni, *in d. l. ſi in annos. 48. ff. de conditionibus & demonſtrationibus.*

Quare melior & verior eſt diſtinctio gloſſæ *in §. qui hoc anno*, inſtituta de inutilibus ſtipulatio, ubi, quod ſit promittit quis hoc anno, vel quolibet anno, fiet ſolutio in fine anni, atque ita inquit procedere *d. l. qui hoc anno, & l. eum qui certarum, ff. de rerb. oblig.* aut promittit annuum, & tunc in capite anni ſit ſolvendum, ſivè in contractu, ſivè in legato, ſicque procedere *d. l. ſi annos, ff. de conditio. & demonſtr. & l. nec ſemel, ff. quando dies legati cedat.* & ponit verſus.

*Annua ſi debes, tunc inſpicies caput anni:*
*Anno ſi debes, in fine teneberis anni;*

Quæ gloſſæ opinio approbatur, *l. Regia 15. titul. 11. part. 5.* ibi: *Otroſi deZimos, que quando promete algun home à otro de darle cada año tantos maravedis, ò de fazerle tal coſa, non ſeñalando en que ſazon del anno, que tal promiſſion, ſe entiende que deve ſer cumplida en fin de cada año. Mas ſi la promiſſion ſizieſſe anſi: diziende, que le daria, ò que le faria aquello que le promete en todos los años de ſu vida, entonces ſe entiende que deve cumplir lo que promete en el comienco de cada un año.* Et ibi Gregorius, *verbo darle cada año.* tradit pro ratione, 10
quod quandò quis exprimit de ſolutione fienda in quolibet anno, videtur facere cauſa differendæ ſolutionis, & ſic quod non poſſit peti ante finem anni, quando verò non exprimit, cum non videatur velle differre ſolutionem, facienda ſit initio anni, atque ita procedit *l. filia mea 22. ff. de annuis legat.*
Et in tantum verum eſt, quòd ſi legatarius non 11
vivat per totum annum, ſed moriatur ſtatim inchoato anno, debebitur legatum pro toto anno, *dicta l. in ſingulos, ff. de annuis legat* Roman. *ſingulari 71.* ubi ampliat etiam ſi quantitas annua relinquatur ex fructibus alicujus prædii, ſecundum Bart. *l. generali §. hæredis ff. de uſufruct. legat* ubi dicit eſſe caſum ſingularem, & menti tenendum, quod etiam probat *l. à vobis ff. de annuis legat.* Signorolus *conſi. 66. n. 10. quæſt. 10.* ſequitur Surdus *de aliment tit 4. quæſt. 17. n. 9.*

In omnibus autem piis indiſtinctè præſtandum 12
eſſe initio anni, tenet Rebuf. *titul. de privilegiis Scholaſticorum privileg* 136. allegans ad id *l. ſi ita fuerit 41. ff. de manumiſ. teſtam.* poſt Romanum in repetitione *Authen. ſimiliter, C. ad l. falcidiam,* & eundem Roman & Alex. *l. qui bona §. fin. ff. de damno infecto*, & Doctores *in dict. l. qui hoc anno,* & ibi etiam Rebuf. inquit, idem dicendum eſſe in contractibus. Ejus tamen opinio, licèt in caſu de quo loquitur vera ſit, & procedat, quia ibi tractatur de legato ad alimenta Scholaſticorum, de cujus natura eſt, quod ſolutio præcedat, & anticipatè fiat, ut neceſſaria ad alimenta, quia alimenta indigenti, ſunt anticipatè ſolvenda, Surdus *de alimentis, tit. 4. quæſtio 17. num. 18.* quod idem 13
ſervabitur in omnibus piis ſi interſit piæ cauſæ, quod anticipatè fiat ſolutio, arguendo de alimentis ad piam cauſam.

Regulariter autem in cauſa pia fiet ſolutio eo 14
tempore, quo neceſſaria ſit ad piæ cauſæ executionem, quia relictum annuum reſpectu certæ neceſſitatis, debetur tempore neceſſitatis, *l. nec ſe-* 15
*mel, §. 1. ff. quando dies legati cedat*, ubi Bart. & omnes, Rolandus *conſ. 22. num. 23. vol. 1.* plures refert Surdus *de alimentis, titu. 4. & 17. n. 3.* ſemper enim inſpicienda eſt cauſa facti, & quare 16
aliquid fiat, ut argumento *l. verum, la 2. ff. de furtis, & l. cum tale, §. fin ff. de condition, & demonſtr.* tradit Aymon. *conſ. 304. n. 3.* Nec intereſt piæ cauſæ anticipata ſolutio, ſed quod fiat tempore congruo ne executio retardetur.

Neque obſtat lex, ſi ita fuerit allegata à Rebuf- 17
fo, nam ibi nullus favor libertatis conſiderat Jureconſultus, ſed proprietati verborum inhærendo, inquit multum intereſſe libertas relinquatur anno duodecimo, an poſt duodecim annos, nam primo caſu ſufficit attingere duodecimum annum, ut libertas conſequatur cum jam ſit eo in tempore, quo teſtator voluit liberum eſſe ſervum: quia, ut inquit ibi textus, qui duodecimo anno liber eſſe jubetur, omnibus diebus anni liber eſſe, juſſus eſt: at ſi dixerit poſt duodecimum annum non, erit liber, niſi elapſo 12. anno; quia dictio, poſt

ſui natura denotat ſeparationem, ut tradit Gome-
zius de Leon *in ſua centuria*, *reſponſo*, 22. *num*.8.
18 ubi infert ex eo intellectu ad l. Regni, quæ loqui-
tur de viginti diebus, per quos renuncians officium
oportet vivere, ut renuntiatio ſortiatur effectum,
quæ eſt *l*. 4. *lib*. 7. *recopil*. ut dies renuntiationis
19 non ſit computandus in viginti diebus, ex eo quod
lex dicit, *Viviere veynte dias deſpues que otorgare
la renunciacion*, quam tamen declarat Azevedus
in Curia Piſana *lib*. 4. *c*. 2. *numer*. 3. *& ſequenti-
bus*, *& l*. 4. *titul*. 4. *lib*. 7. *recop*. ut illa dictio,
20 *deſpues*, intelligatur poſt illud momentum, in quo
facta fuerit renuntiatio, atque ita non excludatur
21 totus dies, & ſi illius momenti ſeu horæ non fue-
rit facta mentio, admittatur totus dies, & compu-
tetur in termino, ſumendo conjecturam pro vali-
ditate actus, & reprehendit Didacum Perez, qui
22 *l*.22. *tit*.2. *lib*. 7. *ordina*. *pag*. 407. *verſicul*. *ſed eſt
dubium*, nititur defendere diem renuntiationis non
eſſe computandum in termino viginti dierum, quia
ut ipſe inquit, *dict*. *l*. *Regia* debet intelligi de die-
bus naturalibus, argumento *l*. *quæritur ff*. *de ſtatu
hominum*, & ſic quælibet dies viginti quatuor ho-
23 rarum, *l*. *more Romano ff*. *de feriis*. Et quia ver-
ba legis ſunt intelligenda in proprio & naturali ſen-
ſu, *l*. *finali*. *C*. *de his qui ven*. *ætat*. *impetr l*.3. §.*hæc
verba*, *ff*. *de negotiis geſt*. & ſaltim defendit non
eſſe computandum totum diem, ſed ex hora re-
nuntiationis, ſed quia brevitati conſulo, (omiſſa
diſputatione, an dies termini computetur in termi-
no, de qua latè Ant. Gabr. *lib*. 2. *concluſ*. *titul*.
*de temporibus appellat*. qui eſt 22.*numer*. 30. Caſſa-
neus *in conſuet*. *Burg*. *rub*.1. §. 8. *verſicul*. *Jour*.
Marcus Anton. Eugenius, *conſ*. 48. Navarrus *conſ*.
*mihi* 18. *incip*. *quæſitum fuit*, *ex num*. 3. *de præben-
dis*, & concivis Cevallos, *quæſtion*. 401. commu-
24 nium contra commun.) In hac re amplector me-
diam ſententiam, quæ nec in totum excludit diem
renuntiationis, nec in totum admittit, ſed ſolum
ex hora factæ renuntiationis.

25 Et in primis ad hoc, quod non ſit excludendus
totus dies, facit quod dies dupliciter poteſt dici
naturalis, uno modo conſiderata in abſtracto ſo-
lùm reſpectu ſui, & curſus temporis naturalis, &
ea à media nocte incipit, & ſequentis noctis media
parte finitur, *l*. *more Romano*, *ff*. *de feriis*: alio
verò modo quatenus jungitur vitæ hominis, vel
alicui caſui contingenti. Et hoc ſecundo caſu enume-
rabitur à momento temporis, quo contingit caſus
juncta parte diei caſus cum altera parte ſequentis
diei: argumento textus *in l*. *Gallus*, §. *ille caſus*,
26 *ff*. *de liberis & poſthum*. & ſic dicetur infans unius
diei, qui natus fuit ab hinc viginti quatuor horis
licèt non in media nocte, & ſic dicetur octo die-
rum enumerando dies à momento nativitatis, & ſic
unius anni propriè dicetur eſſe ea numeratione ha-
27 bita, & ſic deinceps, *l*.3. §. *minorem ff*. *de minori-
bus*, ubi ætas viginti quinque annorum in homine
enumeratur ab hora & momento qua quovè natus
28 fuit, & *l*. 1. *ff*. *de manumiſ*. ubi etiam ab hora na-
tivitatis fit enumeratio, & ſic cum viginti dies,
de quibus prædicta *l*. *Regni* loquitur, regulentur
ex vita perſonæ hominis renuntiantis, non debent
conſiderari in abſtracto, ſed numerari à momento
temporis factæ renuntiationis, nec ob id dicetur
non intelligi verba legis naturaliter, nec obſtabit
*l*. *fin*. *C*. *de his qui veniam ætatis impetra*. imò, dict.
lex retorquetur in favorem noſtræ opinionis: nam
decidit, quod cum in lege ſit mentio legitimæ æta-
tis eſt intelligendum de naturali ætate, ſcilicèt vi-
ginti quinque annorum, non autem de ea quæ ſup- 29
pletur à Principe. Ergo cum anni hominis enume-
rentur ab ejus ortu & nativitate, viginti quinque
anni naturales dicuntur enumerari à die & hora
ortus hominis de quo agitur, habito reſpectu ad
vitam hominis, licèt aliàs annus conſideratus in
abſtracto naturaliter dicatur, qui enumeratur ex
curſu ſolis per duodecim ſigna Zodiaci, ut dixi-
mus, *cap*. 1. qui conſtat trecentis ſexaginta quin-
que diebus, *l*. *ſi ita vulneratus*, *ff*. *ad l*. *Aquiliam* 30
*l*. *cum hæres*, §. *Stychus de ſtatu liber*. *l*. *anniculus*
134. *ff*. *de verborum ſignificatione*, & tot dies enu-
merantur in anno regulato à caſu emergenti, ut
dicit Barboſa *l*. *de diviſione*, *num*. 5. *ff*. *ſoluto ma-
trimonio*. Sic & annus reſpectu vitæ meæ computa-
bitur à die 8. menſis Maii anni 1565. & vitæ Joan-
nis Perez de Lara chariſſimi Filii mei, à quinta die
ejuſdem menſis Maii, anni 1596. Sic & in cujuſli-
bet ætate.

Sed ſi caſus ſit memorabilis, tempora poſſent
computari à contingentia caſus, ut de victoria Na-
vali, quam conſequutus fuit dominus Joannes Au-
ſtria prope Lepanthum contra Turcas. Septima die 31
menſis Octobris anni 1571. tradit Joſephus Ludo-
vicus, *deciſ*. *Peruſina* 55. *num*.14. de qua fit annua-
tim feſtum in alma Eccleſia Toletana.

Sic anniverſarium enumeratur à die mortis de- 32
functi, ut dicit gloſſa in cap. cum creatura, de ce-
lebratione Miſſarum, & revolvitur annus ſingulis
trecentis ſexaginta quinque diebus.

Et quemadmodum annus ab emergenti caſu 33
computatur, ita menſis, hebdomada, & dies, ut
ſic enumeretur menſis & hebdomada ex die caſus,
& dies ex hora & momento, ut tradit optimè Caſ-
ſaneus, *in conſuet*. *Burgund*. *Rub*. *prima*, §. *octa-
vo*, *verſicul*. Et Jour. *num*. *ſexto*, *verſic*. *& adver-* 34
*te*, ubi *num*. 9. in quæſtione noſtra inquit ſe cre-
dere quod viginti dies currant de momento ad mo-
mentum, cui in caſu noſtræ legis aſſentior, ſi de
hora, & momento conſtet, quod etiam ſentit Di-
dacus Perez *ubi ſupra verſic*. *Præterea dies termini*,
poſt Bonifacium, *tract*. *d*. *de malefic*. *tit*. *forma ci-
tationis accuſati*, *numero vigeſimo ſeptimo*, & Tira-
quell. *de retractu lignag*. §. *primo*, *gloſſa undecima*,
*num*. 41. *&* 55. *verſic*. *decimo quinto limita*, *& verſ*.
*ſed ut intelligat*.

Si tamen de hora non conſtet, abſque dubio in- 35
quit Didacus Perez, ibi non currere viginti dies
de momento ad momentum & allegat Felinum, *c*.
*quoad conſultationem num*. 27. *de re judicata*, ſed
excludetur totus dies, pro quo & contra Azeve-
dum, qui tenet admittendum totum diem, faciunt
ſequentia.

In primis, quod illa dictio, poſt, eſt excluſi- 36
va temporis anterioris, ut clarè conſtat *ex d*. *l*. *ſi
ita* 41. *ff*. *de manumiſſis teſtament*.

Præterea, quando aſſignatur terminus poſtquam 37
aliquid factum fuerit, tunc eo facto, & non ante,
currit tempus de momento ad momentum, gloſſa
*in c*. *concertationi*, *verbo*, *ſciverit*, *de appellatio*.
*lib*. 6. Angel. *conſil*. 404. *num*. 2. *&* 3. Tiraq. *de
retractu*, *gloſſa* 11. *numer*. 28. quos & alios refert
& ſequitur Marcus Antonius Eugenius *conſ*. 48.
*numer*. 20. & hoc virtute illius dictionis poſt, ut
tradit ibi, Eugenius *num*. 49.

Facit etiam, quod is in cujus favorem eſt facta 38
renuntiatio debet oſtendere (ut obtineat) renun-
tiantem vixiſſe poſt renuntiationem viginti dies pro
funda



fundamento ſuo intentionis, aliàs ſuccumbet, ut
39 colligitur ex verbis legis, ibi: *Ordenamos y man-
damos que de aqui adelante la renunciacion que al-
guno fiziere de ſu officio no vala*, *ſino viviere veynte
dias deſpues que otorgare la tal renunciacion*, illa
enim dictio, ſino, Latinè, niſi, inducit condi-
40 tionem, Tiberius Decianus, *conſil*. 11. *num*. 72.
*vol*. 1. quæ ad unguem, & integraliter ſervanda
eſt, Aymon. *conſ*.327. *num*. 132. & ſic debet pro-
bare integros illos viginti dies vixiſſe, & id uno ex
duobus modis, vel excluſivè enumerando extra
diem renuntiationis, vel incluſivè numerando diem
ex caſu emergenti, ideſt, ex hora ſeu momento
factæ renuntiationis; ut ſupra diximus, aliàs pro-
batio erit incerta, & non concludens, quia neſcietur
41 qua hora diei fuit facta renuntiatio, & per conſe-
quens non admittenda, quia incertitudine vitiatur;
juxta à nobis tradita *infra*, *capitul*.10. cum proba-
tio debeat concludere neceſſario; *l*. *neque natura-*
42 *les*, *C*. *de probationibus*. Et ſtatuta, quæ aliquid
diſponunt in tempore ſunt ſervanda ad unguem,
tradunt Baldus, Socinus, Jaſ. quos refert & ſequi-
tur Cavalcanus, *deciſ*. *vigeſima prima*, *numero*
26.

43 Nec eſt ſumenda conjectura, quod vixerit re-
nuntians, quia fundans ſe in vita alicujus eam
probare debet, tradit Bartol. *l*. *ſi quidam*, *ff*. *ſolut*.
*matrim*. quem ſequuntur Alexand. Corneus, Goza-
dinus, Gratus, Pariſius, Socinus Junior, Decius,
Jaſ. Aretin. & alii, quos refert Jacob. Philipp. Port.
*lib*. 1. *concl*. *reg*. 11. & Anton. Gabriel, *lib*. 1. *titul*.
*de præſumpt*. *concl*. 16. Herculanus *de probatione ne-
gativè*, *num* 290. Gregor. *l*. 14. *titul*. 14. *part*. 3.
*gloſſ*. *fin*. Quidquid ipſe Gregor. & alii Doctores
44 teneant, per *l*. *fin*. *C*. *de Sacroſanctis* Eccleſiæ, quia
ille text. non dicit, quod quilibet præſumitur
vivere uſque ad centum annos, ad quod commu-
niter allegatur, ſed quod longiſſima hominum
vita eſt, centum annorum; & ſic probat quod ul-
terius vivere non præſumatur; ut tradit Hierony-
mus Magonius, *deciſ*. *Lucenſi* 44. *num*. 12. licèt
aliquando vivant homines ultra centum annos; ut
tradit Joannes Garcia *de nobilitate*, *gloſſa* 12. *num*.
77. atque ita debet probari vixiſſe integros vi-
ginti dies.

45 Pro quo etiam facit, quod ſi reperiantur duo
actus, ſeu contractus eadem die celebrati, nec
appareat quis prior, quiſque poſterior ſit, reputa-
bitur prior ille qui habuerit horam, tradit Barboſa
*l*. *prima*, 2. *part*. *numero octava digeſtis ſolut*. *ma-
trim*. ubi quod procedit etiam quod altera ſcriptura
ſit dotis, Menoch *de arbitrar*. *lib*. *ſecundo*, *centu-*
46 *ria* 1. *caſu*. 48. *num*. 24. & procedit etiam, quod
hora ſit ultima diei, quia probatio temporis cer-
tioris præfertur, Tradit Cinus, quem ſequitur Bal-
dus *l*. *de rebus*; *C*. *de donation*. *ante nup*. ſequitur alios
referens Brunorus à ſole in compendio, verbo,
47 probatio temporis certioris. Quare non inconſultè
facient contrahentes cum mercatoribus, qui quo-
tidie celebrant plures contractus, ſi apponant ho-
ram in ſcripturis. Ex prædictis reſultat, quòd ſi
hora apponatur vel de ea conſtat, admittetur illa
pars diei renuntiationis; ſin autem excludetur to-
48 tus dies. Et hæc opinio tanquam diſtinguens eſt
amplectenda, *l*. *adeò* §. *cum quis*; *ff*. *de acquir*.
*rerum dominio*; Anton. Mariæ Corat. *lib*. *primo*,
*commun*. *opin*. *titul*. *ſexto*; *numero* 81. deciſio Ro-
tæ Genuenſis. *vigeſima*, *numero quinto* Marcus
Antonius Eugenius *conſ*. *nonageſimo ſecundo*, *numero*

*Perez de Lara de Anniverſ*.

38. Corbulus *de jure emphyt*. *titu*. *de cauſa privatio*.
*ob non ſolutum Canonem*, *queſtione decima ſecunda
numer*. *quarto*, ubi plures refert, quia medium
eſt tenendum; gloſſ. *in l*. *nec ſupina*; *ff*. *de jur*. *&
fact*. *ignorantia*, *cap*. 1. juncta gloſſ. *de officio
cuſtodis*.

Sed redeundo à quo diſgreſſi fuimus, firmiter 49
teneo ſolutionem faciendam eſſe tempore quo cele-
bratur anniverſarium, juxta dictam legem, nec
ſemel; & non anticipatè ſolvatur clerico celebranti
anniverſarium, ſolvens ſubjicitur periculo iterum
ſolvendi, ſi clericus moriatur antequam anniver-
ſarium celebretur: nam licèt obligatus in diem po- 50
ſſit illum prævenire in ſolvendo, cum medium tem-
pus ſit gratia debitoris *l*. *cum in diem* 70. *ff*. *de ſo-
lutio*. *dict*. *l*. *cum tempus*, *digeſtis de regul*. *jur*. *l*.
*quod quis* 49. *ff*. *de action*. *& obligat*. *l*. *in diem*, *ff*.
*de conditio*. *indeb*. cum aliis congeſtis ab Anton.
Gomezio *l*. 22. *Tauri*, *numero* 10. *verſicul*. 6. &
quidem noviter, ubi ponit limitationem de qua
infra. Tamen ſi tempore ſolutionis poteſt eſſe alter
dominus debiti, non poteſt prævenire diem ſolutio-
nis, *l*. *cum pater*, §. *à filia*, ubi Bart. *de legat*. 2.
Hieronymus A Laurentiis *deciſ*. 117. *num*. 4. ubi
plures refert, & *num*. 3. tenet ſolutionem non
poſſe fieri moribundo prælato in prejudicium ſuc-
ceſſoris.

Maximè; quia cum tale relictum ſit gratia an- 51
niverſarii; & ad ejus executionem, non eſt in po-
teſtate debitoris ante diem ſolvere; ut in annuo
relicto probat *l*. *eum qui*, *ff*. *de annuis leg*. cum di- 52
latio ponatur gratia legatarii; ut inquit Bart. ibi,
nec debitor poteſt prævenire diem quando tempus
adjicitur gratia creditoris *l*. *qui Romæ*, *in principio*,
*ff*. *de verborum obligation*. *l*. *fideicommiſſi*; §. *cum
polidius*, *ff*. *de uſuris*, cum aliis relatis ab Anton.
Gomezio, *dict*. *l*. 22. *Tauri*; *numero* 10. *verſ*. *ſex-
to*, & quidem,

Quod maximè procedit in anniverſariis eleemoſy- 53
narum, vel pro virginibus maritandis, relictis ſig-
nato die diſtributionis ſeu ſortiendis dotibus: nam
licèt executores quibus eſt commiſſa diſtributio
eleemoſynarum, poſſint prævenire diem, ſecun-
dum magis communem, & veram opinionem;
ut tradit Ant. de Padilla, *l*. *unum ex familia in
principio*, *num*. 12. *de legat*. 2. & concivis Cevallos,
*libr*. 2. *commun*. *contra commun quaſt* 686. hoc ta-
men (ut ipſe optime inquit *ibi num*. 4.) non pro-
cedit in his anniverſariis: tum quia ita voluntas de-
functi ſervatur, quæ impleri debet in ſpecifica for-
ma, *l*. 6. *tit*. 10. *part*. 6. ibi: *En aquella manera*,
*e faſta aquel tiempo que el finado mando en ſu teſta-
mento*: tum quia magis conſervatur commemo-
ratio defunctorum; ad quod etiam reſpexit Con-
cil. Tridentin. *ſeſſione* 25. *capit*. 4. *de reform*. &
propter recognitionem quam faciunt ſolventes; ut
infra nume. finali.

Atque ita conſultius facient adſtricti ſolvere pro 54
anniverſario celebrando ſi reſervent ſolutionem
tempore quo celebrandum ſit; ne incidant in peri-
culum, vel ſaltim in ſuſpicionem colluſionis, ut
tradit Hieronym. à Laurentiis, *d*. *deciſ*. 117. *num*. 5.
cum non ſit veriſimile, quod quis velit prævenire
diem ſolutionis, quod etiam tradit Barboſa Rubric.
ſoluto matrimonio 4. *part*. *numero* 34.

Et ſic ex ea præſumptione oritur, quod quieta-
tio generalis non comprehendit debitum, cujus 55
dies non ceſſerat, Vincentius de Franch. *deciſ*. 80.
*num*. *fin*. cum nullus præſumatur velle ſolvere ante
diem.

E 4

57 Et adde pro complemento quod poſſidentes res affectas onere ſolvendi aliquid Eccleſiæ pro anniverſario celebrando, licèt variabilis non ſit creditor, tamen in hoc caſu invita Eccleſia non poterit poſſidens ſolvere pro futuris annis, ita Speculator, *titul. de Locato, § nunc aliqua, quæſt. 32. num. 43. & ſequenti*, qui eſt communiter receptus, teſte Alexandr. *l. ſtipulatio iſta. §. ſi quis, numer. 5. digeſtis de verborum*, plures refert Corbulus *de jure emphyth. tit. de cauſa privationis ob non ſolutum ca-*
58 *nonem, limitatione 17. num. 3.* ubi inquit eam rationem, quia utilitas provenit Eccleſiæ in ſolutione annua propter recognitionem, ex ea inſurgentem, & ibi de aliis utilitatibus.

## CAPUT X.

Quid faciendum ſi quis relinquat anniverſarium celebrandum, nec exprimat numerum Miſſarum, vel ſi jubeat virgines, quot annis maritari, & numerum, quantitatemque dotis taceat.

### *SUMMARIUM.*

1 *Incerta judicare nemo præſumere debet.*
2 *Scripta in teſtamento, ita ut intelligi non poſſint, pro non ſcriptis habentur, quia incerta.*
3 *Incertitudo ejus cui dandum eſt vitiat promiſſionem.*
4 *Si quis certo loco ſiſtere promiſit, nec adjiciatur dies quo ſiſtere debuit, inutilis redditur ſtipulatio propter incertitudinem.*
5 *Si ignoratur cui ex duobus venditionibus adjectio facta ſit, neutra venditio reſolvitur.*
6 *Incertitudo petitionis, impedit prolationem ſententiæ.*
7 *Agens rei vendicatione, ut certe agat, debet deſignare duo confinia, quia incertum eſt, quod nullis finibus demonſtratur.*
8 *Non ſufficit demonſtratio generalis, quæ non facit rem certam, quia generalitas parit obſcuritatem.*
9 *Nec in re dubia & incerta, certa eſt danda ſententia.*
10 *Incerta petitio nullum producit effectum.*
11 *Limita, niſi incertitudo cauſetur ex facto rei, quia tunc libellus obſcurus & incertus admittitur.*
12 *Exemplum erit ſi ignoretur, an reus poſſideat titulo pro legato, vel pro hærede, vel pro poſſeſſore, & poſſidens res affectas onere anniverſarii tenetur exhibere inſtrumenta.*
13 *Incertitudo loci ubi domus facienda eſt, vitiat ſtipulationem.*
14 *Si partis incerta tradatur poſſeſſio, nullius eſt momenti.*
15 *Non ſufficit accipere poſſeſſionem unius prædii pro omnibus, ſed neceſſe eſt, ut ſigillatim de omnibus accipiatur.*
16 *Quod procedit etiam ſi accipiatur poſſeſſio rerum ſub univerſitate comprehenſarum, ut in hæreditate, peculio, aut dote, nam adhuc cujuſlibet eſt accipienda poſſeſſio.*
17 *Per ingreſſum unius partis fundi contigui, acquiritur totius fundi poſſeſſio, & per uſum partis retinetur poſſeſſio etiam totius.*
18 *Quod ſecus eſt in juriſdictionalibus, ſi alius ſit in poſſeſſione, quia per exercitium unius actus non acquiritur univerſalis juriſdictio.*
*Manutentionis mandatum non datur quando poſſeſſio non eſt clara, ſed intricata & obſcura.*
19 *Confeſſio delinquentis vitiatur ſi non apparet de occiſo, & delictum relinquitur impunitum propter incertitudinem, punitur tamen author rixæ.*
20 *Incertitudo vitiat mandatum, & collationem beneficii, & privilegium, & tutelam, & citationem.*
21 *Citatio facta per nuntium annullatur, ſi alter neget ſe citatum.*
22 *Si teſtis dicatur, ſe non dixiſſe, quod Tabellio ſeu Notarius ſcripſit, propter incertitudinem quoad pœnam, neutri creditur.*
23 *Limita ſi teſtis ſe ſcribat.*
24 *Sublimita ſi teſti ſignanti dictum non fuerit lectum, ut frequenter contingit.*
25 *Incertitudo hæredis vitiat inſtitutionem, & legatarii legatum: itidem & incertitudo rei legatæ.*
26 *Stantibus duobus teſtamentis, ſi non appareat de poſteritate, utrumque vitiatur: itidem & duo codicilla.*
27 *Incertitudo mortis teſtatoris, vitiat hæreditatis aditionem.*
28 *Poſitio incerta non admittitur, nec ad eam quis reſpondere tenetur.*
29 *Poſitioni de negotio intricato, non tenetur reſpondere, & poteſt dicere ſe neſcire, & non negare*
30 *Reſponſio incerta nihil operatur.*
31 *Si vox eſt incerta, vel lex aliqua, non eſt ſecundum eam judicandum.*
32 *Lex habens varios intellectus, non eſt allegãda, niſi aliquem habeat probabiliorem ſenſum.*
33 *Incertitudo vitiat etiam in materia favorabili, & libertatis, ſi ignoretur cui ex multis ſervis fuerit data libertas.*
34 *Et ſponſalia vitiantur propter incertitudinem.*
35 *Non dicuntur certa, quæ judici conſtant, niſi judicio appareant cum non debeat judicare ſecundum conſcientiam, ſed ſecundum acta proceſſus.*
36 *Quando judex adhibet inſpectionem oculorum proceſſus, vulgo,* viſta de ojos, *poteſt judicare ſecundum inſpectionem, & quod ipſe novit omiſſis probationibus.*
37 *Multi viri docti tenuere, judices ſupremi Senatus poſſe judicare ſecundum conſcientiam.*
38 *Contrarium Covarruv. cui Author cum aliis aſſentitur.*
39 *Senatus repræſentat perſonam Principis.*
40 *Senatores dicuntur pars corporis Principis.*
41 *Senatores non habent poteſtatem derogandi legibus, ut nec condendi eas.*
42 *Princeps non cenſetur velle abrogare leges, cum ſit qui jura tuetur: ſententiæ Senatus Rotæ non habent vim legis.*
43 *Sententia Senatus reverenter ſervandæ ſunt.*
44 *Reprehenditur Capharellus advocatus, qui ſolitus erat dicere Rota rotat, & Rotæ deciſiones faciunt communem ſecundum aliquos.*
45 *Senatores debent judicare ſecundum leges.*

46



46 *Declaratur* l. 22. titul. 4. lib. 2. recopilat.
47 *Verba illa,* ſabida la verdad, *intelligi debent cum cauſa cognitione.*
48 *Cauſæ agitandæ abſque figura judicii, dicuntur habere inſtantiam, & quid ſit inſtantia.*
49 *Illa verba,* ſimplemente y de plano, ſin eſtrepito y figura de juizio, ſabida la verdad, *non tollunt legitimam exceptionem, nec ſolemnitatem ſubſtantialem, ſine qua proceſſus eſſet nullus.*
50 *Stante dicta clauſula attenduntur probationes, etiam non concludentes, & relevatur judex ab omni forma & figura judicii à jure civili introducta.*
51 *Tenetur tamen ſervare figuram judicii jure gentium, vel naturali ratione inductam, & admittere defenſionem partium.*
52 *Expenditur* l. 22. titul. 4. lib. 2. recop. *& declaratur.*
53 *Præfationes præſtant lumen diſpoſitioni.*
54 *Quod favore alicujus eſt introductum, non debet in unius damnum aſſumi, nec inducta ad unum effectum admitti debent in eo ſenſu, ut contrarium operentur.*
55 *Faciendum eſt quod neutri litigatori oneroſum ſit.*
56 *Supremi Senatores integerrimi & peritiſſimi ſunt, & ſpecialiter laudatur Dominus Ferdinandus Carrillo.*
57 *In dubio non eſt præſumendum, quod Princeps velit tollere ea quæ alicui acquiruntur jure civili, naturali ratione munito.*
58 *Concluditur ſupremos Senatores in definiendis negotiis non poſſe omittere requiſita jure gentium, & ſic nec judicare omiſſis probationibus & defenſionibus ſuper incertis.*
59 *Expenduntur duo loca ſacræ ſcripturæ; ad hoc quod ſtante clauſula, ſola facti veritate inſpecta, debeant admitti probationes & defenſiones.*
60 *Quælibet lex eſt intelligenda in terminis habilibus.*
61 *Specialitas non eſt inducenda, ubi à lege non exprimitur, & expenditur,* text. in cap. ex parte, el 2 de officio delegati.
62 *Incertum eſt quod probari non poteſt, vel quia dubium & obſcurum, vel quia de eo non apparet.*
63 *Incertum dicitur quoties nec à natura, nec ab homine habet certos fines, & quod ignoratur.*
64 *Incertitudo vitiat actum quando adeſt in perſona, loco, die, vel quantitate, quorum declaratio vel expreſſio neceſſaria eſt ad actus perfectionem, & ſubſtantiam.*
65 *Valet relictum incertæ perſonæ, quæ poſſit certificari ex futuro eventu.*
66 *Si incertitudo verſetur circa rem actus eſt in ſuſpenſo, donec certificetur.*
67 *Executio inſtrumenti non continentis certam quantitatem ſuſpenditur, donec quantitas fuerit liquidata.*
68 *Nec ſufficit in diſcurſu executionis liquidare, quia qualitas quæ debet ineſſe à principio, non ſufficit ſi ſubſequatur.*
69 *Limitatur dicta concluſio ut procedat ſi opponatur de liquidatione ante ſententiam venditionis, vulgo dicta* detrance y remate.
70 *Executio quantumvis nulliter facta, non eſt retractanda, ſi conſtat condemnatum verum eſſe debitorem.*
71 *Non eſt revocandum, quod debet fieri de novo.*
72 *Ut conſulatur expenſis partium & vitetur circuitus, ſi cauſa non meretur executionem, poteſt judex convertere judicium executivum in ordinarium, & condemnare via ordinaria ſi proceſſus ſit benè inſtructus.*
73 *Licet per incertitudinem omnes actus inefficaces reddantur, relictum pro anniverſario, vel in pias cauſas, ſive incertitudo verſetur in rebus ſive in perſonis non vitiatur, & num. 48.*
74 *Intelligitur* text. in l. ſi ita fuerit 11. & in l. ſi quis de pluribus 28. ff. de rebus dubiis.
75 *Cum teſtator relinquit pauperibus indeterminatè, non cenſetur cogitaſſe de certis, nec intereſt iſtis vel illis conferatur.*
76 *Baldus nititur defendere hujuſmodi legatum valere jure communi ſine aliquo privilegio contrarium num. 48.*
77 *Non dicetur incertum quod venit per judicem certificandum.*
78 *Diſpoſitio ratione generalitatis non dicitur incerta quando in aliquibus, imo in uno tantum poteſt certificari.*
79 *Si unus appellat ad plures judices, quorum unus tantum competens eſt, tenet appellatio, ac ſi ad eum ſolum eſſet facta.*
80 *Si Princeps confirmat conceſſiones quas fecit, & una ſola appareat, illa dicitur confirmata, nec dicitur incerta confirmatio.*
81 *Si inſtituantur hæredes habentes jus ad hæreditatem, & unus ſolus appareat habere jus, ille ſolus cenſetur inſtitutus.*
82 *Limita niſi pluralitas adjiciatur in forma conditionis.*
83 *Subſtitutio facta de poſthumis non habet locum caſu quo unus poſthumus naſcatur, nec gratia de beneficio expectante ad collationem aliquorum exequitur, in beneficio expectante ad collationem unius tantum.*
84 *Omnes conveniunt legatum relictum pauperibus vel aliis incertis ſuſtineri favore piæ cauſæ.*
85 *Legatum ad viam publicam reficiendam non expreſſa quantitate, valet, & arbitrio judicis definitur quantitas neceſſaria pro via reficienda, ſecundum facultates promiſſoris, ſecus ſi legetur ad viam privatam.*
86 *Pariſius tentat defendere legatum ad viam reficiendam ſolum ſuſtineri, quando adeſt duplex favor, & ultimæ voluntatis, & viæ publicæ reficiendæ.*
87 *Expenditur & intelligitur* l. 1. C. de fideicomm. *ubi confirmatur titulus ex triennali præſtatione, quia adeſt duplex favor, ultimæ voluntatis & alimentorum, quæ aliàs non niſi ex decennali præſtatione confirmaretur.*
88 *Legatum pro ædificando monaſterio, ſtante incertitudine loci ſuſtinetur, quia eſt duplex favor & religionis, & ultimæ voluntatis.*
89 *Et legatum incertum dotis ſuſtinetur, quia adeſt favor dotis, & ultimæ voluntatis: Quod ſecus erit in promiſſioone dotis ſimplici.*
90 *Traditur intellectus* ad l. cum poſt §. gener. ff. de jure dotium.
91 *Intelligitur*, l. quæro 61. ff. de jure dotium.
92 *Regulariter incertitudo, ſicut alia, ita & dotem vitiat, cum dos variabilis ſit, & non detur ſemper uniformiter.*

93

93 *Quod eſt variabile non præſumitur.*
94 *Duo ſpecialia poſſunt concurrere quando proveniunt ex diverſis fontibus, & quando unum venit in conſequentiam alterius, & ſæpè admittitur concurſus favore dotis, ut in muliere fidejubente pacto nudo.*
95 *Si incertitudo verſetur circa rem, relictum valet favore piæ cauſæ.*
96 *Cauſa Redemptionis Captivorum, & alimentorum egenis relictorum æquiparantur.*
97 *Reſolvitur anniverſarium Miſſarum relictum non expreſſo numero, & legatum pro virginibus maritandis, vel redimendis captivis, non expreſſo numero; nec quantitate dotis, valere.*
98 *Quantitas expendenda pro anniverſario taxatur arbitrio boni viri; inſpectis facultatibus teſtatoris, vel donatoris.*
99 *Sic & legatum incertum relictum Scholaſtico ad ſtudia.*
100 *Sic etiam taxatur, ſi dicat, lego pro anima mea, & non dixit quid.*
101 *Legatum relictum Eccleſiæ Parochiali, etiam ſtante incertitudine, valet, & Epiſcopus eligit Eccleſiam.*
102 *Sed verius eſt dividendum eſſe legatum inter utramque Eccleſiam.*
103 *Aſſignatis centum pro premio primo intranti arcem, ſi duo vel tres ſimul intrant, omnes dividunt illa centum.*
104 *Si quis dicat amico ſuo, animam meam dimitto in manibus tuis, nec voluerit aliter diſponere, cenſetur relinquere bona ſua piis cauſis per fideicommiſſum.*

1 INCERTA enim (ut Sixtus
Papa ſcribit Epiſcopis per Hiſpaniam
conſtitutis) nemo Pontifices judicare præ-
ſumat, & quamvis vera ſint, tamen
credenda non ſunt: niſi quæ certis judiciis comproban-
tur, niſi quæ manifeſto judicio convincuntur, niſi
quæ judiciario ordine publicantur. Verba ſunt re-
lata c. ſi quis divinis, §. his ita reſpondetur 30.
qu. 5.
2 Hinc eſt quod ſcripta in teſtamento, quæ in-
telligi non poſſunt, pro non ſcriptis habentur,
l. 1. & 2. ff. de his quæ pro non ſcriptis, habentur,
quia incerta.
3 Sic incertitudo ejus quod dandum eſt, vitiat pro-
miſſionem, l. triticum dari 94. ff. de verb. oblig.
l. quod in ſtipulatione 31. ff. de uſuris, l. ſi merces,
in princip. ff. locati. Sic ſi quis certo loco ſiſtere
promiſit, nec adjiciatur dies quo ſiſtere debuit in-
utilis redditur ſtipulatio propter incertitudinem, l.
5 ita ſtipulatus 115. de verb. obligat. Sic in pacto
reſolutivo contractus venditionis per adjectionem
in diem celebratis duabus venditionibus, ſi igno-
ratur cui venditioni adjectio facta ſit neutra vendi-
tio reſolvitur, l. cum duo ff. de in diem adject. ubi
gloſſ. magiſtralis ad hoc.
6 Sic incertitudo petitionis impedit prolationem
7 ſententiæ, l. idem Pomponius, §. fin. ff. de rei
vendit. quare, ut clarè & certè agas, debes deſig-
nare confinia, l. forma cenſus, ff. de cenſibus, quia
incertum eſt quod nullis finibus demonſtratur, Re-
buff. l. ſubſignatum, §. incertus poſſeſſor, verſ. de-
8 cimoquinto, ff. de verb. oblig. Nec ſufficit demon-
ſtratio generalis, quæ non facit rem certam, Aym.
conſ. 193. numero 4. quia generalitas parit obſcu-
ritatem, l. in tradendis, C. commun. prædiorum;
l. ita fidei, ff. de jure fiſci. Neque in re dubia & in- 9
certa, certa eſt danda ſententia, cap. ſi. 30. quæſt.
5. quia incerta petitio, nullum producit effectum;
c. Abbate ſanè, de ſententia, & re judicat. l. hac 10
ſententia, & l. fin. C. de ſententiis, quæ ſine cert.
qua profer.
Quod limita, niſi incertitudo cauſetur ex facto 11
rei, quia tunc libellus incertus, & obſcurus ad-
mittitur, l. 1. §. 1. digeſtis quorum legatorum, ubi
Bart. Joan. Mauritius de reſtit. major. cap. 381.
numero 2. Quod eſt, ut in d. l. 1. quando ignora- 12
tur an reus poſſideat, titulo pro legato, an pro
hærede, vel pro poſſeſſore dicta quo Anton. Go-
mez. l. 45. Tauri, numer. 159. col. 3. numeri, quod
poteſt contingere in noſtra anniverſariorum materia
reſpectu poſſidentis res tributarias pro anniverſario:
nam tenetur oſtendere rem pro qua ſolvit, & ex-
hibere inſtrumenta, juxta tradita per Valaſ. in ju-
ris emphyt. quæſt. 6. & 7.
Sic incertitudo loci, ubi domus facienda eſt, 13
vitiat ſtipulationem, l. non utique, §. ſi quis inſulam,
ff. de eo quod certo loco.
Sic ſi partis incertæ traditur poſſeſſio nullius eſt 14
momenti l. 3. §. incertam, ff. de acquir. poſſ. Anton.
Gomez, l. 45. Tauri numer. 96. ut ſi quis dicat,
concedo tibi, quidquid in eo fundo habeo, ſed di-
cere debet, tertiam vel quartam partem quam ha-
beo, l. locus, ff. de acquir. poſſ. Alex. conſ. 108. vol.
6. nec ad præſcriptionem talis incerta poſſeſſio pro-
derit, Aug. & Jaſ. l. ſi ſit, §. mihi, de leg. 1. Boër.
deciſ. 239. Tiraq. de jure conſtituti, limit. 19. Par-
lad different. 26. §. 1. num. 8. ubi numero. 4. Quod 15
ita certa debet eſſe poſſeſſio, quod non ſufficiet ac-
cipere poſſeſſionem unius prædii pro omnibus, ſed
quod neceſſe eſt, ut ſigillatim de omnibus accipia-
tur, ultra quem, & Speculatorem, & Jaſ. ab
eo allegatos, tradit Molin. lib. 4. de primog. capit.
2. n. 23. ubi de communi teſtatur Carrotius de lo-
cato 6 p. rem. 23. n. 4. & 6. fol. 257. Surd. conſ.
135. n. 64. & 91. 1. p. & conſ. 16. n. 12. 2. p.
quod procedit etiamſi apprehendatur poſſeſſio re- 16
rum ſub univerſitate comprehenſarum, ut in hæ-
reditate, peculio, aut dote; nam adhuc cujuſlibet
rei eſt accipienda poſſeſſio, tradit Ant. Gom. l.
45. Tauri, num. 39. Mieres de majorat. 1. p. q.
34. Guttier. lib. 3. practic. qu. 64. ſequitur Parlad. 17
ubi ſupra, num. 5. Licèt per ingreſſum partis unius
fundi contigui, acquiretur totius fundi poſſeſſio,
& per uſum partis retineatur poſſeſſio totius, l. ſi
ſtillicidii, §. fin. ff. quemadm. ſervit. amit. de quo
Anton. Gomez. l. 45. Tauri, num. 37. ubi quod 18
in juriſdictionalibus erit, ſecùs ſi alius ſit in poſſe-
ſſione, quia tunc per exercitium unius actus juriſ-
dictionis non acquiritur univerſalis juriſdictio, de
quo optimè, Felin. cap. auditis, n. 20. de præſcript.
Tiraquell. de jure primog. quæſt. 39. num. 2. & 3.
Avend. reſp. 30. nu. 2. Menchaca de ſucceſſ. creat.
lib. 3. §. 26. n. 122. & 123. Burgos de Paz,
conſ. 36. n. 5.
Sic mandatum manutentionis, non datur quando 19
poſſeſſio non eſt clara, ſed intricata, Paul. Æmil.
deciſ. 200. p. 2. nec æquivoca poſſeſſio, probat
Abb. cap. 2. in fin. d. cenſ. Fel. c. cum Bartol. num.
6. de re jur.
Sic vitiatur confeſſio delinquentis, ſi non appa-
reat de corpore occiſo, Fachineus lib. 1. controver-
ſiarum juris, cap. 28. & tradit Anania conſ. 17.
Sic & delictum relinquitur impunitum propter in-
certi-



tudinem delinquentis, l. abſentem, ff. de pœnis,
gloſſ. l. item Mella, §. ſi plures. ff. ad. l. Aquil.
quam dicit multum ſingularem Hippolytus ſingulari
217. ubi habes bonam Theoricam ad ejus materiam,
ab eo tamen diſcedit Petrus Roiz deciſ. Lituanica
5. n. 204. punitur tamen author rixæ, etiam quod
non conſtet de occiſore, Petr. Anton. Anguiſ. conſ.
23. lib. 1. & conſ. 27. n. 10.
20 Sic incertitudo vitiat mandatum de communi,
teſtatur Flamin lib. 9. de reſign. benef. q. 32. n. 1. &
2. Sic & collationem beneficii, Aym. conſ. 104.
n. 11. Oldrad conſ. 229. Felic. c. cum contingat,
C. de officio de leg. Et privilegium, Oldrad. conſ.
238. & tutelam, l. duo ſunt Titii, ff. de teſta. tut.
Et citationem, Rom. conſ. 369. n. 8. Hippol. de
Marſi. Rub. de probat. n. 38. & ex n. 359.
21 Sic & citatio facta per nuntium annullatur ſi alter
neget ſe citatum, quia redditur incerta, Speculat.
tit. de citat. §. ſequitur, n. 6.
22 Sic ſi teſtis dicat ſe non dixiſſe, quòd Tabellio,
ſeu Notarius ſcripſit, propter incertitudinem, ad
pœnam, neutri creditur, Specul. tit. de inſtru.
editione, §. reſtat, verſ. quid ſi unus, & tit. de
teſt §. 1. verſ. ſed pone ecce, Alex. conſ. 65. vol. 2.
& conſ. 143. eod. vol. Avend. lib. 2. de exeq. man-
dat. cap. 27. num. 27. Ferrara, tractat. cautel. 26.
Azeved. l. 2. tit. 8. lib. 4. Recop. num. 46. ubi li-
23 mitat, ſi ſe ſubſcripſit. Quod ego ſublimitatem,
ſi texi ſignanti, non fuit lectum dictum antequam
ſignaret. arg. l. 2. Cod. de reb. alien. non alien.
24 Quod frequenter contingit feſtinantibus Tabellio-
nibus.
25 Sic incertitudo vitiat hæredis inſtitutionem, l. in
tempus, §. 1. ff. de hæred. inſtit. & incertitudo per-
ſonæ legatarii vitiat legatum, l. Paulus, digeſtis de
rebus dubiis, & itidem incertitudo rei legatæ, l. ſi
domus 74. de leg. 1.
26 Sic ſtantibus duobus teſtamentis, ſi non appa-
reat de poſteritate alterius utrumque vitiatur, Jaſ.
l. fin. num. 30. C. de edicto Divi Adri. toll. iti-
dem duo codicilla, gl. l. cum proponas, C. de co-
dicillis.
27 Sic incertitudo mortis teſtatoris vitiat aditionem
hæreditatis, l. hæres inſtitutus 32. & l. ſed ſi de
ſua, in princ. ff. de acquir. hæred.
28 Sic propoſitio incerta non admittitur, nec ad
eam tenetur quis reſpondere, Specul. tit. de po-
ſitionibus, §. 6. num. 17. verſ. & ad penitus incertum.
29 Nec poſitioni de negotio intricato, quia tali caſu
poteſt reſpondens dicere, ſe neſcire, & non negare,
Balb. in repet. l. Celſus, num 35. digeſtis de uſuca-
30 pionibus. Sic & reſponſio incerta, nihil operatur,
31 l. de ætate, §. nihil, ff. de interrogat. actio. Sic ſi
vox eſt incerta, vel lex aliqua non eſt ſecundum
eam judicandum, l. utrum, ff. de petit. hæred. l.
32 benignius, l. in ambigua, ff. de legibus. Nec lex
habens varios intellectus alleganda eſt, Bart. l. in
ambiguo, ff. de reg. jur. ſequitur Silvanus conſ. 88.
n. 34. lib. 2. Aviles c. 1. pretorum, verbo, uſen
bien y fielmente, num. 18. Surd. conſ. 9. num. 44.
33 vol. 1. niſi aliquem habeat ſenſum probabiliorem.
Joan. Gar. de nobil. in princ. n. 3. quod etiam pro-
cedit in materia favorabili, & libertatis, & ſic
incertitudo perſonæ cui datur libertas impedit liber-
tatem., l. ſi quis de pluribus, ff. de rebus dubiis,
l. cum ex pluribus, ff. de manumiſſ. teſtamento, §.
libertas, inſtitut. de leg.
34 Sic ſponſalia contracta cum una ex filiabus Petri,
ſunt propter incertitudinem nulla, Navarrus conſ.
38. num. 7. de ſponſ.
Incerta namque nemo judicare præſumere debet, 35
ut diximus initio hujus c. nec ſi certa ſint judici,
niſi judicio appareant; quia non debet judicare ſe-
cundum conſcientiam, ſed ſecundum allegata &
probata, vulga. text. in l. illicitas, §. veritas, di-
geſtis de officio Præſid. & cap. Paſtoralis, §. quia
verò, juncta gloſſa de offic delegati. Quod limita, 36
quando judici conſtat per inſpectionem oculorum
(vulgò, viſto de ojos) quia tunc poteſt judicare
ſecundum quod ipſe judex novit, & ejus conſcien-
tiam, & non ſecundum allegata & probata, gloſſ.
in cap. quoniam, verbo, ad loca, de præſcription.
quia inſpectio ocularis omnes alias probationes ſu-
perat, Barnabas Cornazanus deciſ. 24. num. 4. Nat-
ta conſil. 236. num. 3. & eſt textus in l. ſi irruptione
in fine, digeſtis finium regun. Sed verius eſt, quod
eo caſu judicat ſecundum proceſſum, licet judicet
ſecundum quod ipſe novit omiſſis aliis probationi-
bus, quia conſtat judici ut judici, ex quo judicia-
liter datur inſpectio oculorum, non autem in pri-
vatæ perſonæ; atque ita intelligit Bart. dict. § ve-
ritas, Roder. Suarez, l. poſt rem, notab. 3. num.
4. ff. de re jud. de qua inſpectione tractat And. Gail.
libro 1. obſervat. capitul. 26 numero 9. Vincent. de
Franch. deciſ. 322. numero 7. DD l. ſi irruptione, §.
ad officium, digeſtis, finium regundorum, Burgos
de Paz, conſ. 43. numer. 45. Anton Padilla, l. 2.
numero 72. C. de reſcind. vendit. Limitatur etiam 37
concluſio d. §. veritas, in judicibus ſupremi Sena-
tus, qui poſſunt indicare ſecundum conſcientiam,
tradit Guido Pap. deciſ. 29. ſequitur Roland. conſ.
70. numer. 23. volumin. 1. & conſil. 68. numero 18.
& 19. vol. 3. Gram. deciſ. 19. numero 14. Beccius
conſ. 52. num 89. ubi alios refert noviſſimè Parlad.
3. part. differentia 10. numero 27. ſequendo Gui-
donem.
Sed hoc falſum dicit Covarruvias libro 1. varia- 38
rum, capit. 1. num. 7. verſ. 3. etiam ſupremos Sena-
tores, qui aſſentitur deciſio. Pedemont. 1. numer. 43.
& ſeqq. Joann. Guttierr. libr. 2. canonicarum qq.
cap. 29. num. fin. quibus & ego aſſentior: nam licèt
Senatus repræſentet perſonam Principis, l. quomi- 39
nus, ff. de fluminibus, ubi Jaſ. & Ripa gloſſ. in l.
cum ambigitur, ubi Bart. ff. de legibus, Affl. deciſ.
120. in fin. Deci. Aym. & alii relati à Rol. conſ. 68. 40
numero 17. vol. 3. Et Senatores dicantur pars cor-
poris Principis, l. quiſquis, in princ. C. ad l. Julia
majeſtas, Oſaſ. deciſ. Pedem. 1. numero 1. Non tamen 41
habent poteſtatem derogandi legibus, ut nec con-
dendi eas, dicit Covarruvias ubi ſuprà, & optimè
probat l. fin. C. de legibus, ubi in fine quod Jure-
conſulti id fecerunt promiſſu Principis: Principes
enim ſemper jubent leges ſervari, l. 3. §. Divus
Adrian. ff. de ſepulchro violato. Ego mundi Dñs lex
Rodia maris, lege Rodiorum judicetur nauta, in-
quit Imperator, l. deprecatio, ff. ad l. Rodiam de
jactu. Imò nec contraria lege à ſe lata vult abroga-
ri leges, quas ipſe ignorat, cap. 1. de conſtitutio.
libr. 6. Nec credendum eſt Principem, qui jure 42
tuetur velle evertere leges, ut in l. ſi quando, de
inofficioſo teſtamento: nec alicui committere talem
poteſtatem, niſi de eo appareat, text. dict. l. fin.
C. de legibus per quem ita tenet Theſaurus in præfat.
ad deciſ. Pedem. n. 32. & ſic ſententiæ Senatus, etiam
Rotæ non habent vim legis, Anton. Cuchus lib. 1.
inſtit. major. tit. 1. n. 20.
Et licèt ſententiæ Senatus reverenter ſervandæ 43
ſint, ut dixit Antonius Gamma, deciſ. 228. & ſit
judicandum, prout Senatus indicavit, l. filius ibi.
Sic

*Sic inveni Senatum cenſuiſſe, ff. ad l. Corneliam, de falſis*, Joſephus Ludovicus, *deciſ. Lucenſi* 3. *num.*
44 50. *& numero* 52. Ubi invehit contra Capharellum Advocatum, qui ſolitus erat dicere, Rota rotat, Afflictis, *deciſion.* 45. *numero finali*, *& deciſ.* 169. *numero* 5. Pinellus, *l.* 2. 2. *part.* 4. *numero* 2. Pallador *libr.* 2. *rerum quotid. cap. fin.* 5. *part.* §. 16. *numero* 7. *ad fin. & lib.* 3. *differentiæ* 10. *num.* 27. quia Rotæ deciſiones faciunt communem opinionem, Cerola *in praxi Epiſcopali*, 1. *part. verbo*, *Rotæ tribunal.* Non tamen debent judica-
45 re, niſi ſecundum leges, ut inquit ipſe Parlardorius, declarando, quod tradit Guido Pap. *dict. deciſ.* 29. neque obſtat *l* 22. *titul.* 4. *libr.* 2. *Recopil.*
46 allegatam per Parlador. Nam illa verba: *Simplemente y de plano ſin eſtrepito y figura de juyzio, ſabida la verdad*, ſolùm important remiſſionem ſolemnitatum figuræ judicialis, & excludunt apices juris Barnabas Cornazanus, *deciſ.* 158. *numero* 1. non autem per ea verba remittuntur ſubſtantialia ad veritatem eruendam, ut poſt gloſſam Bartolus *in Extravaganti, qui ſunt rebelles, verbo ſine ſtrepitu,* tradit Cardinal Zabarela *Clement. diſpendioſam, n.* 42 *& ſequentib. de judiciis*, Oldradus, *conſ.* 115.

Et ſic illa verba: *Sabida la verdad*, debent in-
47 telligi cum cauſæ cognitione, quia cognitio cauſæ eſt ſubſtantiale judicii inductum de jure divino, ut poſt Panormitanum, & Felinum, & alios Doctores, quos refert, & poſt Vantium de defectibus proceſſus *n.* 30. tradit Alexand. Raudenſ. *conſ.* 24. *numero* 21. & Paleotus *de ſacri conſiſto. in concluſione operis* 1. *membro*, *verſ. quo ad primum & verſ. & ſi quis opponeret*, & Deuteronomii *capit.* 16. Juſtè quod juſtum eſt, perſequeris.

Et ſic cauſæ agitandæ abſque figura judicii, di-
48 cuntur habere inſtantiam, (hoc eſt terminum ad cognoſcendum de eis) tradit Natta Senior, *Clementina ſæpè*, *num.* 106. *de verborum ſignificatione*, quem & alios refert & ſequitur Raudenſis, *conſ.* 6. *numero* 46. licèt ut ibi inquit *numero* 47. reſpectu limitationis termini non debetur, ſi cauſa tractatur in conſiſtorio Principis, ob multitudinem cauſarum, ad quod refert Marantam.

49 Nec illa verba: *Simplemente y de plano ſin eſtrepito è figura de juyzio, ſabida la verdad*, tollunt legitimam exceptionem, Bart. *in Extravagant. ad reprimendum*, *verbo videtur*, *colu. fin* ſequitur Alex. Raudenſ. *conſ.* 9. *n.* 104. *&* 111. & Aſinius *in praxi judiciali*, §. 3. *cap.* 3. *& ſequentibus*, Cacheranus Oſaſchus, *deciſ.* 2. *num.* 1. Raudenſis *conſ.* 20. *num.* 51. *&* 52. Franciſcus Aretinus, *cap. dilecti*, *num.* 18. *de judic.* ubi etiam addit & concludit, non eſſe remiſſam aliquam ſolennitatem ſubſtantialem, ſine qua proceſſus eſſet nullus, in quo reprobatur ſecundum Felin. *ibi*, *num.* 2.
50 Et licèt ſtante illa clauſula, attendantur probationes etiam non concludentes, Bald. *l. ſolam, in fine, C. de teſtibus*, Aretinus *conſ.* 84. *& conſ.* 127. quos & alios plures refert & ſequitur Alexander Raudenſis, *conſil* 21. *numer* 215. & per ea verba relevetur judex ab omni forma & figura judicii à jure civili introducta, in quo omnes conveniunt, ut
51 dicit Raudenſis, *diſt. conſi.* 21. *n.* 234. Tamen tenetur ſervare figuram judicii jure gentium vel naturali ratione inductam, tradit Grammatic. *conſi* 90. *num.* 24. Oſaſchus *deciſ.* 1. *num.* 15. ubi inquit, quod in ſumma talibus verbis videntur ſublata omnia, quæ reſpiciunt ſolennitatem judicii, ea verò quæ factum partium & defenſionem partium concernunt, non cenſentur ſublata, ex *dict. Clementina ſæpè*, & refert plures Doctores id tenentes, quem & alios ſequitur Raudenſis, *dict. conſ.* 21. *num.* 234. quem vide *ex num.* 227. De impugnat. hujus clauſulæ, ſummariè, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola rei aut facti veritate inſpecta.

Neque obſtat quod dict. *l.* 22. *titul.* 4. *lib.* 2. 52
*Recop.* ſolum dicit: *Sabida la verdad*, & non
addit: *Que hallaren probada en los pleytos* prout di- 53
cit *l.* 10. *titul.* 17. *libr.* 4. *Recop.* Nam illa verba referuntur ad cauſas & lites quæ tractantur *in conſilio* ut colligitur ex præfatione legis, quæ præſtat lumen diſpoſitioni *l. fin. ff. de hæred. inſtituend.* Roland. *conſil.* 49. *numer.* 43. *volum.* 1. Curtius junior, *conſ.* 185. *num.* 1. Franciſcus Beccius, *conſ.* 20. *num.* 11. *& conſ.* 21. *numer.* 37. Marcus Antonius Eugenius, *conſ.* 1. *numero.* 70. Cacheranus *deciſ.* 59. *num.* 5. *& deciſ.* 52. *numero* 10. Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 5. *numero* 1. Joan. Garcia *de nobilitate, in diviſione in principio*, Mieres *de majorat.* 1. *part. in initio numero* 42. *verſ. decimo ſexto*, Joſephus de Ruſticis, *de liberis in conditio. poſitis*, *lib.* 1. *cap.* 2. *numero* 100. 1. *part.* Joan Gutier. *lib.* 2. *practicarum quæſtionum quæſtione* 159. *num.* 2. Alvarad. *de conjecturata mente*, *lib.* 4. *cap.* 4. *ex num.* 9.

Quod maximè procedit, quia in ea lege Princeps intendit favere partibus, ut colligitur ex illis verbis: *Que vienen al nueſtro Conſejo algunos negocios civiles y criminales, brevemente a menos coſta de las partes, y bien de los hechos ſe podrian expedir y deſpachar en el nueſtro Conſejo, ſin hazer dellas re-
miſſion.* Et quod favore partium eſt introductum, 54
non debet in eorum damnum intelligi contra *l. quod favore, C. de legib.* inducta ad unum effectum, debent in eo ſenſu admitti, ut contrarium operentur, *l. legata inutiliter, de adim. leg.* Everardus
*loco ab effectu*, cum ſempér lex velit fieri, quod 55
neutri ex partibus oneroſum ſit, *l.* 1. *ff. ſi quis cautio. Barboſa, l. divortio*, §, *fin.* 1. *part. num.* 95. & retorqueretur in damnum partium ſi omiſſis ſuis defenſionibus, ſupremi Judices ſecundum ſuam conſcientiam proferrent ſententias, quod quidem nec ipſi vellent cum integerrimi, & peritiſſimi
ſint, ut dicit Valaſcus *conſultat.* 51. *num.* 6. Di- 56
dacus Perez *in proœmio*, *titul.* 3. *libr.* 2. *ordin. pag.* 200. *Los del nueſtro Conſejo.* Et cum ſuper hoc ex eis conſulerem inſignem literis, virtute, & nobilitate virum Dominum Ferdinandum Carillo, equitem militiæ ſancti Jacobi, è conſilio, & ſupremi Senatus, & Regalis Cameræ (qui poſtquàm à prudentiſſimo & Catholico Philippo Secundo Hiſpaniarum Rege electus fuit, ut Sereniſſimum Archiducem Albertum in Flandriam comitaretur, & ei Cæſareo viro, futuro genero, inſerviret, ejuſque lateri pro conſilio perhibando aſſiſteret, & ut Galliam, Angliam, & Belgicas provincias adiret pro ineunda pace: Peractis laudabiliter muneribus, in Hiſpaniam rediit, ubi & potentiſſimus Dominus noſter Philippus Tertius Hiſpaniarum Rex patris factainſequendo, magna illius prudentiæ & conſilio committit, ut viſitæ ſecretariorum, ſtatus, Caſtellæ], & Portugalliæ, aliorúmque Hiſpaniæ Regnorum, quibus ad præſens fungitur) hanc approbavit opinionem, & pro ea allegavit optimam, *l. nam & ipſum jus, ff. de juſtitia, & jure,* & S. Thom. 2. 2. *quæſtione* 67. *art.* 2. ubi ponit illa verba: *Bonus judex nihil ex arbitrio ſuo facit, ſed ſecundum leges & jura pronuntiat*, quæ verba





licèt Sanctus Thomas tribuat Auguſtino, ſunt Divi Ambroſii, ſuper Pſalmo: *Beati immaculati. ſermone* 20. quæ referuntur, *cap. judicet*, 3. *quæſtione* 7. Neque etiam; *l. illa* 22. *titul.* 4. *libr.* 2. *Recop.* illis generaliter in omnibus tribuit illam poteſtatem, ſed tantum in illis negotiis, quæ poſſunt expediri ita faciliter ut lex innuit: in aliis autem ſervanda eſt forma juris generaliter, imo & in omnibus intelligendum eſt, quòd ſcientia proveniat
57 ex actis, quia in dubio non præſumitur, quod princeps velit, nec debeat tollere ea quæ alicui acquiruntur jure civili, naturali ratione munito, ut tradit Cacheranus Oſaſcus *deciſion.* 2. *numero* 13 & Baldus, *l. juſtitia, ff. de juſt. & jure*; dixit quòd per iſta verba juſtum, & verum decernas non videtur à jure diſceſſum *argumento*, *l. ſi quando, C. de inoffizioſo teſtamento.*

58 Ex quibus concludo, quòd illa verba: *Sabida la verdad*, ſunt intelligenda, juxta deciſionem *cap. ſi quis divinis*, §. *his ita reſpondetur*, 30. *quæſtione* 5. relata initio hujus, quæ nunc rogo per leges, ut Senatores incerta judicare non præſumant, & quamvis vera ſint ſecundum eorum conſcientiam, non tamen credenda, ut ferant ſententiam niſi admiſſis probationibus: nam, ut inquit Baldus, *l. cum quidam*, §. *ſuum*, *numero* 2. *ff. de acquir. hære.* veritas occulta in judiciis non ſufficit, ſed apparens probationibus, & præſumptionibus legalibus requiritur, quia veritas, quæ veſtimentis legalibus, non juvatur, non habetur pro veritate, Puteus *tractatu ſyndicatus, verbo, reſtat, numero* 9. *fol.* 242. aliàs dicentur judicare ſuper incertis, & conducit illud Pauli 1. *Corinthiorum, capit.* 4. *Nolite ante tempus judicare*: ut eſſet ſi ante receptionem informationum judicaretur.

59 Et ſic legimus *Deuteronomii*, *cap.* 13. ſimilem clauſulam poſitam, ibi: *Quære ſolicite & diligenter rei veritate perſpecta, ſi inveneris certum eſſe quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratam, ſtatim percuties habitatores urbis illius in ore gladii*: Et iterum, *c.* 17. ibi: *Audiens quæ inquiſieris diligenter, & verum eſſe repereris, & abominatio facta eſt in Iſrael, educes virum ac mulierem, qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt ad portas civitatis, & lapidibus obruentur, in ore duorum aut trium peribit, qui interficietur, nemo occidetur uno contra ſe dicente teſtimonium* Vides ergo, quod cum olim lex divina poſuerit ſimilem clauſulam, ut inſpecta veritate judicaretur, addidit probationem, & modum probandi, excluſitque probationem imperfectam. Quare itaque vult aliquis præſumere, quod cùm *l.* 22. *titu.* 4. *lib.* 2. *recop.* dixerit, *Sabida la verdad*, cum non addiderit, *Que hal-*
60 *laren provada*, velit, quod judices Supremi poſſint omiſſis probationibus ferre ſententias: cum ſemper legis verba ſint intelligenda in terminis habilibus *l. qui teſtamento, ff. de teſtamentis*, & opor-
61 teat jura juribus concordare, *capitul. cum expediat, de electione*, *libro.* 6. nec in ſupremis judicibus ſpecialitas ſit inducenda, ubi à lege non exprimitur, gloſſa recepta *in l.* 1. *C. de petitione hæredit.* ita ut neque favore fiſci, Barboſa *l.* 1. 7. *p. num.* 20. *ff. ſolut. matrimon.* maximè ad tollendas exceptiones, & æquitatem juris, *cap. ex parte el* 2. *de officio delegati*, ibi: *Debet tamen rationabiles exceptiones admittere, & in cauſa juxta juris æquitatem procedere: niſi exprimatur in literis noſtris, quod nullæ debeant exceptiones admitti: quod nec nos, nec anteceſſores noſtros unquam credimus expreſiſſe.*



Incertum autem accipias, quod probari non po- 62
teſt, textus in authentico, *ut hi qui oblig. ſe haber. perhibent &c.* juncta gloſ. *verbo, incertum, collatione* 6. & quod dubium & obſcurum eſt, vel de quo non apparet *l.* 1. §. *quod autem, ff. quorum legatorum*, *l. incerti juris, C. de interdictis l.* 1. *ff. de bonorum poſſeſſione ſecundum tabulas*, *l. ubi*, §. *qui illud de verborum oblig. l. filius familias in fine, digeſtis de Caſtrenſ. pecul.*

Et generaliter incertum dicitur quoties nec à 63
natura, nec ab homine habet certos fines, Baldus *l. unica*, *numero* 14. *&* 15. *C. de ſententiis, quæ pro eo quod intereſt profer.* & quod ignoratur *l. ſubſignatum* 39. §. *finali ff. de verborum ſignificatione*, ubi Petrus Rebuffus docet de multiplici differentia incertitudinis, tam perſonæ, quam loci, diei, vel quantitatis. Sed longè plures invenies in legibus à nobis relatis. Ex quibus omnibus colliges, quòd
tunc incertitudo vitiat actum, quando adeſt in re, 64
perſona, loco, ſive die vel quantitate, quorum declaratio & expreſſio neceſſaria eſt ad actus perfectionem, & ſubſtantiam.

Si tamen relinquitur incertæ perſonæ de certis, 65
quæ poſſit certificari ex futuro eventu, tunc valet actus, nec vitiatur. Anton. Gomez 2. *tomo*, *c.* 11. *numero* 8. *verſ. ſeptima concluſio*, & probat *l. quidam* 6. ubi Bart. *l. utrum* 8. §. *cum quidam, ff. de rebus dubiis*, *l. ſi ſervus legatus*, 111. §. *hujuſmodi, delegat.* 1. §. *ſub certa, inſtit. deleg.* quæ jura loquuntur in incertitudine perſonæ ex certis.

Si verò incertitudo verſetur circa rem, actus eſt 66
in ſuſpenſo, donec certificetur, *l. apud Aufidium* 20. *ff. de optione leg.* ubi legatum non tranſit antea quam rex certificetur per electionem, *l. plane.* 34. §. *ſi ita Titio, de legat.* 1. *l. ſi Titio fundus*, 10. *ff. de uſufructu legat.* per quæ jura ita tenet Marianus Socinus Junior *l.* 1. *numero* 350. *&* 354. *de leg.* 1.

Ex quo infero, quod licèt ex forma ſtatuti in- 67
ſtrumenta habeant, paratam executionem, ſi tamen contineant incertam quantitatem ſuſpenditur executio, quouſque quantitas fuerit liquidata: tradit optimè Rodericus Suarez, *l. poſt rem in declaratione legis Regni*, *limitat.* 4. latè & eleganter Anton. Moſſo Gillecus *tractatum ad formam obligat. Camer.* §. *ſecunda conſideratio*, *pagin. mihi* 588. *in parva impreſſione*, ad quem ſemper recurras in materia.
Nec ſufficiet in diſcurſu executionis liquidare quan- 68
titatem, ex eo quod prædicta lex Regni inquit *Porcietas quantitas de maravedis que ſe obligaren à dar*, & qualitas quæ debet ineſſe à principio non ſufficit, ſi ſubſequatur, *l. ſiquis mihi bona*, §. *juſſum, ff. de acquir. hæred.* Virtus enim executiva debet ineſſe à principio uti ex aliis tradit Avendaños *de exequendis mandatis*, *capit.* 1. *num.* 27. *verſ. iſtud tantum*, Boërius *deciſ.* 259. *num.* 1. Magonius *deciſ. Lucenſi*, 3. Antonius Maſſa, *d. tractat. cap. de liquidatione*, *numero* 6. *pag.* 221. & Benedictus de Barcis, *de guarentiga*, *quæſt.* 2. 1. *part. verſ. ſed tamen in hoc*, idem tenet Covarruv. *libr.* 2. *variarum*, *cap.* 11. *numero* 1. ubi multis comprobat, & ampliat, ut procedat in ſententia lata in judicio univerſali: ſicque paſſim fieri apud ſuprema tribunalia, quod intellige, ut declarant prædicti Doctores *ubi ſuprà*, ut ſufficiat liquidatio ſummaria, facta tamen citata parte, nec ſic neceſſaria interlocutio ſuper liquidationem.

Limita tamen prædicta in caſu quo facta execu- 69
tione, ſine prædicta liquidatione debitor executus

non appellaſſet, nam ſi in diſcurſu executionis fieret liquidatio, & judex pronuntiaret ſententiam quæ vulgo dicitur, *de trance y remate*, à qua eſſet appellatum, & petatur retractatio, eo prætextu, quod liquidatio non præceſſit exequutionem, nam tali caſu non retractabitur ſententia, non enim eſt revocandum, quod debet fieri de novo, *l. fin. ff. quod metus cauſa*, in illis verbis: *Quod ſi debitis* 70 *ſatisfecerit, &c.* per quem rextum, Antonius Gamma *deeiſ.* 237. *rumero* 3. tenet quod executio quantumvis nulliter facta non eſt retractanda, ſi conſtat condemnatum verum eſſe debitorem, & per illum text. idem tenet Gutierrez *de juram. confirm.* 3. *p. capit.* 19. *numero* 7. & illum textum ad hoc commendant Doctores, *ibi*, & *in l. à Divo Pio*, §. *in venditione*, ubi Jaſ. *numero* 12. *ff. de re judicata*, Paul. Caſtr. *l. ſi cum nulla*, & *ibi* Alex. *ff. de re judicata*, Aviles, *in capite* 11. *Prætorum*, *verbo*, *ſenterciadas*, *numero* 1. *in fin.* & facit quod tradit Mieres *de majoratibus* 3. *part. quæſt. fin. num.* 3. ubi loquitur in executionibus. Atque ita intelligas, quod tradit Romanus, *conſ.* 388. *num. finali.* Debet namque circuitus vitari, *l. dominus* 53. *ff. de condit. indebit.* Grammat. *deciſ.* 203. *num.* 188. Aymon. *conſ.* 210. *num. fin.* ubi quod ut evitetur poteſt judicare, ex libello inepto: & ſi executio iterum fo- 71 ret facienda, utrique partium eſt bene conſultum ſi non revocatur. Atque ita non revocari poſſeſſionem datam, quæ de novo eſſet concedenda, tradit Curtius Junior. *conſil.* 183. *num.* 4. Roland. *conſ.* 5. *num.* 6. & 19. & 2 . *vol.* 2. Aym. *conſ.* 65. *num.* 4. Pincilus, *l.* 1. 2. *part n.* 62. *de bonis maternis.*

72 Ex quo eſt, quòd ut circuitus evitetur, ſi cauſa non meretur executionem, & eſſet facta executio, poterit judex convertere judicium executivum in ordinarium, & condemnare via ordinaria, ut tradit Alex. *conſ.* 34. *num.* 4. *volum.* 3. quem & alios refert & ſequitur Cavalcanus, *deciſ.* 35. *num.* 5. & jam vidi multoties fieri, & feci, cum eſſent probationis ambarum partium in proceſſu plenè inſtructo, quod etiam vidi factum in Cancellaria Valliſoletana, & de ſimili praxi ſupremorum judicum, teſtatur Didacus Perez, *l.* 4. *titul.* 8. *lib.* 3. *ordin pag.* 626. *col.* 2.

73 Et licèt tam maximum ſit incertitudinis vitium, ut per incertitudinem omnes actus inefficaces reddantur, ut ſcribit Menoch. *lib.* 2. *de arbitrar. cent.* 2. *caſu* 188. *num.* 1. non tamen vitiat relictum in pias cauſas, ſive incertitudo verſetur in perſonis, ſive in rebus, ſive in quantitate, uti de perſonis, eſt textus *in l. id quod pauperibus*, *C. de Epiſcopis & Clericis*, ubi relictum pauperibus in genere, nulla perſona ſpecificata, valet, textus in *l. nulli*, *eo tit.* ubi relictum in redemptionem captivorum ſuſtinetur, non obſtante incertitudine perſonarum: & ſi teſtator executorem deſignavit, ille declarationem faciet, ſin autem Epiſcopus, ut in textu ibi, & eſt textus *in l. ſi quis ad declinandam, eo tit.* & textus *in auth. de Eccleſiaſt. tit.* §. *ſi quis autem*, *collatione* 9. quæ jura utrumque caſum, pauperum ſcilicet & captivorum amplectuntur: & loquuntur eis hæredibus inſtitutis.

74 Neque obſtat textus *in l ſi ita fuerit* 11. *in fine principii*, & *l. ſi quis de pluribus* 28. *ff. de rebus dubiis*, ubi libertas vitiatur propter incertitudinem perſonæ cui relicta eſt, (licet legatum libertatis pium dicatur, ut in *l.* 1. ubi Bald. *C. de comi. ſervo manumiſſo* (Nam ut inquit Tiraquellus *de privileg. piæ cauſæ*, *privileg.* 56. ibi uni tantum ex pluribus voluit teſtator libertatem darè, & ne fruſtretur teſtatoris intentio dando libertaten forſan ei cui teſtator noluit, nulli datur: at cum teſtator relinquit pauperibus indeterminatè, non cenſetur cogitaſſe 75 de certis, nec intereſt iſtis vel illis conferatur, cum in omnibus animæ ſit ſatisfactum, ad cujus favorem relinquitur, ut tradit Philippus Decius, *l. ultima*, *verſ. non obſtat* quod dictum eſt, *C. de edicto* divi Adriani. Et quod magis eſt, Baldus, *d. l. id quod pauperibus*, *num.* 1. nititur defendere, quòd tale relictum valeat jure communi, ex quo 76 certitudo eſt in genere, licet ſit incertitudo in ſpecie; nam ea venit certificanda per executorem relictum, vel per Epiſcopum in ejus defectum proviſione *dict. l. nulli*, & cum relictum in certis perſonis de certis ex poſtfacto certificandis valeat, *dict. l. quidam*, & *l. utrum*, §. *cum quidam*, *ff.* 77 *de rebus dubiis*, eſt ſubſtinendum jure communi, potius quam ſpeciali, & pro ejus opinione facit, quod non dicitur incertum illud quod venit per judicem certificandum *l. certi conditio in principio*, *ff. ſi certum petatur*, quem textum ad hoc citat Anania *conſ.* 19. quem refert & ſequitur Aymon Craveta, *conſ.* 162. *numer.* 6.

Nec incerta dicitur diſpoſitio ratione generalita- 78 tis, quando in aliquibus, imo in uno tantum poteſt verificari, *l. fundus qui l. fundus qui locatus ff. de* 79 *fundo inſtructo.* Atque ita, ſi unus appellat ad plures judices quorum unus tantum competens eſt, tenet appellatio, ac ſi ad eum ſolum eſſet facta, Angelus *conſilio* 336. Sic ſi Princeps confirmat conceſſiones 80 quas facit, & una ſolum apparet, remanet confirmata, nec dicitur incerta confirmatio, Bartolus *conſ.* 197. *num.* 5. Sic ſi inſtituantur hæredes haben- 81 tes jus ad hæreditatem, & una ſola perſona reperiatur habere jus, ipſa cenſetur inſtituta, nec dicitur incerta inſtitutio, Cravet. *conſ.* 262. *numero* 4. Et 82 hoc intellige niſi pluralitas adjiciatur in forma conditionis, ut dicit Gozadinus *conſ.* 67. *numero* 3. ubi ſubſtitutionem factam de poſthumis inquit non habere locum caſu quo unus tantum poſthumus naſcatur, ſequitur Tiberius Decianus, *conſ.* 1. *numero* 39. & 40. *vol.* 1. & optimus textus *in c. cum in illis* §. *ſi vero*, *de prabend. lib.* 6.

Sed quidquid Baldus dicat omnes tamen conveniunt, quod tale relictum ſuſtinetur favore piæ cauſæ, ut refert Tiraq. *de privilegiis piæ cauſæ*, *privilegio* 56. & eſt veritas: nam id quod Epiſcopus declaret in defectum perſonæ deſignatæ à teſtatore privilegium piæ cauſæ eſt.

Si tamen incertitudo verſetur circa quantitatem 83 ob piam cauſam, valet relictum, textus eſt *in l. quidam in teſtamento de leg.* 2. ubi legatum in viam reficiendam, non expreſſa quantitate, quæ expendenda ſit valet & judicis arbitrio, & ſecundum æſtimationem patrimonii quantitas diffinitur, textus eſt in *l. cum poſt*, §. *gener*, *ff. de jure dotium*, & licèt Cinus *l.* 1. *in prin. de dotis promiſſion* dicat nihil ſpeciale contineri in prædictis duobus caſibus, quia in illis incertitudo tollitur ratione adjuncti, cum in *d. l. quidam teſtamento* legetur ad viam reficiendam, quæ habet in ſe ſuos terminos certos & certam impenſam, & per hoc videbitur tanta ſumma legata, quanta ſit neceſſaria & *in d. l. cùm poſt*, §. *gener. promittitur dos*, quæ poteſt certificari ratione adjuncti, nam ſemper fiet æſtimatio boni viri abitrio, ſecundum conditionem, & qualitatem perſonarum, quam Cini conſiderationem comprobat Novellus, *l.* 1. *num.* 116. *digeſtis ſoluto matrimonio*



*monio*, & *tractatu de dote* 6. *part. privil.* 11 *l. ſi ita ſtipulatus*, *num.* 11. *digeſtis de verborum obligatione*, ubi Rippa *num.* 20. & Socinus Junior *à num.* 97. Ruinus 1. *lectura*, *num.* 23. & Camillus *num.* 172. Corraſius 2. *lectura*, *num.* 18. Menoch. *conſil.* 292. *num.* 12. *lib.* 3.

84 Sed hæc Cini conſideratio rejicitur à Bart. *l.* 1. *num.* 14. *digeſtis ſoluto matrimonio*, ex eo quod incertitudo regulariter non tollitur ratione adjuncti, ut *in* §. qua de cauſa *inſtit. de locato*, tradit idem Bartol. *l. ſi ita ſtipulatus*, *num.* 4. *digeſtis de verborum obligatione*, cujus opinio magis communiter approbatur, ut *in d. l.* 1. *ſolut. matrim.* tradunt Vincent *n.* 39. *in fin.* Alciat. *num.* 112. Socin. Jun. *n.* 18. Bolog. *n.* 151.

85 Sed pro reſolutione dic, quòd quando diſpoſitio redditur incerta reſpectu quantitatis vel ſpeciei, regulariter, ratione adjuncti non videtur certificata, ut *in l.* 1. *C. de dotis promiſſione*, ubi promiſſâ dote ſimpliciter non expreſſa ſpecie nec quantitate, non datur actio de dote, neque ſi ſimpliciter promittatur ad viam reficiendam; ob id ſequitur videri promiſſum totum id quod neceſſarium eſt ad viam reficiendam; nam præſtando quid minimum ad refectionem viæ videtur ſatisfactum promiſſioni, & ejus rigori, cui ſtandum eſt, *l. quidquid aſtringendæ* 99. *digeſtis de verborum obligat.* quia dos in uno nummo verificatur, *l. Neratius in fine*, *digeſtis de relig. & ſumpt. funer.* Menoch. *conſ.* 81. *numero* 18. *vol.* 1. Barboſa, *l.* 1. 3. *part. num.* 48. *ſolut. matrim.*

Ex quo eſt quod ſpeciali favore piæ cauſæ indulgetur, ut cenſeatur promiſſum quod fuerit neceſſarium pro via reficienda, ſecundum facultates promiſſoris, ut habetur *dict. l. quidam in teſtamento* 30. *de leg.* 2. ubi gloſſ. Bartol. Baldus, Imola, Decius *conſ.* 182. *num.* 2. *Afflictis*, *deciſ.* 337. *numero* 9. ſicque ſi promitteretur ad viam privatam reficiendam, vel legaretur, non procederet *deciſio dict. l. quidam. in teſtamento*; nam tunc dando quid minimum, promiſſor vel hæres liberetur, & per conſequens tanquam incertum legatum non valeret, ita tenent Baldus & Imola, *dict. l. quidam in teſtamento* Socinus Junior, *l.* 1. *ſoluto matrimonio*, *num.* 28. *verſic. ſi vis* & *l. ita ſtipulatus*, *num.* 97. *digeſtis de verborum obligat.* & eos contra Rippam, & Peraltam, ſequitur Barboſa *l.* 1. 3. *part. num.* 52. *ſoluto matrimonio*, ubi ſubtiliter & verè inquit, quòd in prædictis juribus non verſatur favor ſeu ſpecialitas in eo quod promiſſio, ſeu legatum incertum valent, ſed in eo ſcilicèt quod videatur promiſſum ſeu relictum illud quod fuerit neceſſarium ad faciendum id quod adjungitur, & ſic ratione adjuncti videtur ſublata incertitudo.

Et quod magis eſt, quod Pariſius, *l.* 1. *num.* 86 147. *ſoluto matrimonio*, tentat defendere, quod diſpoſitio *l. quidam in teſtamento*, ſolùm procedat in legato, in quo, quia concurrit duplex favor, & ultimæ voluntatis, & viæ publicæ reficiendæ admittitur ejus deciſio, quæ non procedet in promiſſione, ut in ſimili conſiderat, Bart. *l. cum de in rem verſo. num.* 1. *digeſtis de uſuris.* Ubi in- 87 telligit *l.* 1. *Cod. de fideicommiſſ.* ut ibi confirmetur titulus ex triennali præſtatione, quia concurrit favor ultimæ voluntatis, & alimentorum, qui aliàs niſi ex decennali præſtatione confirmaretur. Sic etiam gloſſ. *in cap. nos quidem de teſtamentis*, ver- 88 bo, in loco, in caſu quo teſtator non deſignaverit locum ubi voluit, & præcepit Monaſterium conſtrui, (& ſic ſit incertitudo loci, quæ aliàs vitiat, ut diximus *ſupra*, *num.* 4.) inquit, quod legatum non erit caducum nec vitiabitur, tum cauſa religionis, tum extremæ voluntatis favore.

Et ad eundem modum, ſicut admittitur lega- 89 tum incertum ad viam reficiendam, vel favore piæ cauſæ, admittetur, utique legatum incertum dotis, cùm concurrat duplex favor & dotis, & ultimæ voluntatis, tradit Pariſ. *l.* 1. *digeſtis*, *ſolut. matrimonio*, *numero* 147. ſequitur Barboſa *ibi*, 3. *parte*, *num.* 52. *in fine.* Atque ita nimirum ſi non procedat in ſimplici promiſſione dicta l. quidam teſtamento: in ſimplici autem promiſſione, dotis erit ſecùs, quia vitiatur propter incertitudinem.

Neque obſtabit textus *in l. cum poſt*, §. *gener.* 90 *digeſtis de jure dotium*, quia procedit in obligato per legem ad præſtandam dotem certo modo, ut eſt pater, qui ſecundum facultates tenetur filiam dotare, *l. ſi filiæ*, *digeſtis de leg.* 3. & ideò promiſſio dotis ab eo ſimpliciter facta, intelligitur ſecundum hanc obligationem legalem, *l. fin. Cod. de dotis promiſſione.* In extraneo autem neque in muliere ſe ipſam dotante non invenitur hæc obligatio legalis, & ſic dotis conſtitutio relinquitur voluntati contrahentium, cum & matrimonium ſine dote poſſit conſiſtere, *l. fin. Cod. de donat. ante nupt. l. quod ſi nulla*, *digeſtis de religion. & ſumpt. funer.* Quod in tantum verum eſt, ut ſi mulier habeat bona, non videatur illa in dotem dare, niſi expreſſum ſit. Petrus Surdus, *conſ.* 94. *numero* 3. 1 *parte.*

Et eſt receptum contra gloſſam *in l. mulier bona*, *digeſtis de jure dotium*, ut reſolvit Decius *authentica præterea*, *num.* 6. *Cod. unde vir & uxor.* ubi Curtius Jun. *num.* 12. & *ibi numero* 13. quod nec congruam dotem concedere videatur, niſi exprimat Fanu. *de lucro dotis*, *pag.* 44 . *num.* 37. ſequitur Barboſa, *l.* 1. 3. *parte*, *num.* 48. *ſolut. matrimonio.* Ubi prædictam conciliationem inter extraneum, & patrem promittentem dotem, ſimpliciter, tanquam veriorem amplectitur & Alciatus, Camillus, Zaſius, Cuman. Corraſius, Rippa, Ruinus, Gamma, Menoch. Balduinus, *locis ab eo relatis.*

Neque obſtat *l. quæro* 61. *digeſtis de jure dotium*, 91 quia ibi non dicitur quod tutor poteſt conſtituere dotem ſecundum facultates minoris, & ſic incertam, ſed id demum, quod doti conſtitutæ ſecundum facultates minoris, poteſt accommodare conſenſum, & non ultra, ita Barboſa *ubi ſupra*, *numer.* 50.

Sicque pro regula tradit, quòd incertitudo ſicut 92 & alia, ita & dotem vitiat, per *dict. l. primam, C. de dotis promiſſione*, quia dos ex ſe non eſt quid uniforme, nec ſemper uniformiter datur; ſed aliquando major, aliquando minor, aliquando in pecunia, aliquando in ſpecie, & ſic ratione adjuncti facilè certificari non poteſt, ut inquit Bald. *authent. res quæ num.* 14. *C. communia de leg.* & *l. fin. num.* 8. *Cod. de ſententiis quæ ſine certa quantitate*, & *conſ.* 102. *in princ. vol.* 4. Petrus Surdus, *conſ.* 93 94. *numer.* 2. 1. *part.* & non præſumitur quod eſt variabile, ut tradit ibi Surdus poſt Cinum. *l.* 1. *C. de contrahenda*, & *commit*, *ſtipulat.*

Ex quo etiam rejicitur interpretatio plurimorum doctorum dicentium *in d. l.* 1. *Cod. de dotis* 94 *promiſſione* non valere, ne darentur circa idem duo ſpecialia, nam ultra quod poſſunt concurrere, quando proveniunt ex diverſis fontibus, ut *in l. ſingularia*, *digeſtis ſi cert. petatur*, tradit Bartolus *l. ſi*

*is qui*, *numero* 71. *digeſtis de uſucapion.* Felin. *capit. cum. M. numer.* 10. *de conſtitut.* Socinus, *l.* 1. *ſolut. matrimonio*, *num.* 53. Ruinus, *l. Gallus*, §. *idem credendum*, *num.* 14. *digeſtis de liber. & poſthum.* & etiam poſſunt concurrere, quando unum venit in conſequentiam alterius, ut tradit Bartol. *dict. numero* 71. Decius *conſi.* 546. *num.* 4. Celſus *conſil.* 1. *num.* 15. paſſim in jure videmus favore dotis plura ſpecialia admitti, ut *in l. finali*, *C. ad Vellejanum*, *l. unica*, §. & ut pleniùs, de rei uxoriæ actione, tradit plures referens, Barboſa, *l.* 1. 3. *part. num.* 47. *ſolut. matrimonio*, ubi etiam plures citat tenentes, non ſolum in materia dotis, ſed in quacumque alia poſſe concurrere circa idem plura ſpecialia, & *num.* 54. ponit exempla in muliere fidejubente pro dote, pacto nudo, quæ valet, cùm aliàs requiratur ſtipulatio, nec juvatur Vellejano, & etiam datur aliud ſpeciale, quia compellitur præcisè rem tradere.

95 Si incertitudo verſetur circa rem, valet etiam favore piæ cauſæ, gloſſa *fin. capit. nos quidem de teſtamentis*, ubi Covarruv. *num.* 12. textus eſt *in l. Stychus* 12. *digeſtis de leg.* 3. ubi relicta libertate ſervo Stycho, teſtator petiit ut is doceretur artificium, unde ſe tueri poſſet, Pegaſus dixit, inutile fideicommiſſum eſſe, quia genus artificii adjectum, nec expreſſam eſſet, & nihilominus Cajus Conſultus, ibi reſpondit valere, & quod judex ſtatuet, tam ex voluntate defuncti, quàm ætate, ingenio & natura ejus cui relictum eſt, quod potiſſimum artificium hæres docere debet: & ibi notat gloſſa, quòd valet legatum incertum favore alimentorum, ex quo ibi docetur artificium, ut alii poſſit Stychus, & legatum alimentorum pia cauſa eſt, *l. Mela ibi pietatis intuitu, digeſtis de alimen-*

96 *tis & cibar. legatis*, *l. ſancimus*, *C. de Sacroſanctis Eccleſ.* ubi cauſa redemptionis captivorum & alimentorum æquiparantur. Tiraquell. *de privileg. piæ cauſæ in præfatione*, *verſ. item legatum*, intelligendo tantum, ut ibi Tiraquell. in alimentis relictis pauperibus, & egenis, Mieres *de major.* 4. *part. quæſt.* 27. *num.* 10. licèt alimenta divitibus relicta contineant alimentorum favorem, *l. cum hi*, §. *nihil*. *ff. de tranſ. & ſupra capit.* 2. *n.*19.

97 Satis ergo ex præmiſſis habes probatum, quod ſi anniverſarium Miſſarum relinquatur à teſtatore, nec exprimat numerum Miſſarum, nec quantitatem eleemoſynæ dandam, vel jubeat virgines maritare, captivos redimere, vel in pauperes annuatim erogare, fiet anniverſarium inſpecta qualitate defuncti, & ejus facultatibus, textus *in l. ſi cui annuum* 14. *digeſtis de annuis legat.* juncta gloſſa, *verbo*, *ſolutus*, ibi, & in ſimili pia cauſa; qui textus loquitur in eo quod annuatim eſt præſtandum, tenet plures referens Tiraquell. *de privileg. piæ cauſæ*, *privileg.* 55.

98 Atque ita quoties dubitatur de quantitate expendendapro anniverſario, illa taxanda eſt boni viri arbitrio, inſpectis facultatibus defuncti, ut in eo qui fecit donationem omnium bonorum reſervata ſibi poteſtate diſponendi pro anima, tradit Gamma, *deciſ.*185. ubi inquit hac conſideratione Senatum pronuntiaſſe in caſu quo quis donavit bona ſua, ſub reſervatione diſponendi pro anima, quod poſſet relinquere prædium, ex cujus reddit u eleemoſyna daretur Monaſterio ad ſacrificia decem Miſſarum annuatim pro anima peragenda, quod nota, quia ſæpiſſimè contingit.

99 Sic Rebuff. *tractat. de privilegiis ſcholaſticorum*, *privileg.* 133. tenet & affirmat legatum incertum arbitrio judicis diffiniri ex qualitate perſonæ, & ſtudii cui is ſcholaſticus operam dabit, tradit Menoch. *libr.* 2. *caſu* 188. *numero* 6. quo ex eo fit, quia quod ſtudii cauſa relinquitur, pium eſt, Bartol. *l.*1. ubi omnes, *digeſtis ſolum matrimonio*, ſequitur Alexander *l. ita ſtipulatus*, *num.* 28. *de verborum* Rebuff. *dicto privileg.* 133. plures referens, Tiraquell. *tractatu de privilegiis piæ cauſæ*, *in præfat. verſ. item relictum cauſa ſtudii.*

Sic Cardinalis Zabarella Clement. 1. *de teſtamentis*, *numero vigeſimo ſeptimo*, tenet, quòd ſi quis dicat, lego pro anima mea, & non dicat quod, legatum valere, & quod commiſſarius poterit expendere convenientem quantitatem, ſecundum dignitatem perſonæ, & ejus patrimonium & facultates, argumento *l. pater*, *de legat.* 2. tradit Joannes de Imola poſt Anton. de Butrio, *cap. indicate de teſtamentis*, ſequitur Alvarado *de conject. mente teſtator. lib.* 2. *capit.* 1. *numero* 28. ubi ultra Zabarellam allegat textum *in l. penultima*, *digeſtis de aliment. & cib. leg.* & hoc quia in relictis ad pias cauſas arbitrium boni viri ſemper tacitè connexum eſt, Bald. *l.* 3. *Cod. de furtis*, *num.*4. ubi de calice relicto, quem ſequitur Gregorius, *l.*23. *titul.* 9. *part.*6. *verb. El mejor.* ad quod adde, quod tradit Alvaradus *ubi ſupra*, *num.* 26. & 28. quem vide & Covarr. *cap. indicante*, *num.* 4. *de teſtamentis.* 100

Remanet itaque reſolutum, quod legatum incertum in favorem piæ cauſæ valet: Ex quo infero falſo aſſeruiſſe Cynum *in l.* 1. *Cod. de Sacroſanctis Eccleſiis*, *numero octavo*, legatum relictum Eccleſiæ Parochiali non valere, ſi non conſtat de qua teſtator ſenſit, & habebat duas Parochias: nam adhuc valebit legatum, & Epiſcopus eliget Eccleſiam, cui dandum ſit, ita tradunt Hoſtienſis, Joannes Andr. Imola, & communiter Doctores *in cap. indicante*, *de teſtamentis*, per text. *in capit.* 1. *de Parochis*, & *l. Titiæ textores*, *de legat.* 1. teſte Philippo Francho *cap.* 2. §. *cum ab eo*, *numero ſexto de ſepult. lib.* 6. Covarruv. *dict. cap. indicante*, *numero ſecundo*, *de teſtamentis*, licèt ibi contra communem ipſe ſequatur opinionem Barbatiæ, tenentis, legatum dividendum eſſe inter utramque Eccleſiam, per text. *in capite ſecundo*, *de ſepulturis*, *lib.*2. dicens, veriorem eſſe opinionem, quem ego ſequor, & ultra eum allego textum ſingularem *in l. ſi quis Titio* 17. §. *ultim. de legat.*2. cujus rogo legas verba, & conducit, quod tradit Imola in Clementina, ſi principalis, de reſcriptis, ubi aſſignatis centum pro præmio primo intranti arcem, ſi duo vel tres ſimul intrant, ita quod non poſſit diſcerni, quis eorum prius intraverit, omnes divident illa centum, idem tradit Bart. *l. hoc articulo*, *digeſtis de hæred. inſtituend. numoro* 8. & 9. & vide infra, *hoc lib. cap.* 22. *num.* 17. 101 102 103

Et pro complemento hujus cap. adde, quod licèt tam incerte verſatus fuerit teſtator circa relicta pro anima, ut ſolum dixerit amico ſuo *Animam meam dimitto in manibus tuis*, nec addiderit aliud verbum, nec voluerit aliter diſponere, cenſetur talis amicus gravatus reſtituere hæreditatem piis cauſis, ita tradit Bertachinus *in repert. verbo*, *animam meam.* 104

CAPUT



## CAPUT XI.

### Si quis condidit teſtamentum, in quo relinquit anniverſarium Miſſarum pro anima in Eccleſia, qua jubet corpus ſuum ſepeliri, & poſtea ſe ſuſpendat, in flumen, ſeu puteum ſe projiciat, & ſic ſuccedat in notorio peccato mortali, vel alia cauſa decedat excommunicatus, an ceſſet relictum pro anniverſario?

*SUMMARIUM.*

1 *Si conditio deſinit poſſe adimpleri per legatarium facto teſtatoris legatum libertatis vitiatur, quaſi conditione defecta.*
2 *Si teſtator leget, quod ſi debetur & poſtea exigat, extinguitur legatum.*
3 *Cum facto teſtatoris ſibi mortem inferentis deſinat poſſe adimpleri anniverſarium, vitiabitur anniverſarium, ut legatum libertatis.*
4 *Mortem voluntariam ſibi inferens non poteſt in Eccleſia ſepeliri, nec decedens excommunicatus, nec impœnitens blaſphemus.*
5 *Idem aſſeritur de Monacho habente proprium & de imponente nova pedagia, & de quolibet impœnitente peccatore.*
6 *Ex quo ſacri Canones prohibent pro iſtis orare, cum ſepultura ſine orationibus fieri non ſoleat utroque bono privantur.*
7 *Si aliquis reperiatur laqueo ſuſpenſus, vel proprio enſe ictus, ſive in flumen, puteumvè projectus non eſt credendum ſibi mortem intuliſſe, ſed ab alio eo renitente violenter ſuſpenſus, occiſus, ſeu in flumen projectus.*
8 *Non eſt præſumendum delictum, nec quod quis carnem ſuam odio habuerit, nec quod ſit immemor ſalutis æternæ.*
9 *Hujuſmodi inventi mortui ſepulturæ Eccleſiaſticæ traduntur, & pro eis oratur.*
10 *Ebrii, furioſi & dormientes, ſibi ipſis inferentes mortem non privantur ſepultura.*
11 *Etiam mortem ſibi inferens voluntariè non privatur ſepultura, ſi poſt illatum ſibi vulnus pœnituerit, & ad Dominum revertatur, oſtendendo ſigna contritionis peccati.*
12 *Omnis virtus detrimentum patitur ab uno vitio.*
13 *Sicut homo dum in carne eſt, poteſt gratiam amittere per peccatum, ut* numero 11. *ita & conſequenter pœnitentia conſequi.*
14 *Contrariorum eadem eſt diſciplina.*
15 *Deus malos citra condignum punit, bonos verò plus meritò remuuerat.*
16 *Expenditur illud Pſalm. 77. Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur.*
17 *Intelligitur text. in capit. ſi quis poſitus, de pœnitentia, diſtinctione 7. qui eſt Divi Auguſtini, de eo qui in ultimo vitæ ſpiritu pœnituit.*
18 *Conſtituto in articulo mortis, deficit memoria, & ſic minus creditur teſti conſtituto in mortis articulo.*
19 *Optimum erit conſilium, ut orantes pro defunctis, ea intentione orent, quod ſi defunctus non egeat orationibus ad orantem revertantur.*
20 *Samſon licèt mortem ſibi conſciverit, non fuit deſperatus, imo id fecit ſine aliqua Dei offenſa, quia nutu divino.*
21 *Per inimicitias capitales ſupervenientes cenſetur revocatum legatum, etiam quod poſt teſtamentum fecerit codicillos, & non revocaverit, & num. 23.*
22 *Et ad id ſufficit probare inimicitiam per duos teſtês, licèt aliqui requiri quinque teſtes tenuerint.*
23 *Majoratus revocatur per inimicitias, etiam quod fuerit in contractu inſtitutus, modo traditio facta non ſit.*
24 *Quod procedit etiam ſi inimicitia fuerit orta culpa teſtatoris.*
25 *Dictum teſtis rejicitur, licèt is contra quem dixerit, dederit cauſam inimicitiæ, dummodo non ſit data opera.*
26 *Contritus & confeſſus, præſumitur quod odium remiſerit.*
27 *Et quid ſi inimicitia inceperit morte teſtatoris, quia legatarius eum occidat.*
28 *Si teſtator legavit centum Eccleſiæ pro ſepultura, & poſtea elegerit eam in alia Eccleſia, legatum extinguitur.*
29 *Teſtator revocando onus legato adjectum videtur revocare ipſum legatum, declaratur num. ſequenti, ut procedat in modo & conditione.*
30 *Facto amittitur legatum, cum voluntas magis facto declaretur.*
31 *Expenditur* l. 8. titul. 23. libr. 8. Recop.
32 *Relictum Eccleſiæ pro ſepultura & orationibus, ſeu anniverſario, non cenſetur revocatum licèt relinquens decedat excommunicatus.*
33 *Quod ampliatur ut procedat, etiam ſi teſtator dixerit, quod Eccleſia non lucratur legatum, niſi in ea ſepultus fuerit.*
34 *Declaratur* l. cum tale, §. falſam, ff. de conditionibus. & demonſtrationibus.
35 *Conditio impoſſibilis de jure habetur pro non appoſita.*
36 *Conditio mixta, quæ impleri non poteſt, neque extat per legatarium quominus impleatur, habetur pro impleta.*
37 *Communis ſententia habet legatum non revocari propter inimicitiam ſi teſtator dederit cauſam, licèt antiqui teneant contrariam ſententiam.*
38 *Author idem judicat de excommunicato quod de ſe occidente, ex quo eadem ratio militat in utroque.*
39 *Qui poteſt removere impedimentum, non excuſatur, & ei currit tempus.*
40 *Qui caſum impotentiæ ſibi dederit, non excuſatur.*
41 *Culpa imputatur ei qui non petiit abſolutionem ab excommunicatione.*
42 *Qui non utitur remediis opportunis ad actum, eſt in culpa.*
43 *Cum excommunicatio ſit medicinalis, & adhibeatur in medicinam, ut quis exeat à peccato, parendo Eccleſiæ mandatis, ſi non pareat eſt pertinax.*
44 *Intelligitur.* l. 8. tit. 23. libr. 8 recopil. *juxta diſtinctionem juris communis, ſed contra numero 47.*
45 *Quando duæ leges, etiam ſi altera ſit poſterior, poſſunt*

*poſſunt aliqua diſtinctione concordari, ut una intelligatur ſecundum alteram, ſunt reducendæ ad concordiam.*

46 *Quod procedit etiam ſi ſecunda & poſterior lex contineat clauſulam derogatoriam, non obſtantibus, vel aliquam dictionem taxativam.*

47 *Intelligitur* d. l. Regia 8. *ut intelligatur ſimpliciter, ſine aliqua diſtinctione.*

48 *Quando ſi lex nova diſtingueretur per veterem, remaneret ſine effectu aliquid operandi, non diſtinguitur per eam.*

49 *Quando lex nova utitur ſigno univerſali, non limitatur lege veteri.*

50 *Licet bona propter delictum confiſcentur, non ex eo delinquens efficitur inteſtabilis.*

*FALSAM conditionem Caſſius & Calius Sabinus, impoſſibilem eſſe dixerunt, veluti Pamphilus, ſi quod Titio debeo ſolverit, liber eſt, ſi modo nihil Titio fuit debitum, quod ſi poſt teſtamentum factum teſtator pecuniam exſolverit, defeciſſe conditionem intelligi.* Verba
ſunt Papiniani Juriſconſulti, *libr.* 18. *quæſtionum,*
relata *l. cum tale* 71. §. *falſam, digeſtis de condit.*
1 *& demonſtr.* Ex quibus in ulteriori parte colligitur.
Quod ſi conditio deſinit poſſe adimpleri per legatarium, facto teſtatoris legatum libertatis, vitiatur
2 quaſi conditione defecta. Sic ſi teſtator leget, quod
ſibi debetur, & poſtea exigat, extinguitur legatum, Anguiſola *conſ.* 28. *num.* 1. *&* 8. *lib.* 6. &
3 Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 183. Sicque ad eumdem
modum legatum pro anniverſario, inutile reddi
fatendum eſt, ſi teſtator moriatur in ſententia excommunicationis, vel ſe ſuſpendat, ſive in flumen
4 ſeu puteum ſe projiciat, quia facto ipſius deſinit
conditio poſſe adimpleri: cum talis non poſſit in
Eccleſia ſepeliri, ut de ſe occidente, ex text. *in
cap. ex parte, el.* 2. *de ſepulturis*, ubi omnes *cap.
placuit* 23. *quæſt.* 5. ubi gloſſa & omnes de excommunicato eſt text. *in cap. ſacris, de ſententia excommunicationis.* Eccleſiaſtica enim ſepultura privatur
ille de quo conſtat deceſſiſſe in peccato mortali.
Ut de uſurario eſt textus *in cap. quia in omnibus,
de uſuris.* Sic de blaſphemo impœnitente, *capit.*
5 *ſtatuimus, de maledicis.* Sic de Monacho habente
propria, *cap. Monachi*, §. *qui verò, cap. ſuper
quodam, de ſtatu Monachorum.* Sic de imponente
nova pœdagia, *cap. innovavimus, de cenſibus.* Sic
& quilibet peccator impœnitens privatur Eccleſiaſtico ſepulchro, ut tradit Menochius, *lib.* 6. *præſumpt.* 94. *num.* 7. Navarrus, *capit, ſi quis poſitus,
numer.* 3. *de pœnitentia, diſtinctione* 7. Nec pro eis
6 poteſt orari, *capit. pro obeuntibus* 13. *quæſt.* 2. ubi
latè Turrecremata *dict. cap. placuit* 23. *quæſt.* 5.
Hieronymus de Laurentiis, *deciſ.* 123. *numero* 8.
ubi in caſu quo vir opinione & æſtimatione gravis
ſibi mortem intulit, cum altercaretur, an eſſet dignus ſepultura Eccleſiaſtica, inquit dixiſſe Domini
de Rota Avenionis, Careat, careat, & inter ſtercora
7 projiciatur. Ex quo enim, ut ibi inquit, Sacri
Canones prohibent pro iſtis orare fruſtra, ſepulturam peterent, quæ ſine orationibus fieri non ſolet,
utroque bono privantur tales impœnitentes & deſperati, ſcilicet ſepultura & ſuffragiis, Guillermus
Benedictus, *capit. Raynutius, de teſtamentis, verb.
mortuo, itaque, el.* 1. *num.* 50. *& num.* 295. Menochius *de arbitrar. caſu* 284. *numero* 36. Gregor.
*l.* 2. *titul.* 27. *part.* 7. *gloſſ.* 1. Didacus Perez, *l.* 9.
*titul.* 13. *lib.* 8. *ordinament.* Covarruvias *lib.* 2.
*variarum, cap.* 1. *numero* 11. *verſicul. illud,* plures
alios refert Ameſcua *libr.* 1. *de poteſtate in ſe ipſum,
cap.* 22. *ex numero* 2. Hoc tamen limita ſi conſtat
illos ſibi mortem voluntarie intuliſſe, *d. cap. ex parte el.* 2. *de ſepulturis.* Nec ſi aliquis reperiatur laqueo ſuſpenſus, vel proprio enſe ictus, vel in flumen, puteumvè projectus, credendum non eſt
ſibi mortem intuliſſe, ſed ab alio, eo renitente violenter ſuſpenſus, occiſus, ſeu projectus: tum,
quia non eſt præſumendum delictum in eo, juxta 8
juris regulas, maximè tam horrendum: tum
etiam, quia nemo præſumitur, quod carnem
ſuam odio habuerit, *cap. non æſtimemus* 13 *quæſt.* 2.
nec quod ſit immemor ſalutis æternæ, *l. ultima,
C. ad l. Juniam repetund. dict. cap. Sancimus,* 1.
*quæſt.* 7. & etiam, quia ſæpiſſimè contingit talia
ab illis irrogari, quare judices in inquirendo debent eſſe cauti, quia Eccleſia non judicat de occultis, & incertis, *c. ſi quis divinis*, §. *his ita.* 40.
*quæſt.* 5. ut diximus latè *ſupra cap.* 10. Atque ita 9
Eccleſiaſticæ ſepulturæ traduntur ſic inventi, & pro
eis oratur, tradit Abbas *cap. ex parte, el.* 2. *n.* 4.
*de ſepulturis*, Palacius Rub. *de donatio.* §. 89. *n.*
2. & §. 70. *numer* 6 & 7. Socinus Junior, *conſ.*
51. *lib.* 1. Hyeronymus à Laurentiis *d. deciſ.* 123.
*n.* 8. Bertrandus *conſ.* 134. *vol.* 3. Plaça *de delictis, c.* 23.
*n.* 15. Salzedo *in practica, cap.* 17. *num.* 12. Covar.
*lib.* 2. *variarum, cap.* 1. *num.* 11. Julius Clarus,
§. *fin. quæſt.* 68. *num.* 38. Didacus Perez, *l.* 9. *titul.* 13. *lib.* 8. *ordinam, pag.* 266. Tiberius Decianus, *lib.* 9. *tract. crimin. cap.* 3. *numero* 3. *&*
10. ſequitur Ameſcua, *lib.* 1. *de poteſtate in ſeipſum,
cap.* 22. *numero* 12. ubi numeris ſequentibus ponit
aliquas limitationes ad prædictam concluſionem de
privando ſepulchro, & ſuffragiis eo qui ſibi mortem intulit. Ut non procedat in furioſo, ebrio & 10
dormiente, & ſe projiciente in flumen ſpe natandi,
cum fugerat, quibus in caſibus non eſt neganda ſepultura Eccleſiaſtica, ſed cum non ſit mors voluntariè illata, in hoc non inſiſto cum habeamus caſum
expreſſum *in dict. cap. ex parte, el* 2. ibi: *Cum
non illa ſponte præcipitaverit ſe*, ſed eſt optima &
Catholica limitatio ad dictam concluſionem. Ut 11
non privetur ſepulchro & ſuffragiis, etiam voluntariè mortem ſibi inferens, ſi poſt illatum ſibi
vulnus pœnituerit, & ad Dominum revertatur, oſtendendo ſigna contritionis peccati: *In
quacumque hora ingemuerit peccator, amplius
non recordabor*, inquit Dominus per Prophetam Ezechiel. *capit.* 18. & *capit.* 33. verba relata, *cap. ponderet* 50. *diſt. & cap. ſi quis Preſbyter*
26. *quæſt.* & Lucæ, *cap.* 23. dixit Dominus Latroni pœnitenti: *Hodie mecum eris in Paradiſo:* &
habetur Matthæi, cap. vigeſimo, quod tantum eſt
datum mercenario, ſerò venienti, quantum illi,
qui manè venerat, quandiu enim quis eſt in ſtatu
merendi Dei gratiam: atque ita Eccleſia non negat ſepulturam iis, quos in extremo vitæ ſuæ pœnitet peccaſſe, *cap. ſi quis autem de pœnitentia, diſtinctione* 7. nam quemadmodum homo dum in carne eſt, poteſt peccare, & damnari, ut habetur
Ezechielis *cap.* 33. *Juſtitia Juſti non liberabit eum in
quacumque die peccaverit*, & cap. defleat peccator,
de regulis juris, ubi optima gloſſa intelligit verba text. (dicentis, *Defleat peccator, quia offendens
in uno, factus eſt omnium reus,*) ideo eſſe, quia
offendens in uno peccato mortali, amittit vitam
æternam, & damnabitur, quia omnis virtus detri- 12
mentum



mentum patitur ab uno vitio, *cap. dolendum, de
pœnitentia, diſtinctione* 5. ubi quod qui in uno
peccato perſeverat, omnia bona perdit: bonum
dicitur ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu: pro quo eſt gloſſa ſingularis in
13 Extravaganti execrabilis, verbo, vitæ puritate, de
præbendis. Si ergo dum in carne eſt, homo poteſt gratiam æmittere per peccatum, cur non &
pœnitentia conſequi. Siquidem contrariorum ea-
14 dem eſt diſciplina, *l.* 1. *ff. de his qui ſunt ſui vel
alieni juris*, cum de contrariis contraria dicantur,
*cap. ſciendum*, 8. *quæſtion.* 1. quo argumento utitur Jacobus, Menochius *libr.* 6. *præſumpt. præſumpt.*
92. *num.* 9. *&* 10. Ubi etiam arguit à fortiori ratione, nam Dei bonitas tanta eſt, ut ſit clementior ad ignoſcendum, quam iratus ad damnandum
15 *cap. qui divinitatis. de pœnitentia, diſtinctione* 1. &
ſic malos citra condignum punit: bonos verò plus
meritò remunerat, tradit Sanctus Thomas *in* 4.
*Sententia, diſtinct.* 46. *quæſtione* 2. & habetur 2. *Canonica ſancti Jacobi: Superexaltavit miſericordia judicium.*

16 Nec nimirum, quòd in ultimo vitæ ſpiritu,
quis convertatur, juxta illud *Pſalm.* 77. *Cum occideret eos quærebant eum, & revertebantur.*

17 Neque obſtant verba textus, *in cap. ſi quis poſitus, de pœnitentia, diſtinctione.* 7. deſumpta ex Divo Auguſtino *homilia* 41. quæ talia ſunt: *Si quis poſitus in ultima neceſſitate ſuæ ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accepit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus, quod benè hinc exiit ſi ſecurus hinc exierit, ego neſcio: pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem dare non poſſumus, numquid dico damnabitur, ſed non dico liberabitur:* Nam
inquit Menoch. quod Auguſtinus loquitur in eo,
de cujus pœnitentia dubitatur: nam cum pœnitentia eſt in dubio, ſalus etiam dubia erit, ut non præſumamus, pro certo, quod ſalvetur ille, de cujus
pœnitentia dubitatur, & hæc dubitatio veræ pœnitentiæ in eo qui in mortis articulo eſt conſtitutus,
ſumitur ex eo, quod corporis infirmitas adeo perſæpe omnes animi ſenſus occupat, ut vix aliquid
de Deo cogitare permittat, ut inquit ipſe Menochius, & conducit *l. hac conſultiſſima, verſi. At
cum humana fragilitas, mortis præcipuè cogitatione perturbata, &c. C. qui teſtamenta facere poſſunt*, Guido Pap. *deciſ.* 227. *num.* 4. Menochius
chius *de arbitrar. contraria* 2. *caſu* 97. *numero* 1.
18 ubi quod memoria adimitur agone mortis. Sic minus creditur teſti conſtituto in mortis articulo, Rolandus *conſ.* 37. *num.* 21. *volum.* 3.

19 Quare quoties caſus ita contingeret, conſulerem
orantibus pro talibus, de quibus dubitatur ſint ne
capaces ſuffragiorum, ut ea orent intentione, ut ſi
is pro quo orant, non jubetur, quia damnatus:
oratio revertatur ad facientem, juxta illud *Pſalmi.*
34. *Oratio mea in ſinu meo convertetur:* & Lucæ
10. *Si non fuerit filius pacis, pax veſtra ad vos revertetur:* ob quod Gabriel *in* 4. *lectione* 58. inquit, quòd ſemper debet eſſe in orante pro alio
habitualis intentio, ut ſi is pro quo orat non indigeat ſuffragiis, quia jam eſt beatus in cœlo, vel
non juvetur illis, quia damnatus, ad orantem revertatur, idem tradit Divus Auguſtinus *ſermone* 44.
*ad fratres in eremo.* Sed ſi demus, quòd verè pœnituit non eſt dubitandum de ejus ſalute, cum ea
pœnitentia nihil differat ab ea, quam quis facit
cum bene valet, ita enim præſto eſt illi Dei auxilium, cui homo conſentit, ſicut ſano, & incolumi,
Menochius ubi ſupra, *num.* 25. meritò ei, qui in
ultimo vitæ, pœnituit non denegatur ſepultura Eccleſiaſtica, tamen de his non eſt noſtra quæſtio.
cum pro eis poſſit celebrari anniverſarium, &
orari.

Eximitur etiam ab his deſperatis Samſon, qui licèt 20
mortem ſibi conciverit, dubitandum non eſt id
feciſſe abſque aliqua Dei offenſa, ut dicit divus
Auguſtinus, *libr.* 1. *de civitate Dei cap.* 21. &
Paulus Apoſtolus ad Hebræos, *cap.* 11. de illo ponit hæc verba: *Et quia adhuc dicam deficiet me
tempus enarrantem de Gedeon, Barach, Samſon, Jephte, David, Samuel, & Prophetis, qui per fidem
vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam adepti ſunt
repromiſſiones*, & de quo legitur Judicum, *capit.*
13. *in fine. Peperit itaque filium, & vocavit nomen
ejus Samſon, crevitque puer, & benedixit ei Dominus, cœpitque ſpiritus Domini eſſe cum eo.* & morte invocavit Dominum, ut legitur Judicum, *capit.*
16. & nutu divino id feciſſe, inquit Azor. *lib.* 6.
*inſtitution. Moral. cap.* 1. *verſ. ad hac.*

Sed de his qui objerunt in ſententia excommu-
nicationis, vel peccato mortali impœnitentes, cum 21
ſint inimici Dei, & Eccleſiæ: per conſequens videtur revocatum legatum pro ſepultura, & anniverſario, argumento, *l. ſi quis ita legaverit*, §. *final.*
ibi: *Et ſi quidem capitales, vel graviſſima inimicitiæ interceſſerint ademptum videtur quod relictum
eſt, ff. de adimendis legatis.* Quod dicit ſine dubio.
Barboſa *l. ſi ab hoſtibus, num.* 9. *ſolut. matrimonio,*
& hoc licèt teſtator non dixerit ſe velle revocare
legatum, Jaſon *l. hæreditas, num.* 3. *C. de his
quibus ut indignis*, Rippa, *l. fin. numero* 151. *C.
de revocand donation. capit Raynutius de teſtament.
numer.* 7. Molina, *libr.* 1. *de primogen. capit.* 9.
*num.* 35. ubi loquitur de majoratu per viam lega- 22
ti inſtituto, & ibi *num.* 57. quod ſufficit probare
inimicitiam duobus teſtibus, ſecundum Paulum,
& Covurruv. contra Dynum, & Bartol. tenentes
in hac tacita ademptione, neceſſarios eſſe quinque
teſtes, quod etiam tenet Mieres, dicens, communem eſſe opinionem de majorat. 1. *parte quæſt.* 23
43. *num.* 5. *&* 414. Et idem dicit ſi in contractu
fiat, non interveniente traditione quia tacitè cenſetur revocatum.

Quod etiam procedit, ſi teſtator poſt inimicitias
fecerit codicillos, & in eis non revocaverit, Gamma *deciſ.* 206. *numero* 17.

Et hoc in tantum verum eſt, ut procedat etiam ſi 24
inimicitia orta fuerit culpa teſtatoris, ut contra
Bartolum probat Jaſon. *l. ſi filiam, num.* 2. *C. de
inofficioſo teſtamento*, Gerardus *ſingulari* 5. Covarruv. *Rubrica de teſtamentis*, 2. *parte, numer.* 20.
& colligitur *ex l.* 4. *ff. de adimend. legat.* ibi: *Et
teſtatorem pœnituerit prioris offenſa*, & *l. ex parte,
eodem titulo*, ibi: *Cum teſtator graviſſimis inimicitiis perſecutus*, quas leges hanc tenendo ſententiam ponderat Mantica *de conjecturata mente defuncti, l.* 12, *titulo* 5. *numero* 9. ubi optimè fundat,
quidquid dicat Gregor. *l.* 13. *titulo* 7. *partita* 6.
*verbo, y oguieſſe, verſicul. ſi tamen teſtator*, vel
extraneus dedit cauſam inimicitiæ, &c.

Sic dictum teſtis rejicitur, licèt, is contra quem
dixit dederit cauſam inimicitiæ, dummodo non ſit
data opera, Covarruvias *in* 4. 2. *parte, capit.* 3. §. 5.
*numero* 7. *in fine*, ubi plures refert.

Sed quæ major inimicitia, quam inter damna- 26
tum & Eccleſiam, ergo per eam videtur revocatum
lega

legatum pro anniverſario, & in iſto deſperato non
26 poteſt conſiderari aliqua pœnitentia prioris offenſæ,
& ſic non eſt locus diſpoſitioni, *l. quod ſi iterum,
ff. de adimend. legatis*, nec de eo poſſumus dicere,
quod de contrito & confeſſo, qui præſumitur
odium remiſiſſe, Mantica *de conjecturata mente
defuncti*, *lib. 6. titul.* 10. *num.* 8. atque ita cum
exierit à carne impœnitens, ſemper manet impœ-
nitens & inimicus Dei, Eccleſiaſtes *cap.* 11. & di-
ximus *ſupra capit.* 1. *num.* 14.
27 Et dato quod inimicitia inceperit cum morte te-
ſtatoris. Ut puta, ſi cum amici eſſent, orta fuit in-
ter eos rixa, & legatarius vulneraverit teſtatorem,
ita acriter, quod ſtatim mortuus ſit, licet in his
terminis legatum mero jure queratur legatario, quia
non poteſt conſiderari in teſtatore animus revocan-
di, *l. finali*, *cum gloſſa*, *ff. quando dies legati ce-
dat*: fiſcus tamen ab eo aufert, *l.* 1. ubi Bartolus,
*num.* 4. *ff. de his quibus ut indig.* Molina, *lib.* 1. *de
primogeniis*, *cap.* 6. *num.* 46. ſequitur Barboſa, *l. ſi
ab hoſtibus* § *fin. num.* 10. *ff. ſoluto matrimonio.*
28 Facit etiam, quia ſi teſtator legavit centum Ec-
cleſiæ pro ſepultura, & poſtea elegerit eam in alia
Eccleſia, legatum extinguitur, Ancharranus, *cap.
filius noſter*, *num.* 9. *de teſtamentis*, Mantica *de con-
jecturata mente defuncti*, *libr.* 12. *titul.* 2. *num.* 31.
29 Et hoc quia teſtator revocando onus legato adje-
ctum, videtur revocare ipſum legatum, *l. alum-
næ.* §. *Seia*, *l. filio.* §. *matri*, *ff. de adimendis lega-
tis*, Mantica *ubi ſupra*, *num. vigeſimo ſeptimo*,
Menochius *lib.* 4. *præſumptione* 169. *numero* 3.
atque ita cum iſte decedendo excommunicatus, vel
ſe occidendo fecerit, ne poſſit ſepeliri, nec pro eo
30 orari, videtur ademiſſe relictum. Siquidem volun-
tas magis facto quam verbis declaratur, *l. de qui-
bus*, *ff. de legibus*, & etiam facto legatum adimi-
tur, *l. cum tale*, §. *penultimo*, *l. cum ita datur*,
*l. ſi quis ſervum*, *ff. de condition. & demonſtration.*
& licèt Socinus, *l. in teſtamento*, *la* 2. *ff. de con-
dition.* & *demonſtrat. num.* 3. dixerit ſupradicta pro-
cedere in modo, ut eo adempto, cenſeatur ademp-
tum legatum, ſecus tamen in conditione per *l. ſi
quis ſervum*, *eo titulo*, Mantica *de conjecturata
mente defuncti*, *lib.* 12. *titul.* 2. *numero* 3. verius
eſt adimi legatum adempta conditione, ut argu-
mento *l.* 3. §. *conditio*, *ff. de adim. legat.* tradit
Aymon. *conſ.* 80. *numero* 2. quem ſequitur Ameſ-
cua de poteſtate in ſe ipſum, *lib.* 1. *quæſtion.* 22.
*num.* 31. poſt Menochium, *lib.* 4. *præſumptione*
183. *num.* 54.
31 Pro quo etiam facit *l.* 8. *titul.* 23. *lib.* 8. *Recop.* in
qua habentur hæc verba: *Todo hombre ò muger que
ſe matare a ſimiſſmo, pierda todos ſus bienes, y
ſean para nueſtra Camara, no teniendo herederos de-
cendientes.* Si ergo qui ſe occidit amittit bona, non
potuit de eis diſponere, & ejus diſpoſitio irritavit,
quæ pendebat te, qua mediante intrat fiſcus in
pœnam delicti. Et pro complemento hujus partis
quod cenſeatur ademptum legatum, ſeu relictum
pro ſepultura, & orationibus, tenet Comenſis, *l.
in teſtamento*, *la* 2. *ff. de cond. & demonſtrat.* alle-
gatus à Menochio, *lib.* 4. *præſumptione* 183. *nu-
mero* 48.
32 Sed contrariam ſententiam, imo hujuſmodi re-
lictum non vitiari, nec cenſeri revocatum, & Ec-
cleſiam illud percipere, tenent plures, quos re-
fert Jacob. Menoch. dicens, communem eſſe opi-
nionem, *dict. lib.* 4. *præſumptione* 183. *numero*
46. Mantica *de conjecturata mente defuncti*, *lib.* 11.
*titul.* 16. *num.* 26. Guillermus Benedictus, *capit.
Raynutius*, *de teſtamentis*, *verbo*, *mortuo itaque*,
*el* 2. *numero* 50. & 295. *de teſtam.* Cota *in memo-
rabilibus*, *verbo inimicitia*, *in fine*, Simon de
Prætis *de interpret. ultim. volunt. lib.* 4. *interpretat.*
3. *dubitatione* 1. *numer.* 11. *fol.* 457. Spino *de te-
ſtamentis*, *gloſſ.* 2. *de electione ſepulturæ numero* 34.
tradunt plures quos refert & ſequitur dicens, com-
munem omnium ſententiam, Ameſcua *lib.* 1. *de
poteſtate in ſe ipſum*, *cap.* 22. *n.* 33. ubi cum Ca-
pi. *conſ. ultimo*, & Sebaſtiano Medicis *tractat*,
*de ſepulturis*, 1. *part quæſt.* 25. & Simone de Præ-
tis, *ubi ſupra*, ampliat ut procedat hæc communis
ſententia: etiam ſi per teſtatorem dictum fuerit, 33
quod aliàs non valeret relictum: nam adhuc Eccle-
ſia, etiam quod non ſepeliatur corpus, nec oret
pro eo, potietur legato.
Neque obſtat, *l. cum tale*, §. *falſam*, *ff. de* 34
*condit. & demonſtrat.* nam in eodem legato liberta-
tis relictæ, ſi Titio decem dederit, ſi conditio
caſu impleri non poſſit, quia Titius mortuus ſit,
legatarius habebit legatum, *l. cum ita datur li-
bertas* 93. *ff. de condition. & demonſtrat.* quia con-
ditio eſt effecta impoſſibilis; & cum conditio ſe- 35
peliendi, & orandi in eo facta ſit impoſſibilis, de
jure habetur pro non appoſita, *l.* 1. *ff. de condition.
inſtit.* & cum hæc impoſſibilitas, & impedimentum
juris provenerit culpa teſtatoris, non eſt imputan-
dum Eccleſiæ, argumento *l. miles*, §. *ream*, *ff.
ad l. Jul. de adulter.*
Deinde facit, quòd iſta conditio eſt mixta, quia 36
eſt implenda ab Eccleſia in cadavere teſtatoris, &
conditio mixta, quæ impleri non poteſt neque
ſtat per legatarium, quominus impleatur, habetur
pro impleta, *l. in teſtamento la* 2. *l. uter ex fructi-
bus*, *jure civili l. Titius ſi ſtatuas*, *ff. de cond. &
demonſtrat. l. poſt diem* §. *item ſi qua conditio*, *ff.
quando dies legati cedat*, & in terminis relinquen-
tis centum pro ſepultura, & decedentis excommu-
nicati, tradit Thomas Sanchez, *lib.* 1. *de ſponſ.
diſputatione* 33. *num.* 26.
Neque obſtat, quod Propter inimicitiam cenſe- 37
tur revocatum legatum, nam communis ſententia
eſt, quod non revocatur ſi teſtator dederit cauſam
inimicitiæ, ut tradunt multi congeſti à Catelliano
Cota *in memorabilibus*, *verbo*, *inimicitia*, quos re-
fert etiam Menoch. *lib.* 3. *præſumptione* 37. *numero*
22. licet ipſe ab hac communi diſcedat, & meri-
tò, nulla enim efficax differentiæ ratio poteſt aſſig-
nari in eo quod legatarius, vel teſtator dederit
cauſam inimicitiæ, cum utroque modo ſit contra-
cta, quæ facit præſumere mutationem voluntatis;
tamen quia eſt periculoſum recedere à communi
opinione, maximè cum ſit in favorem Eccleſiæ;
malo ſilentio favere, quam diſcurrendo per contra-
ria, damnum afferre. Atque ita Ameſcua, *dict.
cap.* 22. *numero* 34. licèt ſentiat non bene diſſol-
vi argumenta contrariæ opinionis, tamen inquit
nullum futurum dubium, quin in praxi ſervanda
ſit hæc ſecunda opinio, quod non ſit revocatum
relictum Eccleſiæ pro ſepultura, & orationibus ab
eo, qui poſtea ſe ſuſpendit vel excommunicatus
deceſſit, & licet ibi, *num.* 37. dicat faciliùs poſſe
defendi communem opinionem in excommunicato,
quam in ſe occidente, ex quo cum ſit excommu-
nicatus à ſuperiore abſolutio pendet à tertio atque
ita ſive relictum ſit ſub conditione, ex quo non po-
tuit adimpleri facto, tertii habentur pro impletis,
ut tradit Mantica *de conject. mente*, *lib.* 11. *titul.* 16.
Menoch,



Menoch. *lib.* 4. *præſumptione* 283. *num.* 18. & 19.
Tamen in utroque caſu eadem militat ratio. Ex quo
obediendo Eccleſiæ excommunicatus poſſet conſe-
qui abſolutionem, cum Eccleſia petenti non dene-
get auxilium.
39 Atque ita non habet excuſationem cum poſſit
removere impedimentum, *l. qui poteſt facere*, *ff.
de regulis juris*, *c. his quibus* 60. *de elect.* & ſic
currit tempus ei qui potuit removere impedimen-
tum, Bart. *l.* 3. §. *uſuras*, *ff. de contrario judi. tu-
40 telæ.* Qui enim caſum impotentiæ ſibi dederit non
excuſatur, tradit Roman. *conſil.* 9. ubi loquitur
in eo qui potuit petere abſolutionem à juramen-
to, & ibi ejus Additionator ponit fallentiam ad
regulam, quod non valenti agere non currit præſ-
criptio, ut non procedat, quando quis ſua culpa
impotens efficitur, ubi plures citat ad hoc, & eſt
bona gloſſa, *in c. quia diverſitatem verb. ſuſpenſio-
41 nis*, *de conceſ. præbendæ*, ubi imputatur culpa ei,
qui non potuit abſolutionem ab excommunicatione,
quam gloſſam, cum textu expendit ad hoc Alex.
*conſ.* 62. *numer.* 2. *vol.* 6. plures refert Peregrinus
42 *de fideicommiſſis*, *art.* 41. *numero* 9. Qui enim non
utitur remediis opportunis ad actum, eſt in culpa,
43 Rolandus, *conſ.* 52. *num.* 25. *vol.* 4. Et cum excom-
municatio adhibeatur in medicinam, ut quis exeat
à peccato, parendo Eccleſiæ mandatis, ſi pertinax
non obediat, & induratum cor ejus exemplo Pha-
raonis in malo perſiſtat, ipſe ſibi imponit impedi-
mentum fruendi ſepulchro, & ſuffragiis Eccleſiæ,
atque ita ejus, & ſe interimentis, eadem eſt ratio.
Neque obſtat, *l.* 8. *titul* 23. *lib.* 8. *Recop.* quia
44 ea lex intelligenda eſt, juxta diſtinctionem, *l.* 24.
*tit.* 1. *p.* 7. ut procedat quando mortem ſibi inferens
id fecit ſcientia & metu criminis à ſe commiſſi,
tale quod merebatur bonorum confiſcationem, ut
eo caſu, ne ex malitia ſua commodum reportet,
utique amittat bona, ita tradit Gregorius ibi, *verb.
Para el Rey.* Idem tenet poſt Plaçam, à ſe relatum
Didacus Perez, *l.* 9. *titul.* 13. *lib.* 8. *ord.* Avend. *in
dictionario*, *verbo*, *Deſeſperados*, Plaça *de delictis*,
*cap.* 23. *num.* 9. & 10. 11. & 12. pro quorum ſen-
tentia faciunt, quæ tradunt Decius *conſ.* 438. *n.* 4.
Curtius Junior. *conſ.* 282. *num.* 3. & Corneus *conſ.*
195. *num.* 11. *lib.* 2. Pariſius, *conſ.* 155. *num.* 4.
*volum.* 4. Rolandus *conſ.* 20. *volum.* 3. Menochius
*de arbitrariis lib.* 2. *caſu.* 284. Peregrinus *de privi-
legio fiſci*, *lib.* 4. *numer.* 3.
45 Pro quo facit, quod quando duæ leges, etiam
ſi altera ſit poſterior, poſſunt aliqua diſtinctione
concordari, ita quod una intelligatur ſecundum al-
teram, ſunt reducendæ ad concordiam, ut evite-
tur correctio, ut in prima conſtitut Codicis, §.
*quibus*, & *l. unica*, *C. de inofficioſ. donation c. cum
expediat*, *de elect. l. nam & poſteriorem & l. non
46 eſt novum*, *ff. de legibus* tradit Romanus *conſ.* 40.
*num.* 5. ubi quod procedit etiam, ſi ſecunda & po-
ſterior contineat clauſulam derogatoriam non ob-
ſtantibus, vel aliquam dictionem taxativam, quod
etiam tradit *conſ.* 322. *numero* 2. per gloſ. *in au-
thent. de hæred. abinteſt. veni. in principio*, *verbo*,
*vocantibus*, & gloſſ. *in l. non tantum*, *verbo*, *nec
ulla exceptio*, *digeſtis de petit. hæred.* quos ibi re-
fert, & alios Mandoſius additionator, ibi quem
vide: plures etiam refert Brunorus à ſole in com-
pendio reſolutionum juris, verbo, ſtatuta contra-
ria. Sed contrariam ſententiam, imo quod bona
omnia mortem ſibi voluntariè inferentis publicen-
tur, tenet Gomeſius 3. *tomo variarum*, *c.* 3. *num.*
13. Villalobos *in Antynomia Juris civilis*, & *Regni*,
*numero* 8. ubi Olanus *numer.* 14. Gratian. *regul.* 47
55. *numero* 10. Azevedo *l.* 8. *titul.* 23. *lib.* 8. *Re-
copil. num.* 14. & *ſequentibus*, & eandem noviſſi-
me amplectitur Ameſcua, *libr.* 1. *de poteſtate in
ſeipſum*, *cap.* 24. & in hanc ſententiam videtur
ſe inclinare Covarruvias: *lib.* 2. *variarum*, *cap.* 1.
*in fin.*
Nec obſtat quod diximus modo, pro fundamen- 48
to contrariæ ſententiæ. Quia quando ſi lex nova
diſtingueretur per veterem remaneret ſine effectu
aliquid operandi, non diſtinguitur per eam, tradit
Ameſcua *ubi ſupra*, *num.* 6. ubi *numer.* 5. quod ex
quo dict. *l. Regni utitur ſigno univerſali*, *todo hom-
bre*, non limitatur lege veteri, *l.* 1. §. *nuntiatio ff.* 49
*de novi oper.* & ibi adducit alia in comprobationem
hujus ſententiæ.
Sed intellige, quod non ex eo quod bona prop- 50
ter delictum confiſcentur delinquens efficitur inte-
ſtabilis, quia etiam ſi committat tale crimen, po-
teſt teſtari, juxta deciſionem, *l.* 4. *Tauri*, ut tradit
Gregor. *l.* 24. *titul.* 1. *part.* 7. *gloſſa* 7. tamen non
poterit diſponere de bonis amiſſis propter delictum
& teſtamentum, quatenus tetigerit eorum diſtri-
butionem irritabitur.
Quare quoties caſus (utinam nunquam) evene-
rit, conſulerem Eccleſiæ cui erat relictum pro
ſepultura & ſuffragiis, ut à Domino Rege petat
ſibi deferri ex gratia, nam ex qua potentiſſimus,
& Catholicus Rex noſter nunquam talia bona ſuis
expenſis accommodat, ſed concedit operibus piis,
libentius tribuet illi Eccleſiæ cui aliàs relictum
erat.

## CAPUT XII.

### Si quis diuturno tempore celebret in anniverſarium pro defunctis, compellatur id facere in futurum.

*SUMMARIUM.*

1 *Tempus non eſt modus tollendæ nec inducendæ obligationis.*
2 *Fundans ſe in diuturna præſtatione, inducendo, eam tanquam modum & formam non obtinet, niſi aliud adminiculum accedat.*
3 *Sicut tempus non eſt modus inducendæ obligationis, ita nec validandæ, & expenditur*, l. ſi certis annis, C. de pactis.
4 *Intelligitur* l. cum de in rem verſo, ff. de uſuris, & numeris ſeqnentibus.
5 *Relativum, quod ſui natura reſtringit.*
6 *Præſumptio tituli, de qua in l. cum de in rem verſo, ceſſat contra minorem.*
7 *Uſuræ veniunt in conſequentiam, & earum ſolutio præſupponit aliam principalem obligationem.*
8 *Conſequens non datur ſine antecedente neceſſario limita ut ibi.*
9 *Intelligitur.* l. ſi cettis annis, C. de pactis, *ut non repugnet*, l. cum de in rem verſo ff. de uſuris.
10 *Ubi conſtat de titulo invalido & initio vitioſo, longiſſima præſtatio, nihil proficit.*

11 *Præſtatio aliquorum annorum obligationem non inducit.*

12 *Intelligitur* l. ſiquis diuturno, ff. ſi ſervitus vendicetur.

13 *Ob bonum publicum propter frequentiam ſervitutum continuarum introductum eſt, ut non requiratur ad eas cauſandas titulus.*

14 *Nec tituli allegatio requiritur in ſervitutibus continuis, licèt aliqui tenuerint contrarium.*

15 *Extra caſum ſervitutis, qui voluerit ſe juvare ex diuturna præſtatione debet allegare cauſam ſolutionis, & probare præſtationes.*

16 *Cauſa talis præſumitur qualis per effectum demonſtratur.*

17 *Licet iuvans ſe præſcriptione, debeat allegare cauſam, ſecus tamen erit ſi juvetur conſuetudine, quæ inducitur à toto populo, vel majori parte.*

18 *Quando concurrit favor piæ cauſæ cum favore ultimæ voluntatis, etiam ſi præſtatio non ſit decennalis, ſed aliquorum annorum, obligat in futurum.*

19 *Expenditur* l. 1. C. de fideicommiſſis, & *ampliatur ejus deciſio, ut procedat in omni relicto intuitu pietatis.*

20 *Limitatur deciſio*, l. 1. C. de fideicommiſ. *ut procedat quando teſtamentum eſt nullum, ex defectu ſolemnitatis, ſecus ſi voluntatis.*

21 *Parochianus poteſt compelli ad ſolutionem cerei, vel alterius rei, quam conſuerat offerre aliquo tempore, decennali ad minus.*

22 *Eleemoſynæ conſuatæ dari pauperibus, debent perpetuò dari.*

23 *Si civitas dederit anno certas menſuras frumenti religioſis, non poterit poſtea revocare eleemoſynam.*

24 *Ampliatur ut procedat in omni præſtatione liberaliter facta per decennium piæ cauſæ.*

25 *Celebrans in Eccleſia diuturno tempore anniverſarium pro defunctis, compellitur in futurum celebrare.*

26 *Ratione devotionis conſervatur conſuetudo, quæ viget in aliquibus Eccleſiis, dandi laïcis annuatim candelas in die Purificationis, & toleratur ſi Eccleſia abundet redditibus.*

27 *Sancta Eccleſia Toletana annuatim præſtat candelas in magna abundantia in die Purificationis, & feſto Corporis Chriſti.*

28 *Referuntur opiniones contrariæ circa præſcriptionem præſtationis harum candelarum.*

29 *Contra Eccleſiam Toletanam non eſt præſcriptum, quia non uniformes dantur præſtationes.*

30 *Epiſcopi debent Domino reddere rationem de bonis fabricæ.*

31 *Sancta Eccleſia Toletana & operarius ejus interruperunt præſcriptionem præſtationis candelarum.*

32 *Cum præſtatio candelarum procedat ex mera liberalitate, & facultate, non inducitur poſſeſſio, nec præſcriptio, etiam tempore immemoriali.*

33 *Eccleſia quoad res temporales utitur jure communi.*

34 *Titulus non præſumitur contra Eccleſiam, ut nec contra minorem.*

35 *Stantibus præſtationibus difformibus, ceſſat præſumpio tituli.*

36 *Licet præſtatio decennalis requiratur ad obtinendum in proprietate, in judicio tamen poſſeſſorio ſufficit aliquorum annorum.*

37 *Biennalis ſolutio ſufficit, ut agens defendatur in poſſeſſione percipiendi annuam præſtationem, etiam ſine titulo.*

38 *Limita in poſſeſſorio rei profanæ & temporalis, ſecus erit in beneficialibus, in quibus poſſeſſio juſtificatur ex titulo.*

39 *Unica præſtatio non ſufficit, ut quis defendatur in poſſeſſione, & de ratione.*

40 *Actus duplicatus denotat actionis perſeverantiam.*

41 *Ex unico actu merçantiæ, non probatur quem eſſe mercatorem.*

42 *Frequenter dicitur fieri, quod vis fit.*

43 *Solitum etiam dicitur, quod vis fit, ſed contra num. ſequenti.*

44 *Una vice factum dicitur ſolitum, ex quo inſolitum dicitur, quod nunquam factum fuit.*

45 *Binus actus inducit conſuetudinem.*

46 *Ut dicatur conſuetum, exigitur binus actus.*

PLACET autem ad tempus obligationem
*conſtitui non poſſe, non magis quam legatum,*
*nam quod alicui deberi ceperit, certis modis*
*deberi deſinit.* Verba ſunt Pauli Juriſconſulti, *lib.*
*74. ad edictum relata, l. obligationum fere* 43. §.
*placet, digeſtis de action. & obligat.* ex quibus com-
muniter colligunt Doctores ibi, quod tempus non
eſt modus tollendæ, nec inducendæ obligationis.
Et Speculator. *titul. de reſtitut. ſpoliatorum*, §. 1. 1
*numero* 8. Cacheranus Oſaſcus *deciſ.* 99. *num.* 15.
Ubi quod qui ſolum ſe fundat in diuturna præſta- 2
tione inducendo eam tanquam modum & formam,
non obtinet, gloſſa *in cap. pervenit de cenſibus*,
Joan. Andr. & Doctores, *in capit. non firmatur, de*
*reg. juris*, *lib.* 6. niſi alio adminiculo accedente,
Alex. Raud. *conſ.* 10. *num.* 129.

Sicque nec eſt cauſa validandæ obligationis, *l.* 3
*ſi certis annis, Cod. pactis: Si certis annis*, (inquit
lex,) *quod nudo pacto convenerat datum fuerit ad*
*præſtandum in poſterum in debitum ſolutum obligare*
*non potuit eum qui pactum fecit, niſi placitis ſtipu-*
*latio interceſſerit.* Ex quibus verbis colligitur, quod
promiſſio pacto nudo facta non validatur nec robo-
ratur, eo quod aliquibus annis fuerit datum pro-
miſſum, niſi nova voluntas declarata per ſtipula-
tionem accedat.

Neque obſtat, *l. cum de in rem verſo, digeſtis* 4
*de uſuris*, ibi: *Antoninus ideo ſolvendas uſuras*
*judicavit, quod eas ipſe Dominus & pater longo*
*tempore præſtitiſſet*, ubi videtur ſolum inniti in
tempore, ut indicat illa dictio, quod, quæ ſui 5
natura reſtringit, *l. ea tamen adjectio, de legat.* 3.
nam ibi Imperator præſumpſit debitum verum præ-
ceſſiſſe, atque ita condemnavit. Et quod ita fue-
rit præſumptum colligitur *ex 2. p. illius reſponſi*,
ubi juſſit Imperator ſolvere partem dotis, ex eo
quod illius partis uſuræ eſſent longo tempore præ-
ſtitæ, ita interpretatur Flores de Mena, *lib.* 1. *va-*
*riarum, quaſtion.* 2. *numer.* 12. & 17. ubi *num.* 23. 6
quod præſumptio tituli ceſſat contra minorem, de
quo Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 131. *numer.* 89.

Et pro ejus intellectu facit, quod uſurarum ſo-
lutio ex ſui natura præſupponit aliam principalem 7
obligationem, ſiquidem uſuræ veniunt in conſe-
quentiam, ut per totum titulum, *C. & digeſtis de*
*uſuris*, non tamen datur conſequens ſine antece-
dente neceſſario, *l. illud 76. digeſtis de acquir. hæ-*
*redit. l. ad rem mobilem, l. ad legatum, digeſtis de*
*procuratoribus*: ſaltem independentibus à voluntate
diſpo-



8 diſponentis Aym. *conſi.* 134. *numero* 45. & ſic fa-
cilis ſumitur præſumptio, quod ſecus eſſet ubi non
de uſuris, ſed de principali debito ageretur, &
quod *in d. l. cum de in rem verſo* præſumptus fue-
rit titulus, ultra Bart. & DD. ibi tenet pro con-
ſtanti Barboſa, *l. ſi filiofamilias*, §. *fin. num.* 53.
*ff. ſolut. matrim.*

9 At *in d. l. ſi certis annis*, non potuit præſumi
titulus, quia apparebat expreſſus titulus invalidus,
qui erat pactum nudum, & ſic nihil proficit præ-
ſtatio aliquorum annorum, nec ſi eſſet longiſſima
10 & immemorialis, ex quo conſtat de initio vitioſo,
& titulo invalido, Joan. Garc. *de nobilit. gloſſ.* 12.
*numer.* 68. & 69. Molin. *lib.* 2. *primogenitorum,*
*cap.* 6. *num.* 64. *in verſ. ſecunda ſpecie*, Alexand.
Raud. *conſil.* 17. 2. *part. numero* 7. Suarez *allegat.*
3. *num.* 5. *in fine*, Maſcard. *de probat. concluſ.* 1401.
*num* 9.

11 Poteſt etiam reſponderi, quod *in d. l. ſi certis*
*annis*, non fuit diuturna ſeu decennalis præſtatio,
ſed aliquorum annorum, & ſic etiam procedit de-
ciſio *l. creditor, Codic. de uſuris*, ibi: *Nec ſi*
*aliquando ex conſenſu præſtitæ ſunt, obligationem*
*conſtituunt.*

12 Neque etiam obſtat, *l. ſi quis diuturno, digeſtis*
*ſi ſervitus vendicetur*, ubi Jureconſultus inquit,
*Si quis diuturno uſu, & longa quaſi poſſeſſione jus*
*aquæ ducendæ nactus ſit, non eſt ei neceſſe docere de*
*jure.* Quæ verba clare innuunt ſolum tempus in-
ducere obligationem præſtandæ ſervitutis continuæ
in futurum, nam reſpondetur eſſe introductum
13 in ſervitutibus continuis, ob bonum publicum,
propter frequentiam earum & neceſſitatem talium
ſervitutum, ut non requiratur titulus, ut ſentit Flo-
res de Mena, *d. quæſt.* 2. *num.* 20. Et ob modicum
præjudicium, ut intelligit Felin. *conſ.* 2. *num.* 13.
*poſt Domin.* Ant. quem ibi allegat, licèt aliter in-
terpretetur Parlad. *lib.* 1. *rer. quot. cap.* 1. §. 8.
*num.* 23.

14 Sed nec tituli allegatio requiritur in ſervituti-
bus continuis, ut notant Joannes Faber, & Nico-
laus de Neapolis, §. *æque, inſtitut. de actio.* quos
refert & ſequitur Avenda. *lib.* 1. *de exequendis*
*mandatis, cap.* 1. *numer.* 20. Innocentius, *cap. ſi*
*diligenti, de præſcriptionibus*, Bald. *de præſcription.*
2. *part.* 2. *partis, verſ. ſecundo principaliter quæro,*
*numero* 1.

Et licèt aliqui tenuerint contrarium, ut dicit
gloſſa *in d. l. ſi quis diuturno*, quam ſequitur con-
civis Cevallos, *quæſt.* 47. *num.* 1. *commun. contra*
*commun.* id procedet in ſervitutibus diſcontinuis:
ſecus autem in continuis, in quibus verius eſt non
requiri allegationem tituli, ut reſolvit Paulus Ca-
ſtrenſis *l. ſervitutes, la grande, num.* 9. *verſ. qui-*
*dam verò dicunt*, ubi reprobat Angelum contra-
rium tenentem. Nam, ut ipſe inquit aliàs nulla
eſſet differentia inter ſervitutes habentes cauſam
continuam, & diſcontinuam, cum ſervitus diſ-
continua præſcribatur ſpatio longi temporis, cum
allegatione tituli, ut tenet gloſſ. *in d. l. ſervitutes,*
quam dicit communiter receptam, Balb. *ubi ſupra.*
15 Sed extra prædictum caſum ſervitutis, ubi quis
voluerit ſe juvare ex diuturna præſtatione, debet al-
legare cauſam ſolutionis, & allegata ſufficiet pro-
bare, quod fuit præſtitum per decem annos, tradit
Archidiaconus *in cap. ſervitium*, §. 9. *numero* 18.
*quæſt.* 2. quem ſequitur Alex. *conſ* 124. *numer.* 1.
*in fine, vol.* 4. Covarruv. *reg. poſſeſſor.* 2. *p.* §. 4.
*num.* 5. Mieres *de maiorat.* 4. *p. quæſt.* 21. *num.* 9.
ubi inquit, quòd Covarruv. facit primum autho-
rem hujus ſententiæ Alexand. cum fuerit Archidia-
conus. Sed certe prius fuit opinio gloſſæ *in cap.*
*dilectio, verb. offerre* 16. *quaſt.* 3. & eandem ſen-
tentiam plures referens tenet Menoch. *lib.* 3. *præ-*
*ſumpt.* 131. *num.* 71. *& ſequentibus.*

Et ratio eſt, quia cauſa talis præſumitur qualis 16
per effectum demonſtratur, ut dicit Bald. *d. l. ſi*
*certis annis, numero* 10. *in fin.* & ibi Decius, *num.*
14. ſequitur Maſcard. *de probat. concluſ.* 1119.
*num.* 2. & 9.

Et quod dicitur, quod cauſa eſt allegenda, in- 17
telligas, ſi quis voluerit ſe juvare præſcriptione,
ſecus autem ſi conſuetudine, quæ inducitur à to-
to populo vel majori parte, ut in terminis tradit
Cacheranus Oſaſci, *dict. deciſ.* 99. *num.* 5. nam
eo caſu nec allegatio cauſæ requiritur, Alex. *dicto*
*conſ.* 124. *numer.* 3. *vol.* 4. poſt Joan. de Imola,
*l. ſi publicanus*, §. *in omnibus ff. de publica*, &
alios ibi.

Et licet ſupra dicta vera ſint, tamen ſi adſit fa- 18
vor piæ cauſæ, concurrente favore ultimæ volun-
tatis, etiam ſi præſtatio non ſit decennalis, ſed 19
aliquorum annorum obligat in futurum, text. eſt
*in. l.* 1. *Cod. de fideicommiſſ.* ubi ſi hæres per trien-
nium præſtet alimenta relicta & veſtuarium an-
nuum, in minus ſolemni voluntate adſtringitur ea
præſtare in futurum, quam legem ad id expendit
Bart. *l. Mella, digeſtis de alimentis, & cibar.* &
dicit non eſſe alibi: quem & alios refert & ſequi-
tur Lara, *l. ſi quis à liberis*, §. *ſed utrum, num.* 38.
Sylvanus, *conſ.* 59. *num.* 16. ubi dicit in favorem
alimentorum eſſe communiter receptum, ut trien-
nalis præſtatio obliget in futurum, & quod hoc
procedat in omnibus favorabilibus, tenet De-
cius, *l. ſi certis annis, numero* 8. & 9. *Cod.*
*de pactis*, ubi pro conſtanti affirmat proce-
dere in cauſa pia, & omni relicto intuitu pie-
tatis. Quod limita ſi teſtamentum ſit nullum 20
ex defectu ſolemnitatis, ſecus ſi voluntatis, Me-
noch. *lib.* 3. *præſumpt.* 131. *numero* 5. & ſed ex-
tra caſum ultimæ voluntatis Parochianus poteſt 21
etiam compelli ad ſolutionem cerei, vel alterius
rei, quam conſueverat offerre aliquo certo tempo-
re decennio ad minus, ita Joannes Faber, §. *Pavo-*
*num; in verbo, revertendi, inſtitut. de rerum di-* 22
*viſion.* ex tali enim præſtatione diuturna videtur ſe
velle obligare, quamvis à principio inceperit libera-
liter offerre, & ex ea præſumitur animus obligandi,
Abb. *capit. ſuam, numer.* 7. & *cap. Jacobus, in*
*fine, de Simonia*, & facit pro hoc *l. privilegia, in*
*fine, Cod. de Sacroſanctis Eccleſ.* ubi jubentur ſolvi
Eccleſiis conſueta ſalaria grani, vini, & ſimilium
ſpecierum, & ibi notat Bart. *num.* 3. quod elee-
moſynæ conſuetæ dari pauperibus, debent dari
perpetuò: & ibi etiam addit, quod ſi civitas da- 23
ret quolibet anno certam quantitatem frumenti re-
ligioſis, non poteſt poſtea revocare talem eleemo-
ſynam, quod ſequuntur Abbas *in Rub. de Parochiis,*
*n.* 3. *& fin. & cap. abolendæ, n.* 6. *&* 8. *de ſepultu-*
*ris, & ſuam, n.* 7. *& cap. Jacobus, in fin. de Simonia,*
Felinus *cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ, numer.* 97. *&*
*cap. cum M. numero* 21. *de conſtitut.* Avend. *de exe-*
*quend. mandat.* 2. *part. cap.* 4. *num.* 17. Cavalca-
nus deciſionibus fori, Fiviſa. 1. *part. deciſ.* 27.
*num.* 33. *verſ. ſecus ſi jus non reſiſtit*, Menoch. *de*
*arbitr. libr.* 2. *cent.* 2. *caſu* 160. *num.* 17. *in fine*, &
plures quos refert Cacheran. Oſaſci *d. deciſ.* 99.
*num.* 20. & hoc procedit in omni præſtatione libe- 24
raliter

raliter facta per decennium piæ cauſæ, Marſil. *ſingular.* 192. Menoch. *lib.* 3. *præſumpt.* 131. *numero* 83.

25 Sic ſi quis diuturno tempore in Eccleſia celebret anniverſarium Miſſarum pro defunctis, poteſt compelli in futurum celebrare, ut tradit Guttierrez *lib.* 2. *Canonicarum quæſt. cap.* 21. *num.* 151. ubi inquit ſe obtinuiſſe in favorem Eccleſiæ Civitatenſis contra quendam, qui renuerat facere in ea piam memoriam Miſſæ in cantu, ac oblationes conſuetas pro matre defuncta, de quo fuerunt datæ literæ executoriales.

26 Sic etiam ratione devotionis conſervatur conſuetudo, quæ viget in aliquibus Eccleſiis dandi laïcis annuatim candelas in die Purificationis, quia multum confert ad devotionem, tradit Federicus de Senis, *conſil.* 155. Gregor. *l.* 15. *titul.* 17. *part.* 1. *verbo, de ſuo officio, in fine*, & erit tolerabilis ſi non præjudicetur nimis Eccleſiæ, & abundet redditibus, ut poſt alios tradit Guttierrez, *l.* 2. *Ca-*
27 *nonicarum, capit.* 21. *num.* 159. Et hæc conſuetudo ſervatur in alma Eccleſia Toletana eo in die Purificationis, & in feſto Corporis Chriſti. Quibus feſtivitatibus non ſolum civibus præſtant candelas puræ, albæ, & mundæ ceræ (voluntarie tamen) ſed aliquando mittunt extra civitatem Domino noſtro Regi, & nobilibus ſuæ Cameræ ornatricibuſque Reginæ in magna abundantia, plus minuſvè, ſecundum voluntatem operarii illius Eccleſiæ, cui Sanctæ Eccleſiæ ſervo ut advocatus Decani, & Canonicorum capituli, & etiam portionariorum, qui in eadem Eccleſia ſeorſim à Dominis, Decano, & Canonicis congregantur pro regimine ſuorum proventuum.

28 Et licèt aliqui teneant quod contra Eccleſiam præſcribatur, hæc candelarum præſtatio quadraginta annorum ſpatio, ut poſt Federicum de Senis, *dict. conſ.* 155. tradunt Abbas *cap.* 1. *numero* 2. *de conſuetudine*, Gregorius qui alios refert *dict. l.* 15. *titul.* 17. *part.* 1. *verbo, de ſu officio, in fine*, & ſequitur Guttierrez *ubi ſupra, num.* 156. Alii autem non præſcribi candelarum præſtationem affirment, ut Sylveſter *in ſumma, verb. decima, num.* 7. quem refert & ſequitur Zerola *in praxi Epiſcopali*, 1. *part. verbo, candela benedicta, n.* 2. cum videantur dari candelæ ex urbanitate, ut in
29 ſimili tradit idem Zerola, *verbo præſcriptio, num.* 3. contra Eccleſiam Toletanam nondum eſt præſcriptum, quia non uniformes dantur præſtationes candelarum ab Eccleſia, ſed vario modo plus & minus, pro arbitrio diſtribuentis, & ſic non poteſt dari poſſeſſio nec præſcriptio, Bart. *l. de quibus, numero* 16. *digeſtis de legibus, & l. ſolent*, §. *fin. num.* 4. *de officio Proconſulis*, & ibi Baldus *verſ.* 8. gloſſa dicit, Angelus, *l. male agitur, num.* 5. *verſ. ſi verò præſtatio mercedis, C. de præſcr.* 30. *vel* 40. *annorum*, Corneus *conſ.* 96. *vol.* 4. Decius *conſ.* 215. *num.* 2. *verſ.* 2. hoc idem probat qui loquitur in pia cauſa, Avend. *de exequend. mandat.* 2. *part. cap.* 4. *num.* 27. Benintend. *deciſ.* 70. *num.* 16. *in fine*, Mandelus Albenſis, *conſil.* 175. *num.* 3. *lib.* 1. Venetus *de annua præſtatione* 1. *part. quæſt.* 23. *num.* 1. Joan. Garc. *de expenſis, capit.* 9. *num.* 26. quod etiam procedit in probanda conſuetudine ſolvendi aliquid Eccleſiæ, tenet Cacheranus Olaſci, *deciſio* 99. *num.* 7. & 42.

Sed ad tollendam omnem dubitationem, & ſervandam Eccleſiam illæſam in bonis fabricæ de quibus inquit *l.* 19. *tit.* 20. *part.* 1. Epiſcopum debere Domino reddere rationem, egregius vir Doctor 30
Joannes Baptiſta Garai illius Sanctæ Eccleſiæ Canonicus & operarius, conſultiſſimè interrupit præſ- 31
criptionem anno præterito, ut ſciatur quod illa præſtatio candelarum procedit ex mera liberalitate 32
& voluntaria facultate Eccleſiæ, ob quod non inducitur poſſeſſio, nec præſcriptio, etiam tempore immemoriali, *l. cui jure familiaritatis, digeſtis de acquir. poſſeſſ.* Cinus, & Bald. *l.* 1. *Cod. de ſervitutibus, & aqua*, Rippa, *l. quominus, num.* 131. *digeſtis de fluminibus*, Balbus *de præſcript.* 4. *part.* 5. *principalis, quæſt.* 1. *& quæſtion.* 5. *num.* 2. Theſaurus *deciſ.* 16. *num.* 3. Avend. *de exequendis mandatis* 2. *part. cap.* 4. *num.* 17. Jacobus Venetus *de annua præſtatione* 1. *part. quæſt.* 23. *num.* 1. Bertrand. *conſ.* 234. *lib.* 3. dicit communem Hondedeus plures referens *conſ.* 79. *num.* 50. *& ſequentibus*, Urſil. ad Afflictum *deciſ.* 388. *num.* 3. Joan. Garc. *de nobilitate, gloſſ.* 6. *num.* 17. Anton. Gabriel, *lib.* 5. *concluſionum, titul. de præſcriptionibus, concluſ.* 5. Molina de Medrano *in ſua allegatione Supremi Indiarum Senatus, & Cameræ, numero* 197. Gratianus *deciſion.* 232. *num.* 15. *& deciſion.* 155. *numero* 8. *&* 9.

Neque obſtat opinio dicentium, quòd ſi Eccleſia ſeu ejus Prælatus, per decennium aliquid alicui, titulo aliquo præſtiterit præſumitur Eccleſia in poſterum obligata præſtationem facere, ut voluerunt Salicetus *d. l. cum de in rem verſo, numero* 11. Alex. *d. l. ſi certis annis*, ubi Jaſ. *numero* 14. Riminaldus Senior, *num.* 9. Alciatus *de præſumpt. reg.* 1. *præſumpt.* 32. *in fine*. Et hoc ex eo, quod Ec-
clesia quoad res temporales utitur jure communi, 33
ut poſt gloſſam *in capit. pervenit, de cenſibus*, tradunt DD. *cap. ultimo, de ſolutionibus, & cap.* 1. *de alienat. feudi*, nam prædicti Doctores loquuntur, 34
quando ea præſtatio ſit cum titulo, qui quidem non præſumitur contra Eccleſiam ex diuturna præſtatione, ut nec contra minorem, ut diximus *ſupra num.* 6. Quod maximè procedit, cum præſtatio- 35
nes fuerint difformes, quo etiam caſu ceſſat præſumptio, ut poſt alios tradit Menoch. *dict. præſumpt.* 131. *num* 88.

Sed redeundo ad noſtram ſpeciem annuæ præſtationis factæ Eccleſiæ pro anniverſario, vel alio pio 36
opere pro complemento, adde, quod diuturna & decennalis præſtatio requiritur ad obtinendum in proprietate: in judicio tamen poſſeſſorio non requiritur probatio longi temporis, ſed aliquorum annorum: argumento *cap. querelam de electione*, imo ſufficiet biennalis ſolutio, ut agens defenda- 37
tur in poſſeſſione percipiendi illam annuam præſtationem, etiam ſine titulo, ut tradunt Decius, *conſ.* 136. *num.* 1. *verſ.* 2. Abbas Rippa, *l. quominus, num.* 89. *digeſtis de fluminibus*, Menoch. *de retinenda poſſeſſione, rem.* 5. *num.* 38. ubi quod poteſt agere, ut ſibi ſolvatur ex biennali ſolutione ſibi facta, ſequitur Flores de Mena, *lib.* 1. *varia- 38
rum quæſt. cap.* 2. *num.* 25. *&* 26. intelligens in poſſeſſorio rei profanæ & temporalis, ſecus tamen erit in beneficialibus, in quibus poſſeſſio juſtificatur ex titulo, ut *in cap.* 1. ubi omnes *de regul. juris, lib.* 6. & in caſu quo poſſeſſio habet admixtam cauſam proprietatis, ut *in l.* 1. §. *fin. digeſtis de aqua quotid. & l.* 3. §. *hoc autem, digeſtis de itinere actuque privat.* & poſt alios tradit Flores *ubi ſupra*, & 39
ibi, quod unica præſtatio non ſufficit, cujus rei poteſt eſſe ratio, quod unicus actus non ita enixè ſignificanter alicujus voluntatem declarat, ut dicit
Queſada



40 Queſada *diverſarum quæſt. cap.* 19. *num.* 2. Actus autem duplicatus denotat actionis perſeverantiam, ut refert Oldradus *conſil.* 253. citans, *l. unicam, Cod. de plus petitio.* & Bart. *l. ſervus urbanus, ff. de*
41 *leg.* 3. ubi quod ex unico actu mercantiæ non probatur, quem eſſe mercatorem.

42 Et frequenter dicitur fieri, quod vis ſit, gloſſa fin. *in auth. de defenſoribus civitatum, collatione* 3. Alex. Raud. *conſ.* 21. *numero* 180. poſt Cagnolum à ſe relatum.

43 Et ſolitum etiam dicitur, quod vis ſit, Julius Clarus, §. *emphytheoſis, quæſt.* 6. *verſ. ſi vere, &* §. *feudum, quæſt.* 13. ibi: Multi etiam tenent requiri duas conceſſiones uniformes, ad effectum ut dicatur ſolita concedi, refert Alex. Raud. *conſ.* 17. *part.* 8. *numero* 16. licet ipſe contrarium ſentiat,
44 quia imo una ſola vice factum, dicitur ſolitum, ut *in l. Mella, §. ſed ſi alimenta, ff. de alimentis & cibar. leg.* ubi Bart. & Doctores, tradit Petrus Surdus *de alimentis, titul.* 4. *quæſt.* 16. *numero.* 26. nam cum inſolitum dicatur, quod numquam factum fuit, ſequitur quod ſit ſolitum aliquando factum, ut dicit Curtius Junior, *conſ.* 19. *numero* 4. Gozadinus alios referens, *conſ.* 23. *num.* 5. ubi dicit communem eſſe opinionem, quod ex unico actu inducatur ſolitum, alios refert Brunorus à ſole *in compendio, verbo ſolitum, & in quæſtionibus legalibus, quæſt.* 31. de quo Anton. Gabr. *lib.* 3. *concluſ. tit. de locatione, concluſ.* 1.

45 Binus tamen actus inducit conſuetudinem, text. juncta gloſſ. finali *in l. nemo, Cod. de Epiſcopali audien.* Doctores, *l. de quibus, digeſtis de legibus* ubi Bart. *in repetit. numero* 12. Molin. *lib.* 2. *de primog. cap.* 6. *num.* 24. ubi ponderat, *l.* 5. *tit.* 2. *part.* 1. quæ requirit duos actus judiciales, ut con-
46 ſuetudo introducatur. Et quod conſuetum exigat binos actus tradit Decius, *l. certi conditio, §. ſi nummos, num.* 7. *digeſtis ſi cert. petat. & l. ut liberis, num.* 11. *C. de collatio & cap.* 1. *de conſuetud. & conſil.* 222. *num.* 10. *& conſ.* 441, *num.* 11. Zephalus *conſ.* 28. *num.* 31. *&* 32.

## CAPUT XIII.

### An ex eo quod datur uxori, filiis, ſeu aliis conſanguineis pro pace, & remiſſione illatæ mortis, ſit aliquid tribuendum, ut fiat anniverſarium pro anima defuncti, ut ſaltim aliqua ſuffragia.

*SUMMARIUM.*

1 *Pœna applicata filio pro ſepulchro patris violato, non eſt quia hæreditarium, nec ex ea tenentur ſolvere creditores.*
2 *Filius qui abſtinuit ab hæreditate patris, poteſt facere pacem cum occiſore patris.*
3 *Expenditur*, l. debitor 59. §. fin. ff. ad Trebell.
4 *Uxor ſecundò nubens non tenetur reſervare filiis prioris matrimonii, quod ſibi datum fuit pro pace mortis primi viri.*
5 *Mulier ſecundò nubens, non poteſt facere pacem mortis primi viri, maximè ſtantibus filiis vel conſanguineis.*
6 *Expenditur text.* in authent. de nuptiis §. non tamen, collatione 3.
7 *Leges pœnales non ſunt admittendæ extra caſus in quibus loquuntur.*
8 *Ex eo quod datur pro pace mortis, aliqua ſeparatur quantitas eroganda pro defuncti anima annuatim.*
9 *Expenditur illud axioma, propter quod unumquodque tale, & illud magis.*
10 *Defunctus eſt actuum humanorum incapax.*
11 *Occidens alterum maximum ei infert damnum, ex quo ſeparat eum à carne in qua poterat mereri bonis operibus.*
12 *Sanctus Thomas dicit quod virtuoſus amat vitam in quantum eſt neceſſaria ad opera virtutum.*
13 *Datum pro pace mortis clerici applicatur hæredibus.*

*SI ſepulchri violati filius eget quamvis hæreditarii, quia nihil ex bonis patris capit, non videtur ſe bonis immiſcere, hac enim actio pœnam & vindictam potius quam rei perſecutionem continet.* Verba ſunt Pauli Juriſconſulti relata, *l. pro hærede, § fin. digeſtis de acquir. hæred.* Ex quibus clarè colligitur, pœnam perſe- 1
quutam à filio pro injuria patris, illata ejus cadaveri, non eſſe hæreditatis, quia ut inquit Juriſconſultus, actio ſepulchri violari potius vindictam quam rei perſecutionem continet, ex quo eſt quod filius non tenetur ſolvere creditoribus hæreditariis ex tali pœna ſibi applicata *l. quæſitum penultima, digeſtis de ſepulchro violato*, ibi: *Nec tamen ſi egerit hæreditarios creditores timebit, cum & ſi per hæreditatem obtingit hæc actio, nihil tamen ex defuncti capitur voluntate, nec id capitur quod in rei perſecutione, ſed in ſola vindicta ſit conſtitutum.*

Ex quo Bart. *l. filius qui patri, n.* 8. *digeſtis de* 2
*vulgari* tenuit filium, qui abſtinuit ab hæreditate paterna poſſe facere pacem cum occiſore patris, quem dictum Bartoli ſequuntur ibi Alex. & Jaſ. & communiter Doctores, ubi ejus additionator, eundem Bartolum ſequitur Villalpandus, *l.* 22. *titul.* 1. *part.* 7. §. 41. *numero* 6. & ibi *numero* 7. dicit communiter receptum Nellus tractatu *de bannitis* 3. *part.* 2. *tempore, quæſt.* 35. dicit etiam communiter receptum Rippa *l.* 2. §. Cato, *num.* 191. *de verborum obligationibus*, ſequitur noviſſimè Parladorius *tertia parte, differentia* 51. §. 2. *numero* 5. ubi ad id expendit, *l.* 2. *de abolitionibus*, licèt non alleget Villalpandum, qui benè diſputat.

Et pro ea ſententia eſt text. ſingularis *in l. debi-* 3
*tor* 59. §. *fin. digeſtis ad Trebellian.* ubi mater hæres inſtituta à filia, & rogata reſtituere hæreditatem, non tenetur reſtituere partem dotis, quæ eidem matri fuerat adjudicata ex pacto, quia ut inquit ibi Jureconſultus, non quaſi hæres, ſed quaſi mater ex pacto recepit. Ex quo infero quod in caſu *l. fœminæ, Cod. de ſecundis nupt.* qua jubetur, quod uxor tranſiens ad ſecunda vota, teneatur reſervare 4
filiis prioris matrimonii, quidquid habuit à primo viro eorum patre, non tenebitur talis uxor ſecundo nubens reſervare filiis prioris matrimonii, quod ſibi datum fuit pro pace mortis primi viri, quia non ex ejus liberalitate vel ſubſtantia illi provenit, ſed ex pacto ſuo.

Quod intellige de recepto pro pace, antequam 5
ſecundas inierit nuptias, nam poſtea teneo non
poſſe

poſſe mulierem pacem facere, maxime ſtantibus
filiis, vel conſanguineis: *Quæ enim priorum oblita
eſt, non rurſus ex prioribus adjuvabitur*, inquit
text. *in authent. de nuptiis*, §. *non tamen, collat*.3.
atque ita hanc ſententiam tenet Villalpandus, *l*.22.
*titul*. 1. *part*. 7. §. 40. *numer*. 8. quem ſequitur
Flores de Mena, *lib*. 1. *variarum*, *quæſt*.7. *num.*
6 *finali*, qui ea nituntur ratione, quia affecta eſt
jam una caro cum ſecundo viro. Et licet ipſi non
allegaverint textum *in d*. §. *non tamen*, quem ego
expendo, multum conducit ad hanc ſententiam,
nam inquit ille textus, quod mulieri tranſeunti ad
ſecundas nuptias non permittatur uti dignitatibus
& privilegiis prioris viri, ſed quod ipſa amplecta-
tur fortunam ſecundi.

Neque obſtat, quod modò diximus, non teneri
mulierem ſecundo nubentem reſervare filiis prioris
matrimonii receptum pro pace mortis primi viri,
quia rectè tunc accepit, cum præferatur in accu-
ſando, & quamvis res deveniat ad eum caſum à
quo incipere non poterat, non retractatur juxta
juris regulam, nec *l. fœminæ*, *Cod. de ſecundis nup-*
7 *tiis*, & *l*. 14. & 15. *Tauri*: cum pœnales ſint,
ſunt admittendæ extra caſus, in quibus loquuntur,
ex gloſſa ad id communiter recepta *in capit. fin. de
jure patronat*. in materia enim privativa, quod ex-
preſſè cautum non eſt, privationem non inducit,
Cacheran Oſaſcus *deciſ*. 147. *num*. 4. Franchis
*deciſ*. 11. *num*. 23. Molina *lib*. 1. *primog*. *capit*. 9.
*numero* 10. Pincllus, *l*. 2. *Cod. de reſcind. vend* 2.
*part*. *cap* 4 *num*. 13. *in fine*, Meneſius, *l. fideicom-
miſſum* 4, *Cod. de fideicommiſſ*. Avend. *reſp*.24. Lara,
*l. ſi quis à liberis*, §. *ſed ſi filius*, *numero* 91. *di-
geſtis de liberis agnoſc*. Betius *conſil*. 35. *num*. 5. &
*conſ*. 102. *num*. 31. Baeça, *l*.101. *capit*. 36. *num*.
11. Mieres *de majorat*. 1. *part*. *quæſtion*. 1. *numero*
108.

Sed redeundo à quo digreſſi fuimus, ſi illud
quod datur pro pace mortis viri, patris, ſeu alte-
rius conſanguinei, non eſt hæreditarium occiſi, vi-
detur liberum remanere penes uxorem filium, ſeu
alium conſanguineum paciſcentem, nec eis debet
inferri gravamen ſeu onus Miſſarum, argum. *l. ab
eo*, *C. de fideicommiſſis*.
8 Sed nihilo ſecius contrarium eſt tenendum, imò
quod ex eo, quod datur pro pace mortis aliqua
ſeparetur quantitas eroganda pro defuncti anima
annuatim, ut tradit Boher. *deciſ*.233. *num*. 3. ubi
ponit hæc verba: *Et primo taxatur intereſſe animæ
defuncti, ut pro ea fiat fundatio perpetua, vel elee-
moſyna, ſecundum facultates homicidæ*, quod dicit
benè ſervari in Curia Bordegalenſi. Et habet maxi-
mam æquitatem, nam ſi propter mortem illatam
defuncto datur talis pecunia uxori, ſeu filio, po-
9 tius ſubveniendum eſt ipſi mortuo. Cum prop-
ter quod unumquodque tale, & illud magis,
gloſſ. *in Clem. ſi Dominum*, *de reliq. & vene-
rat. Sanctorum*, *authent. multo magis*, *Cod. de
Sacroſanctis Eccleſiis*, Paul. Caſtrenſ. *conſil*. 129.
10 *volum*. 1. Et cum defunctus ſit incapax humano-
rum actuum, ut dicit Peralta, *l. hærede*, *num*. 18.
*de leg*. 2. nec poſſit petere coram judice ſibi ali-
quid adjudicari pro damno illato ſibi, & animæ
11 ſuæ. Ex quo homicida abſtulit eum à carne in qua
poterat mereri, quapropter dicit ſanctus Thomas
2. 2. *quæſtion*. 123. ad octavum, virtuoſum amare
12 vitam, ut neceſſariam ad opera virtutum, quare
ergo nos pro talium interfectorum animabus non
petimus, quod eo libentius & accuratius facere
debuiſſemus quod cognoſcimus frequentius inter-
fici pauperes deſtituti à cognatis, qui non habent
qui eorum reminiſcantur, maximè ſi ejus uxor tran-
ſeat ad ſecundas nuptias, de qua dicitur *in d. au-
thent de nuptiis*, §. *non tamen*, quod obliviſcitur
prioris mariti.

Quod maximè obſervandum eſſet, cum fit pax 13
de morte clerici occiſi, cujus ſatisfactionem te-
nent Doctores applicari ejus hæredi, ut tradunt
Avend. *reſp*.19. *num. fin*. Covarruv. *capit*. 9. *num*. 10.
ſequitur Matienzus, *l*. 13. *titul*. 8. *gloſſ*. 1. *in
fine*, *libr*. 5. *Recopil*. & nullam faciunt mentionem
de expendendo pro ejus anima.

# CAPUT XIV.

## An relicta pro anniverſario, vel alio pio opere, poſſint in alium uſum converti, & quando, & cujus authoritate?

### *SUMMARIUM.*

1 *Expenditur* l. 1. digeſtis de adminiſtrat. rerum ad civit. *pertinentium*.
2 *Poteſtas commutandi relicta per teſtatorem ad unum uſum in alium dicitur jure poſitivo contraria, & etiam æquitati naturali, & numero* 3.
3 *Collata pro remedio peccatorum venerabilibus Eccleſiis, aliis uſibus applicari non debent.*
4 *Minus damnum judicatur abſorbere voluntatem unius teſtatoris in totum circa præſtationem anniverſarii, quam aliis uſibus eam applicare.*
5 *Defunctus non debet ſua proviſione fraudari, & crudele judicatur ſubvertere judicia defunctorum.*
*Non ſufficit facere quod teſtator jubet, niſi fiat ut jubet.*
*Attendendum eſt, quod teſtator voluit, non quod voluiſſe melius eſſet.*
6 *Voluntas teſtatoris juri contraria vel inepta non ſervatur.*
7 *Voluntas teſtatoris, ut non fruſtretur à lege, nihil illlicitum continere debet.*
8 *Si ultima voluntas contineat aliquid illicitum non rejicitur, ſed convertitur in aliam cauſam honeſtam, & quorum voluntate, & conſenſu.*
9 *Si anniverſarium relinquatur in cauſam honeſtam, & quantitas relicta pro implemento non ſufficit, convertitur in aliam cauſam: & expenditur Concilium Trid.* ſeſſione 24. cap. 4.
10 *Munificentia legantis pro anniverſario debet inſcriptione notari, pro ejus memoria.*
11 *Si quantitas relicta pro anniverſario ſufficiens ſit ad illud perficiendum, formaliter & ſpecificè eſt ſervanda teſtatoris voluntas, nec poteſt commutari, ſalva tamen Sedis Apoſtolicæ authoritate.*
12 *Principi non poteſt dici, cur ita facis? & poteſt contra jus.*
13 *Romanus Pontifex in rebus Eccleſiæ habet ampliſſimam, abſolutam & liberam poteſtatem.*

14



14 *Intelligitur*, l. legatam, digeſtis de adminiſtrat. rerum ad civitatem pertinentium, & Clement. quia contingit, de Relig. dom.
15 *Quando commutatio fit per ordinarium, requiritur cauſa, ſecus ſi per Papam.*
16 *Multi Doctores tenent, etiam in Romano Pontifice, & Principe requiri cauſam.*
17 *In Romano Pontifice & Principe commutantibus, ſemper præſumitur juſta cauſa, & ſic commutatio non impugnatur ex defectu cauſæ.*
18 *Licet nullus præter Romanum Pontificem poſſit piam voluntatem alterare, tamen ſi exocutioni tradita non fuerit, Epiſcopus poterit commutare ſecundum aliquos, ſed contra, numero* 20.
19 *Facilius tolluntur facienda, quàm facta.*
20 *Verius eſt voluntatem piam nondum executioni traditam Epiſcopum alterare non poſſe.*
21 *Poſitus ad executionem, non poteſt alterare diſpoſitionem.*
22 *De expreſſis in teſtamento, nihil poteſt immutari.*
23 *Intelligitur text.* in l. in iis ff. de condit. & demonſtr.
24 *Stante difficultate executionis, poterit Epiſcopus relictum pium commutare.*
25 *Si propter interdictum anniverſarium Miſſarum non poſſit celebrari, poterit Epiſcopus in aliud opus pium convertere.*
26 *Si teſtator jubeat anniverſarii Miſſas celebrari hora undecima, poterit Epiſcopus jubere quod tempore Veris, ſeu æſtatis celebretur anteriori hora.*
27 *Si propter difficultatem anniverſarium adimpleri non poſſit, & teſtator providerit, quid faciendum ſit, illud eſt ſervandum.*
28 *Quando lex diſponit, quod detur ſatiſdatio & in ejus defectum providet de remedio, illo eſt utendum, nec deveniendum ad juratoriam cautionem.*
29 *Cum cauſa Epiſcopus poteſt commutare anniverſarium.*
30 *Si relinquatur pecunia pro conſtruenda Capella, ubi ſunt plures, & Eccleſia indigeat reparatione, vel relinquatur pro ædificanda Eccleſia, in civitate ubi ſunt plures Eccleſiæ ruinoſæ, poterit Epiſcopus convertere pecuniam in Eccleſiarum reparatione,*
31 *Contrarium defendit Lucas de Penna, qui hoc dicit reſervatum Sedi Apoſtolicæ, ſed diſtingue, ut num*. 7.
32 *Epiſcopus eſt aſtrictus Canones ſervare, & inferior à Papa non poteſt alterare jus commune.*
33 *Voluntas teſtatoris eſt lex, ſive ſapiat ſpiritualitatem, ſive non.*
34 *Barbatia diſtinguit inter multiplicem alterationem ſeu commutationem, quarum alia neceſſaria, alia utilis, alia tolerabilis appellatur.*
35 *Epiſcopus ſeu alius inferior à Papa, ſeu Principe non ſolum ex cauſa neceſſaria, ſed etiam utili poteſt commutationem facere, intellige referendo ſingula ſingulis, & prævia cauſæ cognitione.*
36 *Expenditur Concilium Trident.* ſeſſione 22. cap, 6. de reformatione.
37 *Pecunia relicta pro conſtructione Capellæ, ſeu Eccleſiæ in civitate, ubi ſunt plures egentes reparatione, poteſt ab Epiſcopo, prævia cauſæ cognitione, erogari in reparationem Eccleſiarum.*
38 *Anniverſarium pro virginibus maritandis relictum, commutari non poteſt, nec dari intranti Religionem, ſalva Sedis Apoſtolicæ authoritate.*
39 *Ultima voluntas non pertinet ad arbitrium alicujus, niſi teſtantis.*
40 *Ratio quare legatum pro virginibus maritandis non poſſit aut debeat commutari.*
41 *Pontifex Romanus non præſumitur velle uti abſoluta poteſtate, niſi apponat clauſulam.*
42 *Papa poteſt diſponere de relictis piis prout voluerit.*
43 *Major dignitas, & eminentior qualitas perſonæ, minorem licentiam præſtat ad iniqua.*
44 Intelligitur *text*. in cap. 2. de præbend. lib. 6. & in Clement. 1. in fine, ut lite pendente.
45 *Commutatio ultimæ voluntatis expenditur per reſcriptum in forma Brevis.*
46 *Reſcriptum, quod Breve appellatur, non expeditur Bullis plumbatis, ſed annulo Piſcatoris.*
47 *Brevia non tranſeunt per tot manus quot Bullæ, nec tot expenſæ fiunt in eerum expeditione.*

QUOD *ad certam ſpeciem civitati relin-* 1
*quitur, in alios uſus convertere non licet.*
Verba ſunt Ulpiani *lib*. 10. *diſputation.
relata*, *l*. 1. *digeſtis de adminiſtratione
rerum ad civitat. pertin*. Poteſtas namque commu- 2
tandi relicta per teſtatorem ad unum uſum in
alium, dicitur juri poſitivo contraria, Aymon.
Cravet. *conſ*.296. *num*.2. ubi quod non ſolum talis
commutatio contrariatur juri poſitivo, ſed etiam
æquitati, cum valde iniquum ſit ea, quæ collata 3
ſunt pro remedio peccatorum venerabilibus Eccle-
ſiis aliis uſibus applicare, ita textus *in cap. con-
queſtus*, *de foro competenti*, ob quam rationem ta-
lem commutationem appellat iniquam, & contra-
riam naturali æquitati, Bald. *conſ*.81. *incip. factum
proponitur*, *lib*. 1. ubi quod deputatum pro reme-
dio peccatorum, & animæ teſtatoris in alios uſus
auctoritate Principis converti non debet. Et quod
talis alteratio voluntatis ſit contraria æquitati natu-
rali, tradit Ancharranus *conſilio* 282. Ubi quod 4
minus magnum gravamen eſſet abſolvere volunta-
tem unius teſtatoris in totum circa anniverſarii
præſtationem in pauperes & egenas perſonas, quam
aliis uſibus eam applicare. Atque ita talem com-
mutationem execratur Geminianus *conſil*. 63. ubi
quod eſt contra publicam utilitatem: publice enim
intereſt ultima hominum elogia exitum habere, *l.
negare*, *digeſtis. quemadmodum teſtamenta aperian-
tur*, & lex promittit decedentibus miniſtrare,
etiam ſepultis, & ad effectum perducere, quæ ipſi
viventes diſpoſuerunt, in authentica *de hæred. &
Falcidia*, & §. *ultim. collatione* 1. nec defunctus
debet ſua proviſione fundari, ut tradit Lucas de
Penna *l*. 1. *Cod. de expenſis ludorum*. Crudele nam- 5
que eſt ſubvertere judicia defunctorum, Baldus
*conſilio* 129. *verſicul. in contrarium libr*. 1. Simon
de Prætis, *libr*. 1. *de interpretatione ultimar. volun-
tatum*, *interpretatione* 1. *ſolutione* 3. ubi quod non
de commutanda, ſed de obſervanda ultima volun-
tate tractandum eſt. Et facit *l. verbis legis digeſtis
de verborum ſignificatione*, voluntates hominum au-
dire volumus, non jubere, inquit Jureconſultus,
*l. omnium*, *Cod. de teſtamentis*, & liberum eſt de-

cidenti

cidenti relinquere cui voluerit bona ſua, & ſecundum ejus arbitrium, & ſtylum, maximè quando relinquit Eccleſiæ, lex prima, Codic. de Sacro ſanctis Eccleſiis. Nec ſufficit facere quod teſtator jubet, niſi fiat ut jubet lex, ſed ſi ante, digeſtis ad Trebellianum. Quòd enim teſtator voluit, non quod voluiſſe melius fuiſſet, eſt attendendum, l. extraneum, Cod. de hæredibus inſtituendis & Seneca controverſia 3. inquit: Interit omne jus, omniſque poteſtas, ſi vivi neglexerint imperia mortuorum, & Archiepiſcopus Genebrardus, lib. de ſacrarum electione, jure, & neceſſitate capit. 9. §. 7. pagina 133. Quàm ſcelerati ſunt Principes, quàm impii qui contra jus Divinum, contra jus gentium, contra leges civiles teſtamentorum: vi atque authoritati non obſequuntur, & defunctorum ſupremam voluntatem, mandataque avertunt. Et Virgilius Epigramm.

Eſt legum ſervanda fides, ſuprema voluntas,
Quod mandant fieri, quæ docent parere neceſſe eſt.

Et Quintilianus declamatione 301. Neque aliud ſolatium videtur mortuis, quàm voluntas ultra mortem. Idem dicit Spino rubrica de teſtamentis, part. 11. num. 9. verſic. Cum igitur, licet hoc dictum magis conveniat Quintiliano Gentili, quàm Catholico cognoſcenti futuram gloriam tribuendam à Domino juſtè operanti, contra quod facit illud Pauli 1. ad Theſſalonicenſes cap. 4. ibi: Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contriſtemini, ſicut cæteri qui ſpem non habent: Quod refertur cap. habent 13. quæſt. 2. & Proverbiorum cap. 14 ad finem, ibi: Sperat autem juſtus in morte ſua.

Sed cum quotidie videamus has commutationes fieri, quid dicendum, & reſpondendum prædictis juribus. Ut tamen melius percipias, dic, quòd aut teſtator relinquit legatum in talem cauſam, quæ de jure impleri non poteſt in aliquem honeſtum finem, aut in talem, quæ de jure impleri poteſt.

6 Primò enim caſu cum voluntas teſtatoris ſit juri contraria non ſervatur, 1. in principio, digeſtis de uſuris, idem ſi inepta, l. 1. digeſtis de conditio. inſtit. quia nihil illicitum debet continere ad hoc, ut
7 non fruſtretur à lege, textus in authentica de nuptiis, §, quæ verò nunc, verſic. quia ergo, & ibi, §. præfato autem dicitur: Studii enim noſtri eſt ſervare ſolum legitimas voluntates. Non tamen rejicitur,
8 ſed in aliam cauſam honeſtam convertitur, l. legatum, cum l. ſequenti, ubi latè Bart. digeſtis de uſufruct. legat. & idem Bartol. l. 1. digeſtis de condition. inſtitut. Joannes de Platea, l. 1. Cod. de majuma. & l. 1. Cod. de expenſis ludorum, lib. 11. Hoc autem fieri debet de voluntate Epiſcopi, & conſenſu hæredis, ut in cap. nos quidem, de teſtamentis, ubi notatur, & in dicta l. legatum Aut relin-
9 quitur legatum in cauſam honeſtam & quæ de jure impleri poteſt, & tunc ſubdiſtingue, aut quantitas relicta non ſufficit pro relicto adimplendo, & tunc idem quod in præcedenti caſu, per ea quæ habentur in dicto cap. nos quidem, & per Bart. in dicta l. legatum, & in l. legatam, digeſtis de adminiſtratione rerum ad civitat. pertin. tradit Guillelmus Benedictus in capit. Raynutius, de teſtamentis, verbo, relinquit, numero 18. & ante eum Imola, l. 1. digeſtis de condition. & demonſtration. & ſi relictum eſt Miſſarum, diminuitur onus, ut novissimè ita proviſum eſt per Concilium Tridentinum, ſeſſione 25. cap. 4. ubi in fine inquit: Ita tamen, ut ſemper eorum defunctorum commutatio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ea ad pios uſus reliquerunt, quod etiam diſpoſuit in ſimili dict. l. legatam, ibi: Ut in eo munificentia ejus, qui legavit inſcriptione notetur. Et l. opus nonum in fine, 10
& l. fin. in fine, digeſtis do operibus publicis.

11 Aut quantitas relicta pro anniverſario eſt ſufficiens ad perficiendum, id quod teſtator reliquit, & tunc voluntas teſtatoris formaliter eſt adimplenda, & ſpecificè ſervanda, ita quod non poterit fieri converſio in aliam cauſam, quantumcúmque piam, ſine licentia Papæ. Clementina, quia contingit, de religioſis domibus, in illis verbis: Cum tamen ea quæ ad certum uſum largitione ſunt deſtinata fidelium, ad illum debeant non ad alium (ſalva quidem Sedis Apoſtolicæ authoritate) converti. Ubi notat Cardinal. numero 3. & 4. Abbas capit. nos quidem, numero 6. de teſtamentis, & ibi Imola, numero 13. Covarruv. num. 9. Capella Toloſana, quæſt. 26. Felin. cap. cum acceſſiſſent, de conſtitut. num. 17. in fine, & numero 19. Præpoſitus, capit. verum, numero 6. de condit. appoſitis, tradit Platea, l. 1. Cod. de expenſis ludorum. Idem diſponit, text. in l. legatam de adminiſtratione rerum, in illis verbis: Legatam municipio pecuniam, in aliam rem, quam defunctus voluit convertere, citra Principis authoritatem non licet.

Sed cum ſupra dixerimus, etiam Principem non poſſe mutare piam, vel aliam diſpoſitionem relictam ad unum uſum in alium, & Imperator fateatur ſe non poſſe reſcribere adverſus teſtamentum, ut in l. ſi teſtamentum, Cod. de teſtamentis, & de Papa tradit Angelus, ibi, & Aymon. conſ. 296. num. 2. difficilis redditur diſpoſitio dictæ Clementinæ, quia contingit, & dict. l. legatam.

Quare nonnulli Doctores dicunt illa jura procedere de plenitudine poteſtatis: Princeps enim, ut dicit Baldus cap. Eccleſia, num. 7. ut lite pendente, dicitur cauſa cauſarum, & ei non poteſt dici, cur ita facis? Et habetur Eccleſiaſtes cap. 8. & ſecun- 12
dum eundem Baldum in præludiis feudorum, & in cap. cum ſuper, numero 145. de cauſa poſſeſſionis & proprietat. contra jus omnia poteſt, & ejus voluntas ſufficit pro lege, l. 1. de conſtitut. Principum, & quod vult pro facto habetur, l. apud eum, ff. de manumiſſ. & mutat rerum naturas (intellige non eſſentialiter, ſed quoad effectum, l. unica, Codic. de rei uxor. actione, l. poſſeſſores, Cod. de fundis patrimonial. lib. 11. ubi Lucas de Penna id colligit, Afflictis cap. 1. de feud. non habent. propriam naturam feud. num. 1. & 5. & melius in cap. 1. ex quibus cauſis feud. amittatur, gloſſa 3. num. 47. ubi quod ex eo poteſt mutare rerum naturas, quia habere plenitudinem poteſtatis, & poteſt ſtatuere novum jus, nam poteſt omnia facere, l. fin. Cod. de conſulibus, lib. 11. quod prius dixit gloſſa ſingul. in capit. veniens, verbo, confirmatam, de tranſactionibus, & inſtar ſacrilegii eſt de factis Principis diſputare, l. 2. Cod. de crimineſacrileg. cap. patet cap. nemo cap. facta 9. quæſt. 3. & idem de 13
Romano Pontifice, qui in rebus Eccleſiæ habet ampliſſimam, & abſolutam, acliberam poteſtatem, textus in cap. 2. de præbend. lib. 6. & Clementina 1. in fine, ut lite pendente tradit Felinus cap. quæ in Eccleſiarum, numer. 40. de conſtitut. & ibi Decius num. 26. Ripa libr. 2. reſponſorum, capit. 19. n.





5. Gomez. regula de non tollendo jure quæſito, quæſt. 1. num. 7. verſ. nam in beneficialibus, Gigas de penſionibus, quæſt. 10. numero 14. Rota, in memorabilibus, verbo Papa, Selva, de benefic. 2 part. quæſt. 1. numer. 42. Qui omnes elegantius cæteris loquuntur circa abſolutam poteſtatem Romani Pontificis.

14 Covarruvias tamen aliter intelligit, dict. l. legatam, ff. de adminiſtratione rerum ad civitat & Clementinam, quia contingit, de religioſ. domibus, nam libr. 3. variarum, cap. 6. num. 7. verſic. non oberunt huic aſſertioni, inquit quod licet teſtatoris ultima voluntas modis omnibus ſervanda ſit, ut in cap. ultima voluntas 13. quæſt. 2. poterit Principis authoritate mutari, in his quæ Principis adminiſtrationi committuntur, & ejus ſubjacent gubernationi, nam tunc teſtator videtur reliquiſſe ejus conditionis attenta ſubjecta materia, ut per Principem proprio arbitrio poſſit liberè commutari. Sicque in dict. l. legatam, legatum ad certum publicum opus relictum, authoritate Principis in aliud opus poſſe expendi, quia opera publica civitatum, & legata eis relicta, adminiſtrationi Principis commiſſa cenſentur, cum reipublicæ adminiſtrator ſit. Et eodem modo Romanus Pontifex in dict. Clementina, quia contingit, pecuniam legatam in uſus pios, ut ad beneficia & ſacerdotia inſtituenda, & ad pauperum alimenta, poteſt in alia opera itidem pia commutare, cum ipſe Romanus Pontifex horum omnium ſit, ex Canonicis ſanctionibus legitimus adminiſtrator & Rector, & eodem modo interpretatur Sarmiento lib. 1. ſelecta. cap. 8. numer. 21.

15 Sed an eo caſu aliqua cauſa ſit neceſſaria, ſi Romanus Pontifex ſeu Princeps faciat commutationem, & Bart. l. legatum, ff. de uſufructu leg. inquit, quòd relictum à teſtatore in unum uſum, non debet ad alium converti, niſi ad id interveniat cauſa legitima, & authoritas ordinaria. Cæterum authoritate Principis nulla cauſa ſubſiſtente fieri poteſt, & probat l. legatam municipio, ff. de adminiſtratione rerum ad civitat. pertin. & Clementina, quia contingit, de religioſ. domibus, ubi Cardin. num. 3. & 4. & notatur in cap. nos quidem, de teſtamentis, ubi Abbas, num. 6. Imola, numero 13.
16 & hoc eſt verum, licet Pinel. in Rubr. de reſcind. vend. 1. part. cap. 2. num. 19. in ea ſit ſententia, ut Princeps nec ſummus Pontifex poſſit ſine cauſa derogare voluntati teſtatoris, & tandem conſulit, quod ſi agatur de relictis piis, petatur diſpenſatio à ſummo Pontifice, quando verò de majoratu, vel relictis magis honoris & memoriæ, quam piis petatur à Principe, de quo Molina lib. 3. de primogeniis, capit. 3. num. 11. Anton. Gomez. l. 40. num. 89. Covarruvias, lib. 3. reſol. cap 6. num. 1. cum ſequentibus, & Mieres de majoratib. 4. part. quæſt. 1. num. 10.

17 Alii autem dicunt, cauſam requiri in derogatione ultimæ voluntatis, ſed ſi à Principe derogetur, factum Principis non debere impugnari ex defectu cauſæ, docent Innocentius, & Joannes Andreas in cap. in noſtra de injuriis, Antonius Gabriel, titul. de jure quæſito non tollendo, concluſ. 2. num. 1. & poſt Aret. Alex. & Jaſ. reſolvit Alciatus, l. Gallus, §. & quid ſi tantum, num. 131. ff. de lib. & poſthum. pro quo eſt text. in §. ſemel inſtituta de his qui manu. non poſſunt, pro qua opinione facit quod in Principe ſemper præſumitur juſta cauſa, ut docet Cinus in l. reſcripta, quæſt. 3. & 4. Cod. de precibus Imperatori offerendis, & ibi Bald. num. 10. & alii, & quos citat Felinus in cap. quæ in Eccleſiarum, num. 60. & 61. de conſtitut.

Et licèt nullus præter Romanum Pontif. poſſit 18
voluntatem piam alterare, id tamen limitat Imola, l. 1. ff. de condit. inſtitut. quando voluntas ſit executa: nam ſi executioni tradita non ſit, ſecundum eum poterit Epiſcopus eam alterare, cum quo tranſit Felinus dicens ſingulare ejus dictum, cap. ſuper his, de accuſat. numero 1. ad fin. & dicit ſingularem doctrinam Guillelmus, capit. Raynutius, verbo, reliquit, num. 20. ex eo quod facilius tollantur fienda quam facta, l. patre furioſo, ff. de his 19
qui ſunt ſui, vel alien. jur. c. quemadmodum, de jurejur. dicitque elegantem doctrinam Imolæ Sarmiento, lib. 1. Selectarum, cap. 8. num. 24. verſic. ex his intelliges, & Hyppolytus ſingular. 194. Sed ab eis recedit Pinellus in rubrica de reſcind. vendi- 20
tione 1. part. numero 19. ex eo quod text. in dict. Clementina, quia contingit, & ibi Doctores indiſtinctè loquuntur etiam in voluntate defuncti, quæ ſemel vel nunquam habuit executionem; recedit etiam Covarruv. in capit. tua, num. 7. de teſtamentis. Quorum ſententiæ libenter aſſentior; nam ſi Epiſcopus tenetur exequi pias defunctorum voluntates capit. nos quidem, de teſtamentis per poteſtatem, quæ datur ei ad executionem non poteſt alterare diſpoſitionem quam exequi debet. Clementina 1. 21
in fine de præbendis, & in expreſſis in teſtamento, nihil immutari poteſt, text. eſt in l. in his, digeſtis de condit. & demonſtrat. cujus verba ſunt: In his 22
quæ extra teſtamentum incurrunt, poſſunt res ex bono, & æquo interpretationem capere, ea verò quæ ex ipſo teſtamento oriuntur, neceſſe eſt ſecundum ſcripti juris rationem expediri. Qui text. ibi ſcripti juris rationem intelligit Sarmiento, lib. 1. Selectar. cap. 8. num. 22. de ſcriptura teſtament. quæ legis loco 23
habetur.

Stante autem difficultate executioni poterit Epiſ- 24
copus relictum pium in alio pio opere erogare veluti, ſi anniverſarium relinquatur pro Miſſis cantandis, quæ tunc temporis cantari non poſſunt propter interdictum: nam poterit relictum in aliud opus 25
pium converti, ita tradit Joannes de Platea, l. 1. Cod. de expenſis ludorum, vel ſi jubeat anniverſarii Miſſas celebrari hora undecima, quotidie, poterit jubere quòd tempore veris, & æſtatis celebretur 26
anteriori hora, ut tradit Alvaradus de conject. mente defuncti, lib. 4. cap. 2. num. 9.

Adverte tanquam quod quando propter impe- 27
dimentum ſeu difficultatem anniverſarium non poteſt impleri in ſpecifica forma, ſed debet neceſſariò converti in alium pium uſum arbitrio ſuperioris, ſi teſtator providerit quid faciendum ſit, illud eſt ſervandum, l. quidam prædia, digeſtis de uſufruct. legat. l. libertus, §. Lucius, ff. de annuis legat. in gloſſ. verb. repetitione, per quæ jura ita tenet Platea, dict. l. 1. Cod. de expenſis ludorum.

Pro quo facit quod quando lex diſponit fidejuſ- 28
ſionem dari, & in ejus defectum providet de remedio, illo eſt utendum, nec deveniendum eſt ad juratoriam cautionem, l. 2. C. de tutore, vel curatore qui ſatis non dedit, l. filius familias miles 117. §. Divi Severus, verſ. idem Princeps, digeſtis de legat. 1. & ad eundem quoque exemplum ſervari debet remedium teſtatoris, cum ejus voluntas ſit lex, ut ſupra num. 23. & infra num. 35.

Stante itaque cauſa (non ſolum Romanus Pon- 29
tifex,) ſed etiam Epiſcopus, poteſt commutatio-

nem facere, tradit Guillelmus Benedictus, *cap. Raynutius, verbo, reliquit, numero* 17. *de teſtamentis*, ubi quod ſi teſtator reliquit viginti annuatim pro anniverſario celebrando in Eccleſia quæ indiget reparatione, nec ſi aliunde unde reparari poſſit, tunc de authoritate Epiſcopi, & ejus licentia poterit illa pecunia converti in Eccleſiæ reparatione per aliquod tempus.

30 Et idem ſi reliquit pecuniam pro conſtruenda Capella ubi ſunt aliæ plures ad ſufficientiam, & Eccleſia indigeret reparatione, nam poteſt conſumi pecunia in reparatione, per text. *in l. ultima*, ubi Bart. & Doctores, *digeſtis de oper. public.* Et idem ſi relinquit pecuniam pro ædificanda Eccleſia in civitate ubi ſunt plures Eccleſiæ ruinoſæ, & egentes reparatione, nec ſit unde ſubveniri aut provideri poſſit, quia tunc authoritate Epiſcopi poterit illa pecunia converti in reparatione aliquarum Eccleſiarum, tenet Imola, & Joannes Andreas *in cap. fin. de teſtamentis*, Bart. *l. pater filium*, §. *Tuſculanus, delegat.* 3. idem *in l. liberto*, §. *Lucius, digeſtis de annuis legat.* Bald. *in l.* 1. *Cod. de his quæ pœna nomine relinq.* Angel *l.* 1. *digeſtis de condition. inſtit.* quos refert, & ſequitur Guillel-
31 mus Benedictus, *cap. Raynutius, de teſtamentis, verbo, reliquit num.* 19. Licèt contrarium tenuerit Lucas de Penn. *l.* 1. *Cod. de expenſis ludorum, lib.* 11. *nerſ. ſecundo quærit*, ubi in eo caſu quo quis juſſit conſtrui Capellam in Monaſterio Religioſorum, qui plurimum dormitorio indigebant, cum poſſent commodè ſine Capella morari, & in ea ſeu aliis Capellis divina celebrare, tenet non poſſe fieri citra Summi Pontificis voluntatem, etiam Epiſcopo diſpenſante, quia hoc dicit reſervatum Sedi Apoſtolicæ, ex dicta Clementina, quia con-
32 tingit. Et ea ratione Epiſcopus cenſetur prohibitus, quia eſt adſtrictus Canones ſervare, c. ego, N. de jurejurando, & inferior à Papa non poteſt alterare jus commune, Doctores *in cap. fin. de officio Archipresbyteri*, & ibi Hoſtienſ. Joann. Andr. *cap.* 2.
33 *de conſtitut. lib.* 6. *& cap. non ſolum, de appell. eo lib.* & voluntas teſtatoris eſt lex ſive ſapiat ſpiritualitatem, ſive non, *ut in authentica de nuptiis*, §. *diſponat*, & ſic nec legatus de latere id poterit facere Barbatia, *conſil.* 23. *num.* 2. *vol.*1.

34 Quare Barbatia, *dicta conſ.* 23. *volum.* 1. diſtinguit inter variam alterationem, & commutationem: nam ut ipſe inquit, alia eſt neceſſaria, alia utilis, alia tolerabilis: de prima ſcilicèt neceſſaria, cauſa cognita conceditur, quia neceſſitas id concedit quod aliàs non concederetur, *l. qui potuerunt, ff. de manumiſſ. teſtamento.*

Secunda autem, & tertia ſcilicèt utilis, & tolerabilis inquit, Barbatia *ubi ſupra*, non concedi niſi Principi, ut *in l. prohibere*, §. *plane, digeſtis quod vi aut clam.* & facit quod voluit, Baldus *l. ſi quis ad declinandam, C. de Epiſcopis, & Clericis, & in authentica, niſi rogati, C. ad Trebellianum.*

35 Sed Guillelmus Benedictus *in capit. Raynutius, de teſtament. verbo, reliquit, numero* 20. tenet Epiſcopum, & alium inferiorem à Papa ſeu Principe, (referendo ſingula ſingulis, ut dicit Pinellus, 1. *part. Rubricæ, cap.*2. *num.*19. *in fin.*) non ſolum ex cauſa neceſſaria, ſed etiam utili poſſe facere alterationem, & commutationem relicti, nempe Epiſcopus, ſeu alius inferior à Papa relicti pii; inferior autem à Principe rei profanæ, & fundatur *in d. l. fin. digeſtis de oper. public.* dum tamen illam faciat prævia cauſæ utilitatis cognitione, nam etiam cauſæ utilitatis cognitione, nam etiam cauſa utilitatis ſine cognitione, & inquiſitione, an ſit utilis alteratio, & commutatio ſolus Papa ſeu Princeps poteſt facere pro ſua voluntate, *ex dict. l. prohibere*, §. *plane, digeſtis quod vi aut clam.* authoritas enim Papæ ſupplet illam inquiſitionem, & cognitionem, quæ de utilitate fieri deberet, & ſic inquit Guillelmus intelligendum eſſe textum in dicta Clementina, quia contingit.

Hæc autem commutatio, quæ ab Epiſcopo præ- 36
miſſa cauſæ cognitione fieri debet ex diſpoſitione ſancti Concilii Tridentini jubetur fieri ſummarie, *in ſeſſione* 22. *cap.*6. *de reformatione.*

Ex quo infero ad doctinam quam tradit Guillel- 37
mus Benedictus, *cap. Raynutius, verbo, relinquit, numero* 19. de eo qui relinquit pecuniam pro conſtructione Eccleſiæ, vel Capellæ in civitate ubi erant plures Eccleſiæ egentes reparatione, vel in Eccleſia ubi erant plutes Capellæ, & Eccleſia indigebat refectione, tenet pecuniam poſſe conſumi in Eccleſiarum antiquarum reparatione, vel ſi hoc fiat Epiſcopo authorante, debeat fieri prævia cauſæ cognitione, & quod apud acta conſtet de utilitate: ſi tamen à Romano Pontifice ſufficiat ſola voluntas.

Infero etiam ad id quod tradit Lucas de Penna *dict. l.* 1. *Cod. de expenſis ludorum*, in eo qui reliquit pecuniam Eccleſiæ ad ornamenta, quibus ipſa abundabat cum egeret ſalario Rectoris, quo caſu inquit, Epiſcopi authoritate poſſe fieri converſionem, & alterationem, ut procedat facta prius ſolemni inquiſitione utilitatis, ſaltim ſummaria.

Anniverſarium autem quod relinquitur pro vir- 38
ginibus maritandis, nullo modo patitur commutationem, nec dari intranti religionem, Bald. *l.* 1. *in finalibus verbis, Cod. de his qui pœnæ nomine relinquuntur*, & ſignat rationem Baldus, quia legi- 39
tima voluntas non pertinet ad arbitrium alicujus, & dicit ſic fuiſſe conſultum per collegium Bononienſe, tam Legiſtarum, quam Canoniſtarum, ſecundum Jacobum Butri. *l. ſi quis ad declinandam, C. de Epiſcopis, & Clericis.* Unde per dictam rationem per eum expreſſam ſentit Baldus relictum pro virginibus maritandis non poſſe in alios pios 40
uſus commutari, ſequitur Barbatia, *d. conſil.* 23. *numero* 2. *vol.* 1. Guillelmus Benedictus *in capit. Raynutius, verbo qui cum alia matrimonium contrahens, num.* 32. ubi addit illud eſſe, quia in eo relicto adeſt favor procreandæ, ac gignendæ ſobolis forſan duraturæ, quæ pro quolibet alio actu etiam pio æſtimari non poſſet, ſicque eſſet alteratio, quæ à nullo fieri poteſt niſi à Papa, de plenitudine poteſtatis de qua nunqnam videtur velle uti, tradit Guillelmus *ubi ſupra.* Niſi apponat clau- 41
ſulam non obſtantibus, vel de plenitudine poteſtatis, Barbatia, *conſ.* 23. *num.* 1. *ad finem vol.* 1. ubi *numero* 2. quod Papa poteſt diſponere de piis 42
relictis, prout vult *Clementina Dudum*, §. *penult. de ſepulturis*, licet teneatur ex vi directiva bene agere. Et ſic intelligitur textus *in cap. non liceat* 43
*Papæ* 12. *quæſt.* 2. quia major dignitas, & eminentior qualitas perſonæ, minorem licentiam præſtat ad iniqua, gloſſa *in l. penult.* ubi Bald. *digeſtis de hæred. inſtitut. cap. homo Chriſtianus* 40. *diſtinctione*, & faciunt pulchra verba Pauli Apoſtoli 1. *Corinthiorum c.*10. *Omnia mihi licent, ſed non omnia expediunt*, atque ita intelligenda ſunt verba text. *in capit.* 2. *de præbend. libr.*6. *& in Clem.* 1. *in fine*,





ut lite pendente, ibi: *Salva tamen in præmiſſis*
44 *omnibus Romani Pontificis poteſtate, ac quam Eccleſiarum, perſonatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum Eccleſiaſticorum plena & libera diſpoſitio ex ſuæ poteſtatis plenitudine noſcitur pertinere.* Quæ verba non poſſunt inducere, ut injuſtum juſtificetur obſtant ratione, & dictamine juris naturalis & divini, ut tradit Pinellus *in Rubric de reſcind. vendit. cap.* 2 *numero* 30.

45 Et quando ſummus Pontifex commutat ultimam legatorum piorum diſpoſitionem commutatio expeditur in forma Brevis, tradit Reboffus *in praxi ſignaturæ gratiæ, clauſula perinde valere, verſic. ſuper litteris*, ſequitur Marcus Antonius Cuchus *lib.* 1. *inſtitut. major. titul.*5. *numero* 23.

46 Et ea expeditio non fit Bullis plumbatis, ſed per reſcriptum habens ceram cum divi Petri navicula, annulo Piſcatoris impreſſam, ut tradit Cuchus, *ubi*
47 *ſupra, numero* 1. *&* 9. & dicuntur Brevia, quia brevibus ſcribuntur verbis, ut dicit Staphileus *de reſcript. in forma brevis, numero* 4. vel quia non tot cautiones aut manuum impoſitiones deſiderant, quod Bullæ, quæ nova manu ſubſcriptas eſſe oportet, ſed à ſolo ſcriba ex his qui ſunt à ſecretis ſummi Pontificis conficiuntur, addito ſigno annuli Piſcatoris à ſummo Pontifice, & aliquando dantur in pœnitentiaria, & ſic minores expenſæ pro eorum, quam pro Bullarum plumbatarum expeditione fiunt, tradunt Octavianus Veſtrius *in praxi, lib.* 1. *capit.* 7. Felinus *in Rubric. de reſcript. verſ. Brevia dicuntur, numero* 8. Reboff. *in praxi, titul. de Brevibus & Bullis, num.*16. ſequitur Cuchus, *ubi ſupra, num.* 9.

## CAPUT XV.

### An creſcentibus, vel decreſcentibus fructibus fundi relicti pro anniverſario creſcat, vel decreſcat onus Miſſarum, vel alterius piæ cauſæ?

*SUMMARIUM.*

1 *Expenditur* l. 2. Cod. de alluvionibus, *quæ partem affirmativam diluit.*
2 *Deficientia facultatum inducit cauſam diminutionis onerum.*
3 *Deficientibus facultatibus, monaſterii diminui debent onera, & ſuffragia.*
4 *Diminutis redditibus beneficii, mero jure onus beneficii minui debet.*
5 *Exiſtens in dignitate, & non percipiens redditus, non obligatur de ſuo.*
6 *Diminutis bonis anniverſarii onus Miſſarum, vel alterius piæ cauſæ minui debet.*
7 *Clerici non poſſunt obligari pacto Miſſas dicere pro ſtipendio, poſſunt tamen ab ſponte dantibus recipere eleemoſynas.*
8 *Ceſſantibus in totum redditibus anniverſarii, in totum ceſſat onus anniverſarii, ut diminutis in parte, ceſſat pro parte.*
9 *Pars eſt ejuſdem naturæ & qualitatis, cujus eſt totum.*
10 *Expenditur motus proprius Pii Quinti ſuper forma creandi cenſus.*
11 *Si legatum relictum cum onere evincatur pro parte; onus quoque pro rata minui debet.*
12 *Emergens calamitas novum expoſcit auxilium.*
13 *Sancta Eccleſia Toletana ita adimplet anniverſaria illa pro quibus unum dipondium, ſeu marapetinum datur cuilibet Præbendato, etiam Canonico, ac ſi magna quantitas diſtribueretur.*
14 *Eccleſiæ & Clerici privilegio gaudent, ne conveniantur ultra, quam facere poſſunt.*
15 *Si res relicta pro anniverſario præſtat magnos redditus, non correſpondentes oneri anniverſarii, ſed ampliores non minuetur onus ob ſterilitatem aliquorum annorum.*
16 *In æqualitate ineſt bona fides, & nemo debet lamentari de lege æquali.*
17 *Licet particulare damnum contingat in re emphytheutica, non fit remiſſio, quia canon non proportionatur ad quantitatem fructuum.*
18 *Si fructus anniverſarii augeantur, augeri debet numerus Miſſarum, & num.* 19
19 *Contrariorum eadem eſt diſciplina: & idem operatur oppoſitum in oppoſito, quod propoſitum in propoſito.*
20 *Quando onus imponitur habito reſpectu ad redditus, minuitur & augetur auctis & diminutis redditibus reſpectivè.*
21 Lex legatum, §. vini falerni, digeſtis de annuis legat. & lex eo vino, digeſtis de tritico & oleo legat. *conciliantur* cum l. Lutius, digeſtis de alimentis leg. & l. quidam 99. de legat. 1. & l. Firmio in principio, digeſtis ad Trebellianum.

*HI QUOS inundatio Nili fluminis red-* 1
*didit ditiores pro terris, quas poſſident, tributorum præſtationem agnoſcant, & qui ſuum deplorant patrimonium diminutum, alieno ſaltem functionis onere liberentur.* Verba ſunt Arcadii Imperatoris, relata *l.* 2. *Cod. de alluvionibus*, quibus verbis manifeſtè diluitur quæſtio, dum innuunt auctis bonis augeri onus, & minui diminutis, ſubveniendúmque eſſe his, qui deplorant diminutum eſſe patrimonium, ut tributum quod eis impoſitum erat diminutionem proportionabiliter recipiat. Deficientia enim facultatem inducit 2
cauſam diminutionis onerum, *l. Cura*, §. *deficientium, digeſtis de muneribus, & honoribus, gloſſa, l. omnes, la* 1. *Cod. de annonis, & tributis, capit. propter ſterilitatem, de locato, l. forma*, §. *illud, ff. de cenſibus.*

Et ſic diminutis facultatibus Monaſterii, diminui 3
debent onera, cum & ſuffragia ceſſent, ut inquit Romanus, *conſ.* 369. *num.* 25. *&* 30.

Sic diminutis redditibus beneficii mero jure onus 4
beneficii minui debet, tradit Gigas *de penſionibus, quæſt.* 35. *num.* 8.

Sic exiſtens in dignitate, & non percipiens red- 5
ditus ex quibus poſſit illi ſatisfieri, non obligatur de ſuo, Abbas Panormitan. *capit. niſi eſſent, num.* 10. *in fine de præbendis.*

Sic etiam diminutis bonis anniverſarii onus Miſ- 6
ſarum, vel alterius piæ cauſæ minui debet, ut in ſpecie tradit Alvaradus, *de conjecturata mente defuncti, lib.* 2. *cap.* 2. §. 1. *num.*37. quod maximè procedit in anniverſario Miſſarum, quia Clerici non poſſunt obligari pacto Miſſas dicere pro ſtipendio, quia eſſet ſimoniacum, ut tradunt omnes præcipuè Panormitanus, & Joannes Andreas, *cap. ſignificatum, de præbendis*, licèt benè poſſit teſtator, vel alter abſque ullo pacto rem ſuam Eccleſiæ

relinquere, vel dare pro Miſſis celebrandis, & ut
fiat anniverſarium, textus eſt (ubi communiter
Doctores) *in dict. capit. ſignificatum, de præben-
dis*, quamvis ibi Joannes de Imola, *numero* 12.
& Innocentius *capit*. 3. *Ne Prælati vices ſuas*,
contrarium teneant, & quod Sacerdotes etiam ab
ſpondente dantibus non poſſint recipere quidquam
pro Miſſis celebrandis, *per caput eos, & caput
emendari*, 1. *quæſt*. 1. Ripa *tractatu de peſte, lib.
ultimo*, in tertio remedio, ſed eorum opinio eſt
limitanda, ut procedat ſi adſit pactum, ſecus aliàs,
ut tradunt Panormitanus, & Joannes Andreas *in
cap. ſignificatum, de præbendis*, quos refert & ſe-
quitur Altamiranus de Viſitatione, in verbis etiam
teſtamentorum, *numero* 61. Lellius de Zanchis,
*de privilegiis Eccleſiæ, privileg*.40. *num*.13. Surdus
*conſ*. 295. *numero* 7. & conducunt tradita à Ca-
cherano Oſaſco *deciſ*.99. *num*.93.
8 Et ſicut in parte diminuitur onus, diminutis
redditibus pro parte, ſi in totum extinguantur, in
totum ceſſabit onus, quia idem juris eſt de toto
quoad totum, quod eſt de parte quoad partem, *l.
9 quæ de tota, digeſtis de rei vend*. Quia pars eſt
ejuſdem naturæ & qualitatis, cujus eſt totum, *l. ſi
grege legato, digeſtis de leg*. 1. per quem textum,
ita tenet Tiber. Decian. *conſil*. 22. *num*. 10. *vo-
lum*. 1.
10 Sicque in motu proprio Pii quinti ſuper forma
cenſus, quemadmodum ſi tota res pereat, vel in-
fructuoſa efficiatur, extinguitur totum onus cen-
ſuale, ita perempta parte, vel infructuoſa effecta,
extinguitur onus pro parte.
11 Sic ſi legatum relictum cum onere non valeat in
totum, ſed evincatur pro parte, onus quoque pro
rata minui debet, *l. ei qui amplius, digeſtis de do-
nation*. Parlador. *tertia parte, differentia* 17. §. *uni-
12 co, num*. 7. Emergens namque calamitas novum
expoſcit auxilium, & novum ſuffragium, tradit
Marſilis *ſingulari* 619.
13 Sed hoc ceſſat in alma Eccleſia Toletana, in qua
ita adimplentur anniverſaria illa, pro quibus unum
dipondium datur cuilibet Præbendato etiam Cano-
nico, ac ſi magna quantitas diſtribueretur, cujus
exemplo reliquæ Eccleſiæ deberent facere: dum
tamen non egeant, ſed habeant ſufficientes faculta-
tes ad ſui ſuſtentationem, aliàs enim nullatenus
14 tenerentur. Eccleſiæ enim & clerici privilegio gau-
dent, ne conveniantur, ultra quam facere poſ-
ſunt, gloſſa ordinaria *in l.miles, digeſtis, de rejudicat*.
quam ſequuntur Canoniſtæ, capite Oduardus, de
ſolutionibus, & *in cap. Olim, el ſegundo de reſtitut.
Spoliatorum*, & eſt gloſſa *in capit. ſtudeat, verbo,
& ſui* 50. *diſtinctione*, ubi dicit, quod Clericus
hoc gaudet privilegio, & ita exigit, quod tantum
ei remaneat, unde ſe & quos ſecum habet, (ex
neceſſitate tamen) poſſit commode ſuſtentari, ex
quo arguit Gigas *de penſionibus, quæſt*. 35.*numero* 8.
quod ſi propter Eccleſiam Clerici gaudent hoc pri-
vilegio, à fortiori Eccleſia eo privilegio utetur,
quia propter quod unumquodque tale, & illud
magis, *authentica multo magis, C. de Sacro ſanctis
Eccleſiis, Clementin*. 1. *de reliquiis & veneratione
Sanctorum*.
15 Supradicta autem de minuendo onere anniverſa-
rii diminutis redditibus limitabis, ut tunc demum
procedant, & habeant locum ſi diminutio ſit per-
petua, ſecus ſi temporalis: nam ſi bona relicta
pro anniverſario præſtant communiter magnos red-
ditus, qui non correſpondent oneri anniverſarii,
ſed ſunt multo majores & ampliores, ut in emphy-
theuticis contingit, & ob ſterilitatem aliquo vel
aliquibus annis fructus deficiant, nihilominus anni-
verſarium eſt ſine diminutione adimplendum, ita
tenet Romanus, *conſilio* 369. *num*. 31. cum enim
reliquis annis, etiam ſi fructus excreverint non plus
oneretur in anniverſario, licet percipiantur amplio-
res fructus, ita per contrarium diminutis fructi-
bus, ob ſterilitatem, non debet diminui onus an-
niverſarii, ut æqualitas ſervetur.
In æqualitate enim ineſt bona fides, Jaſon, *l. fi-* 16
*nal. num*. 99. *Cod. de jure emphytheutico, argumen-
to l. ſed & milites, poſt principium. digeſtis de ex-
cuſation. tutorum, l. non ſolum*, §. *uno, digeſtis de
ritu nuptiarum*. Et nemo debet lamentari de lege æ-
quali, ut inquit Aymon Craveta, *conſ*. 195. *num*.
5. pro quo eſt textus *in cap. quanto, de cenſibus*.
Atque ita Romanus *ubi ſupra* intelligit gloſſam 17
*in l*. 1. *Cod. de jure emphytheutico*, quatenus tenet
non minui ſolutionem Canonis pro re emphytheu-
tica, quamvis particulare damnum in ipſa re conti-
gerit, ut procedat, quia Canon non proportionatur
ad quantitatem fructuum, ſeu commoditatis, cum
ſit longe minor, quem ſequitur Caccialupus *in tra-
ctatu de penſionibus, quæſt*. 7. & Gigas eo tractatu,
*quæſt*. 35. *num*. 9 *in fine*.
Quando autem fructus non ampliores ſunt, ſed
correſpondentes oneri Miſſarum, vel alterius piæ
cauſæ pro ea parte, qua diminuti fuerint, diminui
debet, & onus per ſupradicta.
Et pari ratione ſi fructus augeantur, augeri debet 18
numerus Miſſarum. Contrariorum enim eadem eſt 19
diſciplina, textus, in principio, inſtituta de his
qui ſunt ſui, vel alieni juris. Idemque operatur
oppoſitum in oppoſito, quod propoſitum in propo-
ſito, *l. ſi ex toto, in principio, & l. quod in rerum*,
§. *ſi quid poſt, de legat*. 1. *l. fin. de legat*. 3. &
commodum ab incommodo regulatur ut qui onus
ſentit, ſentiat & commodum, & è regione, *l. ſe-
cundum naturam, digeſtis de regulis juris*, ubi De-
cius *gloſſ in cap. ſi Epiſcopis, de offic Ordinarii, lib*.
6. *text. in l. & ſi contra* 35. *in fine, digeſtis de vul-
gari*, ibi ut quemadmodum portio, quæ per bono-
rum poſſeſſionem acceſſerit, auget legata, ita &
hæc quæ abſceſſerit minuat, per quem textum in
noſtra anniverſariorum materia ita tenet Alvarado
*de conjecturata mente teſta.lib*. 2. *cap*. 2. §. 1. *num*.
37. & comprobatur *l*. 2. *Cod. de alluvionibus*, re-
lata in principio hujus capitis, & facit quod tradit
Nicolaus Balbi, *in conſ*. quod eſt inter deciſiones
Cacherani Oſaſci, *poſt deciſionem* 68. *num*. 16. ubi 20
quod quando onus imponitur habito reſpectu ad
redditus, debet illud onus regulari & limitari, ſe-
cundum quantitatem redditum, & illis auctis &
diminutis augeri, vel diminui onus reſpectivè,
quod etiam tradis Decius *conſil*. 335. & quod au-
geatur onus ſi excreverint redditus tradit gloſſa *in
cap. fin. verb. excreviſſe, de verborum ſignificatione*,
ex quo infero ad intellectum, *l. legatum*, §. *vini
Falerni, digeſtis de annuis legat. & l. ex eo vino,
digeſtis de tritico, vino, & oleo legat*. quibus juri-
bus ſi deficiat fructus, hæres non tenetur ſupplere,
quia legatum fuit relictum ex eo, quod naſceretur
ſingulis annis ex fundo, & ſic habito reſpectu ad
fructus, diverſum tamen erit ſi fuerit pecunia le-
gata, quæ non naſcitur ex re demonſtrata, quia
tunc hæres tenetur de aliis ſolvere, *l. Lucius, di-
geſtis de aliment. legatis, l. quidam* 99. *de legat*. 1.
ita intelligit Franciſcus de Claperiis *in ſua centuria*,
*cauſa*



*cauſa* 11. *quæſtione ſecunda, num. tertio & quarto*,
ubi reſpondit *ad l. Firmio, in principio, digeſtis ad
Trebellianum*, ut procedat quando ex eo fundo
tot fructus percipiebantur quot ex eis ſingulis an-
nis poterant haberi nummi legati, quo caſu non
ſupplentur ab hærede, ſed expectabitur ſequens
annus.
Sed tu dic, quod ſi diſpoſitio eſt reſtricta ad red-
ditus alicujus prædii cum taxativè relinquatur, non
debet aliunde ſuppleri, *l. cum certus, digeſtis de
tritico, vino, & oleo leg*. nec hæres tenebitur ultra
redditus fundi, ut nec tenetur ſolvere de ſuo, quan-
do teſtator legavit de bonis ſuis, Aymon *conſilio*
187. *num. quarto*. Bene tamen verum eſt, quod
ſi ſit legatum annuum relictum pro anniverſario ex
fructibus alicujus fundi taxativè, & propter ſterili-
tatem, vel aliam cauſam non percipiantur fructus
uno anno ſuplebitur ex fructibus ſequentis anni,
22 *ex dict. l. legatum*. §. *vini falerni, digeſtis de an-
nuis legat, & l. ex eo vino, digeſtis de tritico, vi-
no, & oleo legat, & dict. l. Firmio*, & eo caſu
non minuetur anniverſarii onus, ubi autem ſolu-
tioni annui relicti fundus eſſet adjectus demonſtrati-
vè, ſtatim hæres tenebitur ſolvere de aliis bonis
per *l. Lucius* 12. *digeſtis de alimentis, & cibariis,
legat*. quam diſtinctionem facit Paulus Caſtrenſis,
*conſilio trecenteſimo trigeſimo octavo, numero tertio,
volumine primo*, & ſentit Franciſcus Beccius *conſi-
lio nonageſimo quarto, num. octavo*.

## CAPUT XVI.

Poſſidens bona cum onere ſolvendi certam pitançam Clericis alicujus Eccleſiæ pro anniverſario, an teneatur ſolvere augmentatis, vel ſolum pro numero exiſtentium tempore conſtituti anniverſarii?

### *SUMMARIUM.*

1 *Verba generalia pacti ſeu indefinita referuntur ad jus de præſenti competens non ad jus, quod in futurum poteſt competere quantumcumque ex cauſa de præſenti.*
2 *In contractibus ſemper ineſt condictio, rebus ſic ſtantibus, & in eodem ſtatu permanentibus, & conventio non extenditur ad incognita.*
3 *Ultima voluntas refertur ad tempus teſtamenti.*
4 *Legata pecunia debita, non comprehenditur ea pecunia, quæ teſtamenti tempore non deberetur.*
5 *Legato fundo cum inſtrumentis non veniunt inſtrumenta, quæ poſt tempus teſtamenti reperiuntur.*
6 *In conceſſione officiorum ſeu beneficiorum facta à Romano Pontifice, non veniunt beneficia ſeu officia creata poſt conceſſionem.*
7 *Si tempore contractus & teſtamenti erat certus numerus Clericorum, promiſſum ſeu relictum pro anniverſario non debetur augmentatis.*
8 *Expenditur in contrarium conſilium Alexandri* 178. volum.2. & conſil. 17. *Pauli Caſtrenſis.*
9 *Diluitur quæſtio de fornario, qui ſe obligavit coquere panem alicujus familiæ & numeris ſequentibus.*
10 *In his quæ pendent à futuro eventu, nec minori ſuccurritur.*
11 *Intereſt promiſſio ſeu obligatio facta fuerit nomine univerſali, generali indefinito, aut particulari.*
12 *Nomen collectivum univerſale, comprehendit augmentum ſuperveniens, & quid ſit collectivum univerſale, & quid collectivum nominale.*
13 *Quid contineatur & veniat nomine indefinito vel particulari.*
14 *Intelligitur* l. non modus, C. de ſervitutibus & aqua.
15 *Intelligitur* cap. cum Capella de privileg.
16 *Expenditur* c. quia circa de privileg. *& traditur ejus intellectus.*
17 *A proprietate vocabuli receditur, ut ſerviatur ejus intentioni, de quo ponuntur multa exempla.*
18 *Quando indefinita æquipolleat univerſali.*

*RUTILIA Polla emit lacum Sabba-* 1
*tanem Angularium, & circa eum la-
cum pedes decem: quæro nunquid & de-
cem pedes qui tunc acceſſerunt ſub aqua
ſint, quia lacus crevit, an proximi de-
cem pedes ab aqua, Rutiliæ Pollæ juris ſint? Procu-
lus reſpondit: Ego exiſtimo eatenus lacum quem emit
Rutilia Polla veniſſe, quatenus tunc fuit, & circa
eum decem pedes, qui tunc fuerunt: nec ob eam
rem quod lacus poſtea crevit latius eam poſſidere de-
bere quam emit*. Verba ſunt Proculi Juriſconſulti,
*lib*. 11. *Epiſtolarum relata l. Rutilia* 69. *digeſtis
de contrahenda emptione*. Ex quibus verbis colligi-
tur, quòd promiſſio reſtringitur ad numerum exi-
ſtentem tempore promiſſionis, verba enim gene-
ralia pacti, ſeu indefinita, referuntur ad jus de
præſenti competens, non autem ad jus, quod in
futurum competere poteſt, quantumcumque in
cauſa de præſenti, *l. ſi ita ſcripſiſſet* 47. *de legat*. 2.
Bart. *l. qui Roma*, §. *duo fratres, num*. 18. *in fine*,
& ibi Rippa, *numero* 74. *de verb. oblig*. ſequitur 2
Barboſa, *l. ſi cum dotem in principio, numero* 40.
*ſolut. matrim*. In contractibus enim ſemper ineſt
conditio, rebus ſic ſtantibus, & in eodem ſtatu
permanentibus, *cap. quemadmodum, de jur. jur. l.
cum quis, digeſtis de ſolut. l. quod ſervus, digeſtis de
conditione data*, Aym. *conſ*. 25. *num*. 1. & conven-
tio non extenditur ad incognita contractus, *l. cum
Aquiliana, & l. quæ cum tutorib. ff. de tranſact*.
Sic etiam ultima voluntas refertur ad tempus 3
teſtamenti, text. celebris *in l. ſi ita legatum, digeſtis
de auro & argento leg*. ibi: *Id legatum videtur,
quod teſtamenti tempore fuiſſet, & l. fin. eo titul.
text. in l. ſi ita* 47. *digeſtis de legat*. 2. ubi legata
pecunia debita, non comprehenditur ea pecunia, 4
quæ teſtamenti tempore non deberetur.
Sic legatis fundis, cum inſtrumentis non ve- 5
niunt inſtrumenta, quæ poſt tempus inſtrumenti
reperiuntur eſſe illius fundi, *l. Julianus, cum l. ſe-
quenti, de leg*. 3. & de verbis contractus & teſta-
menti, quod referantur ad tempus contractus &
teſtamenti. Velaſcus *conſultatione* 58. *numero* 3.
Sic in conceſſionibus officiorum ſeu beneficio- 6
rum facta à Romano Pontifice ſeu Principe, non
veniunt beneficia ſeu officia creata poſt conceſſio-
nem, Clementina *finalis de reſcriptis* de quo Bar-
boſa, *l. divortio*, §. *quod in anno, numero* 16. *cum
ſequen*

*ſequentibus*, Meneſ. *l. non modus*, *numero* 4. *C. de ſervitutibus*, *& aqua.*

7 Et ſic ſi tempore contractus, & teſtamenti erat certus numerus Clericorum, promiſſum ſeu relictum eis pro anniverſario, non debetur augmentatis ultra dictum numerum. Et pro hac parte adduco text. ſingularem *in cap. quanto*, *de cenſibus*, ubi obligatus procurationem præſtare fratribus alicujus conventus, ſi numerus eorum nimis creverit, adeò quòd ſi promiſſor teneretur ad procurationem præſtandam omnibus fratribus, nimis gravaretur, poteſt implorare judicis officium, ut ei ſuccurratur.

Sic privilegium conceſſum monaſterio & Capellis ſuis, non extenditur ad Capellas poſtmodum acquiſitas, *cap. cum Capella*, *de privilegiis.*

Sic licet prædia, quibus debetur ſervitus, fuerint aucta, non tamen augetur modus aquæ ducendæ, *l. non modus, Cod. de ſervitutibus & aqua*, per quem text. tenent Petrus & Cinus ibi, quod ſi ruſticus promiſit dare cuilibet Canonico ſancti Martini decem pro anniverſario, & tempore promiſſionis non erant niſi decem, & poſtea ſunt viginti, non tenetur dare augmentatis, & idem tenet Joannes de Imola in Clem. litteras, de reſcriptis, quos refert & ſequitur Cepola *de ſervitutibus urbanorum capit.* 50. *de furno*, *numero* 21. idem tenet Guillermus Benedictus, *cap. Rainuntius*, *de teſtamentis*, *verb. & ſobolem*, quam geſtabat in utero *num.* 54. ubi dicit ſe habuiſſe de facto in ruſtico, qui reliquit Presbyteris ſui loci certum quid, & prandium pro anniverſario, & tenet non deberi augmentatis ultra numerum exiſtentem tempore teſtamenti, quod ante eum tenuit Baldus, qui loquitur *in anniverſariis*, *d. l. non modus*, *Cod. de ſervitutibus & aqua*, & eis non relatis tenet Alvarado *de conjecturata mente teſtatoris lib.* 2. *cap.* 2. §. 1. *num.* 38. ubi ponit exemplum in eo qui reliquit, quid certum unicuique Clerico Eccleſiæ ſuæ, vel annuam charitatem de pane & caſeo, more ruſticorum, ut ipſe inquit, & ibi dicit ita tenere omnes Doctores poſt Albericum *d. l. non modu*, & ibi Ant. Meneſius, Padilla *num.* 3. alios referens.

8 Sed contra hoc tenet Alex. *conſ.* 178. *volum.* 2. ubi defendit quod locatores Datii qui convenerunt eo appoſito, quod non perciperent Datiam ex ſexdecim de quodam collegio non poſſunt percipere à ſeptem qui fuerunt aucti illis ſexdecim.

Et confirmatur ſententia Alexandri ex traditis à Paulo Caſtr. *conſ.* 17. *incipienti cauſa*, *quæ vertitur in fine*, & Abbate *in cap. quanto*, *de cenſibus*, qui tenent, quod ſi fornarius ſe obligavit coquere
9 panem alicujus familiæ pro decem in anno, & augeatur familia, quod tenetur adhuc coquere pro auctis nec poteſt petere majus ſalarium, quod etiam tenet Hippolytus *ſingular.* 134. ubi inquit eam eſſe rationem, quod ſi familia ad pauciores deveniſſet, & eſſet diminuta per mortem vel abſentiam, fornarius non deberet minus ſalarium percipere, & ſic tanquam pendens à fortuna in caſu quo augeatur non poteſt conqueri: in his enim quæ pendent à futuro eventu, nulli fit injuria,
10 ut diximus *ſupra*, *cap.* 7. *numero* 61. & ſic in his fortuitis nec minori ſuccurritur, *l. verum*, §. *ſciendum*, *digeſtis de minoribus*, ibi: *Neque enim eventus damni reſtitutionem indulget*, *ſed inconſulta facilitas.*

Sed in hac difficultate ſubtilis Cepola *de ſervitut. urban. capit.* 50. *de furno num.* 21. ubi latè examinat quæſtionem, diſtinguit in hunc modum. Quod 11
aut promiſſio fuit facta ſub nomine univerſali, ut familiæ meæ, & tunc teneatur pro augmento, ex quo nomina univerſalia recipiunt augmentum, & diminutionem, *l. peculium in principio*, *de legat.* 2. cum aliis aut eſt facta promiſſio ſub nomine particulari, ut ſi promiſſio ſit facta mihi & duobus filiis meis, & tunc non tenetur ultra perſonas nominatas, *ut in l. in agris*, *de acquir. rerum dominio*, atque ita inquit intelligendum eſſe textum *in l. non modus C. de ſervitutibus*

Aut promiſſio eſt facta ſub nomine generali, mihi & omnibus liberis meis, & tenet idem, quod in univerſali, aut eſt facta promiſſio nomine indefinito, ut ſi promittat mihi & liberis meis & tunc inquit tacite cenſeri actum de filiis exiſtentibus tempore contractus, quia de futuris in dubio non videtur actum ſecundum propriam ſignificationem verborum, ut probatur *l. ſervitus digeſtis de ſervitut. urban.* & tandem inquit, quod iſta eſt ſatis difficilis materia, & ejus deciſionem ſubjicit correctioni melius ſentientis.

Sed certè ſubtilis Doctor eleganter loquutus eſt, atque ita Alex (qui appellatur lucerna ardens, in Cathedris juris civilis in ſuo eleganti *conſilio* 178. *volumine ſecundo*) eadem utitur diſtinctione non relato Cepola, & inquit, quòd in caſu à ſepoſito *in dict. conſil.* ea ratione contractus extenditur ad ſeptem cives auctos in Collegio, quia immunitas fuit conceſſa officio ſexdecim, & omnibus qui eſſent de illo Collegio, qui emerent vel contraherent, & ſic per nomen collectivum univerſale, quod comprehendit augmentum ſuperveniens de futuro, ut *in dict. l. peculium*, *de legat.* 2. *& l.* 12
*grege*, *digeſtis de pignoribus*, *& l. penultimæ*, *digeſtis de fundo inſtructo*, & ſcias, quòd nomina collectiva univerſalia ſunt ea, quæ præferunt quid diverſum ab ipſis rebus comprehenſis ſub nomine, nec ſumunt nomen ab ipſis rebus ſignificatis, ut ſunt hæc nomina *Univerſitas*, *Collegium*, *peculium*, *grex*, *& ſimilia*, de quibus *in l. proponebatur*, *digeſtis*, *de judiciis*, *& in l. ſicut*, §. *in decurionibus*, *digeſtis quod cujuſque univerſitat. nomine*, *l. peculium* 41. *digeſtis de peculio*, *l. ſi grege*, *de legat.* 1. de quo optimè Barboſa *in Rubr. ſoluto matrimonio* 3. *part. n.* 7. *&* 8. ubi, quod in his veniunt aucta, ſecus autem in collectivis nominalibus, quæ ſunt nomina, quæ capiunt nomen ab ipſis rebus comprehenſis, ut argentum & veſtis.

Quod ſecus eſſet ſi nomine particulari ſeu inde- 13
finito uteretur: quia ſi particulari, non extenditur ultra perſonas nominatas: ſi indefinito ultra exiſtentes tempore promiſſionis, ut tradit Alexand. *num.* 10. *&* 20. *dict. conſil.* 178. *volumin.* 2. Ex quo infertur, quòd ſi anniverſarium relinquatur Clericis certi loci, & ſic per verba indefinita, ſi aucti fuerint Clerici, non debetur augmentatis ultra numerum, qui erat tempore teſtamenti, ut tradunt Doctores per textum *ibi*, *in l. non modus*, 14
*Cod. de ſervitut. & aqua*, & ex Petro Cino ibi, ita tradit Alex. *dict. conſil* 178. *numer.* 20. ubi ponit exemplum in eo, qui promiſit Canonicis per verba indefinita, atque ita dicit intelligendam eſſe *dict. l. non modus.*

Infertur etiam ex hoc intellectu ad textum ſin- 15
gularem *in capit. cum Capella*, *de privilegiis*, ubi exemptio à juriſdictione ordinaria conceſſa à Romano Pontifice Canonicis Capellæ Burgundiæ, non extenditur ad cauſas non tangentes ipſam Capellam, quod ea ratione procedit, quia exemptio fuit conceſſa indefinite, non autem univerſali nomine, ita intelligit Alexand. *dict. conſil.* 178 *num.* 20. quem intellectum, licet aliis utatur verbis *ad dict. capit. cum Capella*, ſignat Covarruvias practicarum, *quæſt.* 11. *numero* 5. ubi inquit, quod Capellani non univerſaliter fuerunt exempti, ſed quatenus operam dederint Capellæ, ut ejus miniſtri, quia illa exemptio non eſt generalis & abſoluta: Sicque reſtringenda ex mente pronuntiantis ad res tangentes Capellam. Eſt enim indefinitè conceſſa exemptio.



16 Sed contra prædicta fortiter obſtare videtur textus *in capit. quia circa*, *de privileg.* ubi probatur, quod ſi Epiſcopus remiſerit decimas Epiſcopales indefinitè, non ſolum videtur remiſiſſe præteritas, ſed etiam futuras, & ponderat textus, ibi ad deciſionem, quòd Epiſcopus per verba indefinita remiſerit, quaſi parem vim habeant, ac ſi univerſali oratione eſſent prolata, pro quo etiam facit communis traditio, quod indefinita æquipollet univerſali, quam ponit gloſſa in capit. ut circa, *verb. aliorum*, *de electione*, *lib.* 6. ubi, quòd ea traditio procedit ſecundum Juriſtas, & Logicos, *text. in l.* 1. ubi Doctores, *digeſtis de regulis juris*, Bart. & Doctores, *in l. ſi ita de legat.* 2. *in principio*, *capit. ſi Romanorum* 19. *diſtinctione.*

In qua difficultate, Alexand. *ubi ſupra* inquit, quòd text. *in dicto capit.* quia loquitur in beneficio, quod debet favorabiliter interpretari, *capit. cum dilecti*, *de donatio.* cum qua interpretatione, poſt gloſſam ibi tranſit Panormitan. *num.* 5. Felinus *cap. cauſamque*, *num.* 12. *de reſcriptis*, Crotus, *l. omnes populi*, *num.* 153. *de juſtitia & jure*, Fortunius, *l. Gallus*, §. *& quid ſi tantum*, *numero* 166. Alciatus, *l. verbum erit*, *num.* 7. *digeſtis de verborum ſignificatione.* Et dicit eum receptum intellectum Covarruv. *practicarum*, *capit.* 2. *num.* 1. *ad fin.* ſequitur Barboſa, *l. divortio*, §. *quod in anno*, *numero* 16. *ſoluto matrim.* ubi addit, quòd ibi donatio non erat nimis præjudicialis.

Sed licet juvetur is intellectus ex verbis text. ibi: *Ac in beneficiis pleniſſima eſt interpretatio facienda*, non eſt ſufficiens ratio, niſi adjungamus aliam rationem, quam tradit Covarruv. *lib.* 1. *variarum*, *cap.* 13. *num. fin. verſ. decimo quinto*, ubi addit, quod *in dict. cap. quia circa*, Epiſcopus voluit remittere jus ſibi competens ad decimas monaſterii, nihilque ſibi reſervare. Et ſic text. attentamente concedentis, comprehendit decimas poſſeſſionum temporis futuri: ex interpretatione enim indefinita æquipollet univerſali, non autem ex propria ſignificatione, ut dicit Bart. *l. qui ædificium*, *digeſtis de ſervitut. urbanorum.* Sicque in caſu illius, textus, *capit. quia circa*, interpretando mentem Epiſcopi, verba indefinita admittuntur in
17 univerſum. Nec mirum ſiquidem à proprietate vocabuli recedendum eſt, ut impleatur intentio proferentis, *l. ſi uno anno*, *in principio*, *digeſtis locati*, ubi verbum donationis, ſumitur in improprium ſignificatum, ibi: *Quaſi non ſit donatio*, *ſed tranſactio.* Et ſic verbum, *dare*, quod ex ſe importat dominii tranſlationem, ut *in l. ubi autem*, *non apparet* §. 1. *digeſtis de verborum obligation.* §. *ſic itaque*, *inſtitut. de actio.* ſi proferatur in contractibus, de quorum natura eſt, ſola traditio non importat dominii tranſlationem, *l. ſi ſtipulatus* 4. *ff. de uſuris.*

Sic, verbum, trado, quod ex ſe non importat dominium, nec dominii tranſlationem, propter ſubjectam materiam, ſumitur pro dari, ſi proferatur in materia, quæ requirit tranſlationem dominii, *l. in conventionalibus*, §. *fin.* ſecundum unum intellectum, *digeſtis de verborum obligation.*

Sic verbum, tutorum, ſumitur pro verbo, curatorum, *in l. pater Severinam*, §. *conditionum*, *digeſtis de condition. & demonſtrat.* & habes alia exempla, *l. inſulam*, *digeſtis præſcript. verbis*, *l. Lucius*, *la.* 1. *digeſtis depoſiti*, *l. ſi alienam in fine*, *l. ubi ita donatur*, *digeſtis de donat. cauſa mort.* & cum verba debeant ſervire intentioni, ut tradit Tiberius *conſ.* 1. *num.* 1. *numer.* 176. *volum.* 1. ubi refert pulchra verba Ciceronis, quem ad id videas. Quando conſtat de voluntate teſtatoris, vel contrahentis, receditur à proprietate vocabuli, *l. non aliter*, *digeſtis de legatis* 3. cum aliis à me relatis, Aymon. *conſ.* 245. *num.* 6. *& conſ.* 301. *num.* 3. Molina *lib.* 1. *de primogen. cap.* 4. *numero* 20 & Avendañ. *reſpon.* 12. *numero* 1. Leon. *reſpon.* 34. *num.* 6. Burgos de Paz, *conſ.* 19. *num.* 6. Tiraquell. *l. ſi unquam*, *verbo*, *revertatur*, *numero* 37. Velaſcus *Jur. emphit. quæſt.* 25. *num.* 19. Antonius Gomez, *l.* 50 *Tauri*, *num.* 4 *verſic.* Tertio facit Didacus Perez, *l.* 1. *titul.* 7. *lib.* 5. Ordinam. *pagin.* 175.

Et eodem modo declaratur textus *in l. ſi ſervitus*, *digeſtis*, *de ſervitutibus urban.* ubi conſtituta ſervitute ne luminibus officiatur, & ſic indefinitè intelligitur in univerſum, ne luminibus officiatur præſentibus nec futuris: ſumitur namque ea interpretatio contra propriam indefinitè orationis ſignificationem ex ſubjecta materia, & mente contrahentium, quia non videtur, qui ita ſibi cavet præcludere ſibi viam faciendi alias feneſtras, vel ampliores, uti explicat Alciatus, *l. verbum erit*, *digeſtis de verborum ſignificatione*, Joannes Corraſius *in Rubric. de ſervitutibus*, *numer.* 31. quos refert & ſequitur Covarruv. *dict. lib.* 1. *variarum*, *cap.* 13. 18
*num.* 9. *verſ. ſeptimo colligitur*, quo loco latè Covarruv. diſputat, an indefinita univerſali æquipolleat, & reſolvit, quod non niſi in cauſa neceſſaria, aut ex ſubjecta materia, vel ſi ſint prolata in ſtatuto, aut per verba negativè concepta, quem ſemper videas in materia.

## CAPUT XVII.

**Si quis relinquat certos redditus Clericis, ut Canonicis, Portionariis, ſeu Capellanis Eccleſiæ Toletanæ, vel Parocho, & beneficiatis alicujus Eccleſiæ pro anniverſario, & in celebratione, non adſint omnes, relictum ſit dandum intereſſentibus, vel unicuique rata relicti.**

### *SUMMARIUM.*

1 *Diſtributiones anniverſariorum, tantummodo dantur interceſſionibus, & habentur ad inſtar diſtributionum quotidianarum Cathedralium Eccleſiarum.*

2 *Idem ſervatur in portione panis relicti: & idem de cereis, & candelis, ſive dentur pro anniverſario, ſeu pro ſeptimo, vel nono, vel triceſimo die.*

3 *Limitantur prædicta, quando aliquid certum relinqueretur cuilibet Clerico.*

4 *Si quantitas non ſeparatim ſed conjunctim relinquatur Clericis loci, vel alicujus Eccleſiæ, pars deficientium intereſſentibus accreſcit.*

5 *Si fundator Eccleſiæ juſſit dare, quotannis patrono candelam in die Purificationis & mortuo patrono remaneant plures filii: licet ad omnes tranſeat jus patronatus, non omnibus eſt danda candela.*

6 *Qualiter tribuatur filiis res indiviſibilis.*

7 *Expenditur conſtitutio Synodalis Archiepiſcopatus Toletani, inter conditas ab Illuſtriſſimo Cardinali de Sandoval.*

8 *Indecens eſt Clericos intereſſentes divinis exire à Choro, dum Concionator prædicat.*

S*TATUIMUS, ut diſtributiones ipſæ quotidianæ in quibuſcunque rebus conſiſtant Canonicis, ac aliis beneficiatis & Clericis, Eccleſiarum ipſarum, qui eiſdem officiis in ipſis Eccleſiis adfuerint, tribuantur, juxta Eccleſiæ cujuſlibet ordinationem rationabilem, jam factam ſeu etiam faciendam de diſtributionibus, etiam pro defunctorum aniverſariis largiendis, idem decernimus obſervandum.* Verba ſunt Bonifacii VIII. Romani Pontificis, quæ leguntur *capit. unico, de Clericis*
1 *non reſidentibus, lib. 6.* Ex quibus ſatis colligitur diſtributiones anniverſariorum dari ſolum intereſſentibus anniverſariis, nec lucrari eas abſentes, vel alii, qui non interfuerunt, adinſtar diſtributionum quotidianarum Eccleſiarum Cathedralium, & aliarum collegiatarum.

Data namque intereſſentibus anniverſariis, habentur loco diſtributionum quotidianarum, ut
2 poſt Lappum *allegatione* 42. tradit Rebuffus *in concordatis titul. de collationibus* §. 1. *verb. diſtributionum*, ubi idem dicit ſervandum in portione panis. Et Geminianus *in dict. cap. unico, verſ. fin.* inquit, quod idem de cereis, vel candelis, quæ dantur Canonicis, qui perſonaliter vadunt ad funerandum corpus defuncti, & quod idem ſi non ſint diſtributiones pro anniverſario, ſed pro ſeptimo vel nono, vel triceſimo, vel alio die, quo caſu idem inquit ſervandum per textum *in cap. quia alii* 13. *quæſt.* 2. *capit. fin. de teſtamentis, lib. 6. capit. ex parte, de verborum ſignificatione*, ex quo in omnibus eadem ratio verſatur, ſicque idem jus juxta juris regulas.

3 Quod tamen limita quando in anniverſario aliquid certum juberetur dari cuilibet Clerico ſeu Canonico: nam eo caſu, licet abſentes non lucrentur portiones eorum aliis intereſſentibus non accreſcunt, ita tradit Rebuff. *ubi ſupra.* Ex quo enim quantitas, ſeparatim relinquitur, non eſt locus juri accreſcendi, quia unicuique cenſetur relictum de per ſe, tradit Bart. *l. reconjuncti, de leg.* 3. quam ſententiam dicit communem eſſe opinionem ibi Rippa *num.* 26. & ibi Crotus *numero* 22. Bolog. *numer.* 75. idem juris eſt de conjunctis in diſtributionibus, quod de conjunctis in legato, ut tradit Rebuffus, *cap. extirpandæ, §. qui vero, verb. ſexta concluſio, de præbendis pag. mihi* 373.

4 Secus tamen eſſet, ſi quantitas non ſeparatim, ſed conjunctim relinqueretur Clericis loci, vel alicujus Eccleſiæ Canonicis, vel aliis pro anniverſario celebrando, nam tunc pars deficientium cæteris intereſſentibus accreſcet, ex quo conjunctim, & eadem ratione eſt eis relictum, uti in aliis legatis tenet Bart. *dict. l. reconjuncti*, ubi dicit, communem eſſe ſententiam, & ibi Jaſ. *num.* 57. Rippa *num.* 26. Crotus *num.* 23. Bolognius, *conſ.* 154. ſequitur hanc diſtinctionem Michael Craſſus, *lib. ſententiarum, §. jus accreſcendi, num.* 14. & 15. & hoc eſt quod voluit Rebuffus *dict. titul. de collationibus, verſ. quod intellige* limitans deciſionem, *cap. unici de Clericis non reſident. libr.* 6. quando in anniverſario relinqueretur certum quid cuilibet Canonico ſeu Clerico, & ita intelligas: nam tali caſu nec augeri nec minui debet, eo quod perſonæ creverint vel minuantur.

Ex quo infero ad eam quæſtionem quando fundator Eccleſiæ juſſit dari patrono quotannis candelam in die Purificationis beatæ Mariæ Virginis, vel alio die: nam ſi mortuo patrono plures filii remaneant. & ſi ad omnes ex juris diſpoſitione tranſeat juſpatronatus inſolidum, ut *in cap.* 1. ubi gloſſ. & DD. *de jurepatronatu*, non tamen omnibus eſt danda candela, ſed alternis annis illa fruentur hæredes, exemplo ejus quod dicitur *in Clem.* 2. *de jurepatronatu*; ibi: *Et ut facilius pro* 5
*videatur Eccleſiis; non inconveniens reputamus patronos ipſos inter ſe poſſe libere convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præſentando:* quem text. dicit notabilem Roland. *conſ.* 80. *num.* 30. *vol.* 1. Sicque fuiſſe pronuntiatum à Senatu Neapolitano, tradit Vincent. de Franch. *deciſ.* 85. *ubi. num.* 3. quod eo caſu primo anno eſt tribuenda candela primogenito, ſecundo verò ſecundogenito, & ſic de aliis, ut primogenitus tanquam dignior præferatur, per textum *in l. fin. ff. de fide inſtrumentorum*, ibi: *Semper Seniorem Juniori*, tradit Tiraq. *de jure primog. in præfat. ex num.* 75. & in materia juriſpatronatus, Paul. de Citadid. *tractatu de jurepatron* 6. *part. quæſt.* 3. *verſ. quinto ſi eſſent*, & conducunt tradita à Roderico Suarez, *l. quoniam in declaratione, l. Regni* 2. *dubio, num.* 8. *pag. mihi* 188. ubi de fratribus, qui alternis menſibus utebantur juriſdictione, & conſervati ſunt pacificè per decem & ſeptem annos, quod eſt laudabile. 6

Sed quia diximus, quod ſi cuilibet ex Clericis relinquatur certa pitança, ſeu quantitas pecuniæ pro anniverſario, non eſt locus juri accreſcendi inter eos: difficilis redditur conſtitutio Synodalis 7
Archiepiſcopatus Toletani inter conditas ab Illuſtriſſimo Cardinali de Sandoval *in titul. de ſepulturis, §. De las fieſtas votivas*, ibi: *Con que ſi tal Cura, ó Beneficiado no eſtuviere preſente al ſermon, no gane el medio real, y pierda el punto de la Miſſa, y el real ſe reparata por accreſcentia à los que al Sermon ſe hallaren præſentes*: ubi cum ſit certa quantitas cuilibet præbendato aſſignata, portio deficientis cæteris accreſcit. Sed cum ea deciſio ſit exorbitans à jure communi, dicendum eſt ſpeciali ratione fuiſſe inductum, ut invitarentur Clerici intereſſentibus celebrationi anniverſarii, ad audiendum verbum Dei, ex quo aliquando ſolent exire à Choro, dum concionator prædicat, quod indecens eſt, & conducit illud Actuum Apoſtolorum, *capit.* 6. ibi: *Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei.* & quod hæc fuerit cauſa diſpoſitionis, colligitur: nam non ſolum admittitur dimidium argenteum, quod ſignatur pro ſermone, ſed etiam dimidium Miſſæ, cui interfuit Clericus.

CAPUT



## CAPUT XVIII.

### An poſſit conſtitui cenſus ſuper rebus affectis onere anniverſarii.

*SUMMARIUM.*

1 *Dos Eccleſiæ debet eſſe libera à præſtatione cenſus, & numero* 15.

2 *Quod relinquitur pro anniverſario Clericis, Eccleſiæ cenſetur relictum, & num.* 4.

3 *Limita, ſi relinquatur Clerico conſanguineo, vel valde amico.*

4 *Relictum civibus, cenſetur civitati relictum.*

5 *Onus anniverſarii, cenſetur veluti quædam ſervitus, ſed contra, num.* 16.

6 *Poſſidens fundum ſervientem non poteſt facere, per quod jus ſervitutis efficiatur deterius, neque per quod inferatur damnum ei, cui debetur ſervitus.*

7 *Ex dilatione ſolutionis infertur damnum anniverſario celebrando, quod contingit concurrentibus in diſtributione bonorum.*

8 *Expenditur textus* in cap. fin. *ut lite pendente.*

9 *Non dicitur facere, vel adimplere, qui non facit tempore congruo.*

10 *Expenditur gloſſa*, l. tale pactum, ff. de pactis, *quæ procedit in omni materia.*

11 *In ultimis voluntatibus veroſimilia habentur pro expreſſis.*

12 *Reſolvitur poſſidentes res affectas onere anniverſarii, poſſe ſuper eas cenſum imponere.*

13 *Poſſidens fundum, domum vel aliam rem emphyteuticam, poteſt ſuper eam cenſum imponere, & etiam ſervitutem.*

14 *Durabit tamen ſervitus in tali re per tempus, quod duraverit emphyteuſis.*

15 *Intelligitur text.* in cap. 1. de cenſibus, *& ſup. à num.* 1.

16 *Verius eſt contra Padillam per onus anniverſarii non cenſeri impoſitam ſervitutem.*

17 *Declaratur communis traditio, quæ habet, quòd non poteſt quis facere, per quod præjudicetur ſervituti debitæ.*

18 *Permittitur facere quod uni prodeſt, & alteri non nocet.*

19 *Sufficit, quod anniverſarium ſit bene fundatum*

20 *Oneroſus creditor non eſt ferendus.*

21 *Non debet quis eſſe nimis curioſus rerum ſuarum tuendarum, ita ut alii noceat.*

S*ANCITUM eſt, ut unicuique Eccleſiæ unus manſus integer abſque ullo ſervitio tribuatur.* Verba ſunt deſumpta ex Concilio Guarmaciano relata, *cap.* 1. *de cenſibus.* Ex
1 quibus colligitur, quòd patrimonium Eccleſiæ debet eſſe liberum à præſtatione cenſus. Quod autem
2 relinquitur Clericis pro anniverſario, Eccleſiæ cenſetur relictum, *cap. requiſiſti de teſtamentis*, ubi relictum à teſtatore Epiſcopo pro anima, cenſetur Eccleſiæ relictum, niſi relinquatur Epiſcopo ſeu
3 Sacerdoti conſanguineo, ut *in dict. cap. requiſiſti, & l. tutor, §. quæ tutoribus, digeſtis de excuſation. tutorum*, Tiraquell. *l. ſi unquam, verb. donatione* Perez de Lara *de Anniverſ. largitus, numer.* 74. *Cod. revocan. donat.* & tradit Petrus Surdus, *conſ.* 72. *num.* 5. ubi idem dicit: Si relinquatur Clerico valde amico, & refert plures, & ante eum Covarruv. *d. cap. requiſiſti, num.* 7. & hoc quia cauſa naturalis accidentali præfertur; *l. qui habent, digeſtis de tutelis, cap.* 2. *de converſione infidelium*, Aym. *conſil.* 318. *numero* 4. & *infra lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 70. Quemadmodum, & 4
relictum civibus, cenſetur civitati relictum, *l.* 2. *digeſtis de rebus dubiis*, ubi Socinus idem dicit de Clericis & Eccleſia refert, & ſequitur Surdus *ubi ſupra.* Eſt enim hujuſmodi anniverſarii onus, velu- 5
ti quædam ſervitus, ſi credimus Meneſio, *in l. prædia, num.* 11. *C. de fideicommiſſis*, Salazar *de uſu & conſuetudine, cap.* 11. *numero* 6. & 12. At 6
qui poſſidet fundum ſervientem, non poteſt in eo facere, per quod jus ſervitutis efficiatur deterius, tradunt omnes *in l. fluminum, §. fin. digeſtis de damno infecto*, Berojus *conſil.* 159. *numer.* 14. *libr.* 3. Hippolytus Riminaldus *conſil.* 86. *numero* 14. *lib.* 1. neque aliquid per quod inferatur damnum ei cui debetur ſervitus Bart. *l. ſi cui ad fin. digeſtis de ſervitutibus*, Aym. *conſ.* 226. *poſt medium.* Si autem cenſus imponatur ſuper re affecta onere anniverſarii, non eſt dubium quin damnum ſequatur anniverſario: ſaltim quando creditores inſtant ad petendum ipſis ſolvi redditus decurſos, quo caſu detinetur ſolutio, quouſque jura creditorum examinentur & graduentur, ſecundum cujuſque prærogativam in via ordinaria, juxta deciſionem, *l.* 41. *titul.* 4. *lib.* 3. *novæ Recop.* Retardare autem 7
ſolutionem, damnum eſt, cum minus ſolvat, qui tardius ſolvit, nam & tempore minus ſolvitur ſolidum, *digeſtis de ſolutionibus.* Quod maximè procedit in anniverſariis, quia ſi non ſolvitur pitança Clericis, non cantabunt, nec ſuffragia fient, in detrimentum animarum: quod admitti non debet, argum. *cap. fin. ut lite pendente lib.* 6. *ibi.* Ne prop- 8
ter novos adverſarios litigia in Eccleſiarum diſpendium prorogari contingat. Neque ultima teſtatorum elogia in eo, quod plus eis convenit exitum habebunt, contra *l. vel. negare, digeſtis quemadm. teſtam. aper.* ſaltim tempore congruo & à teſtatoribus diſpoſito. Et non dicitur facere vel adimplere, 9
qui non facit loco & tempore congruo, *l. acceptam. C. de uſuris.*

Pro quo etiam facit ratio gloſſæ *l. tale pactum*, 10
*digeſtis de pactis*, nam certe teſtatores reſpondiſſent, ſe nolle permittere quid facere in re ab eis relicta pro anniverſario ſi ex ea poſſet ſequi aliqua dilatio in anniverſarii implemento, cujus gloſſæ ratio procedit in omni materia, ut tradit Cacheranus Oſaſci *deciſ.* 64. *numero fin.* Alex Raud. *conſ.* 21. *num.* 108. maximè in ultimis voluntatibus, in quibus veroſimilia habentur pro expreſſis *l. Titius*, 11
*§. Lucius, digeſtis de liber. & poſthum.* Gamma *deciſ.* 224. *numero* 14. Beccius *conſil.* 93. *num* 3.

Sed his non obſtantibus contrarium eſt verius, 12
quod poſſidens domum, fundum, vel aliam ſeu alias res immobiles cum onere anniverſarii (modo non vinculatas) poſſit ſuper eam, eaſve, cenſum imponere, nam ſi ei licet alienare, ut dictum eſt ſupra, *cap.* 2. *cur debet*, quod minus eſt non licere, contra juris regulam, cui licet, *de regul. jur. l. non debet, digeſtis eo titul.* maximè cum utroque caſu maneat ſemper ſalvum onus anniverſarii, ex *l. nihil proponi, de legat.* 1. cum aliis ſimilibus.

Pro quo facit, quod poſſidens domum, fun- 13

I dum

dum vel aliam rem emphitheuticam, ( cujus totum directum dominium reſidet penes dominium, ut per totum titulum, *Cod. de jure emphytheutico.* Et qui non poteſt alienare irrequiſito Domino *l. fin. Cod. eo*, ) poteſt ſuper eam cenſum imponere, tradit Folerius *de cenſibus, verb. hujuſmodi cenſus, num.* 21. Redoanus *de rebus Eccleſiæ, Rubric. de conſtitutione annui cenſus, numero* 35. ſequitur Felicianus de Solis *libro ſecundo, de cenſibus, capite quarto, num. decimo quinto.*

Et quod plus eſt etiam ſervitutem, gloſſ. *in l.* 3. *ff. de ſervitutibus*, quam ibi ſequuntur Baldus, Paulus & Florianus, & dicit communem eſſe opinionem Corraſius *ibi, numero* 2. eandem opinionem ſequuntur Bart. *l.* 1. §. *fin. digeſtis de ſuperficiebus*, Baldus *capit.* 1. §. *qui ergo, numero* 3. *de inveſtitura de re aliena facta*, Alvarotus *ibi, num.* 1. Zaſius, *l. finali, numero* 117. *Cod. de jure emphytheutico*, dicit commumem. Cepola *de ſervitutibus urbanorum prædiorum, capit.* 14. *numero* 2. & eam tenet Guillelmus de Cuneo. *l. & in provinciali, Cod. de ſervitut.* & ibi Baldus *num.* 3. Salicetus *num.* 1. Paulus de Caſtro, *num.* 2. quos refert & ſequitur ibi Padilla *num.* 6. Pinellus, *l.* 1. *C. de bonis mater.* 2. *part. num.* 70. Molina *lib.* 1. *de primog. cap.* 10. *num.* 2. Solis *de cenſibus lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 16.

14 Et licèt non plus duret cenſus ſeu ſervitus in tali re, quàm duraverit emphytheoſis conſtituenti. ex textu *in capit.* 1. §. *quid ergo de inveſtitura de re aliena facta*, & dicit communem opinionem Padilla *ubi ſuprà num.* 10. quia reſoluto jure dantis, reſolvitur jus accipientis, *l. lex vectigali, digeſtis de pignor. l. peto*, §. *prædium, de leg.* 2. cum aliis, tamen imponere eam poteſt, ſalvo jure directi dominii, prout & pignorare poteſt eo jure ſalvo, *l. tutor*, §. *fin. de pignorat. actione, & donatione*, ex gloſſ. *in d. l. fin. verbo, aliis vendere, Cod. de jure emphyteutico*, quam ſequuntur ibi omnes, & dicunt communem Jaſon. *in l. ſi domus*, §. *fin. num.* 60. & Alex. *numer* 6. *de legat.* 1. multo ergo magis poterit facere poſſidens rem affectam onere anniverſarii, qui & alienare poteſt ſuo arbitrio, ut dictum eſt *cap.* 2.

15 Neque obſtat textus *in cap.* 1. *de cenſibus*, nam loquitur in termino terræ, quod olim dabatur pro dote Eccleſiæ conſtructæ, quod voluit Pontifex dari liberum à ſervitio & præſtatione temporali, ne dicatur quod Eccleſia ſervitium præſtat, ſecus autem eſt in caſu noſtro, ubi non Eccleſia, ſed alius poſſidet rem affectam onere anniverſarii, qui ejus Dominus eſt cum onere, quia etiam ſi ſit affecta onere anniverſarii, adhuc manet in ſua temporalitate, ut dixit Valaſcus *conſultatione* 60. *num.* 12. & dicemus *ſupra cap.* 5. *numer.* 61. *& infrà lib.* 2. *cap.* 1. *numero* 13. *&* 34. *&* 40. *&* 41.

16 Neque obſtat, quod poſſidens non poteſt facere, per quod ſervitus efficiatur deterior, quia ultra, quod per impoſitionem annuæ præſtationis ad anniverſarium non cenſetur ſervitus impoſita, uti contra
17 Padillam tradit latè Solis *de cenſibus, lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 21. Et ſi fateremur conſtitui jus ad inſtar ſervitutis, ut voluit Padilla, *dict. l. prædia num.* 11. *Cod. de fideicom.* illa communis traditio, quod non poteſt quis facere, quid per quod præjudicetur ſervituti debitæ, ( de qua per DD. *in l. fluminum*, §. *fin. digeſtis de damno infecto* ) procedit quando quod agitur infert damnum ei cui debetur ſervitus, quod jus prohibet, Bart. *l. ſi cui ad finem, digeſtis de ſervitutibus*, Aym. *conſ.* 226. *num.* 4. Sed 18
quando prodeſt facienti, & non nocet habenti ſervitutem, bene poteſt fieri, gloſſ. *fin. in l. ſi cui, digeſtis de ſervitut. l.* 2. §. *penultimo, digeſtis de relig. & ſumpt. & per regulam, l.* 2. §. idem Varrus, *digeſtis de aqua pluvia arcenda*, tradit eleganter Barboſa, *l.* 2. *in principio* 2. *part. numer.* 35. *&* 36. *ſoluto matrimonio.*

Sicque cùm licèt cenſus imponatur in re, quam quis poſſidet cum onere anniverſarii, maneat ſalvum jus anniverſarii, non eſt cur prohibeat impoſitio cenſus.

Neque obſtat, quod retardatur ſolutio inſtantibus creditoribus, quia ſufficit bene impoſitum eſſe jus anniverſarii, *argum. text. in l. ſi bene, ff. de uſu-* 19
*ris*, abſque eo quod inſpiciatur, quod contingere poteſt: quia nimis delicatus, nec oneroſus credi- 20
tor non eſt ferendus, *l. ſi ſervos* 25. *ff de pignorat. action.* Nec debet quis eſſe nimis curioſus rerum 21
ſuarum tuendarum, ut per hoc alii injuſtè noceat, ut *in l.* 2. §. *item* Varrus *ff. de aqua pluvia arcenda*, ut eſſet ſi auferretur hæc poteſtas poſſidenti res affectas onere anniverſarii.

## CAPUT XIX.

### An bona emphyteutica poſſint relinqui pro anniverſario Miſſarum, vel alterius piæ cauſæ?

*SUMMARIUM.*

1 *Res emphytheutica non poteſt alienari in potentiorem.*
2 *Perſonæ potentiores dicuntur, quæ ſunt magis privilegiatæ & difficilioris conventionis.*
3 *Et ſic non poteſt alienari in Eccleſiam, Clericum, militem, civitatem, equitem Hieroſolymitanum, curialem, vel alium privilegiatum.*
4 *Aniverſaria ſunt privilegiata.*
5 *Anniverſarii onus non poteſt imponi ſuper re emphytheutica, ſed contra*, num. 9.
6 *Bona feudalia non poſſunt pro anima relinqui.*
7 *Optimum eſt argumentum de feudo ad emphytheoſim, quando deciſio feudalis non repugnat juri communi.*
8 *Vaſſallus, neque emphytheota poſſunt legare pro anima res feudi, vel emphytheuticarias.*
9 *Si bona relinquantur ſimpliciter cum annivarſarii onere, licet ſint emphytheutica, tenet relictum.*
10 *Ut ſuper re emphytheutica poteſt cenſus imponi, & ſervitus conſtitui, ita & anniverſarium, & quando ceſſavit cenſus ſeu anniverſarii onus.*
11 *Per ceſſationem ſolutionis non ſolum emphyteheota privatur, ſed etiam is qui ab eo cauſam habet.*
12 *Bona empheyteutica non poſſunt relinqui pro anniverſario cum prohibitione alienationis, & num. ſequenti.*
13 *Nemo debet alienam ſpem decipere, & ob id non poteſt res emphytheutica vinculo ſupponi, quia deciperetur Dominus ſpe decimarum, ſeu alterius laudemii.*
14 *Si res emphytheutica relinquatur pro anniverſario cum prohibitione alienationis, relictum non vitiatur, imo res eſt vendenda capaci, qui laudemia ſolvat, & pretium eſt dandum pro anniverſario.*
15 *Gravatus dare rem emphytheuticam pro anniverſario, ſi noluerit vendere, adimplebit dando juſtam æſtimationem.*
16 *Intelligitur conſilium Alexandri* 19. vol. 6. *& ponitur differentia, feudi antiqui, & novi, qui non habet antiquam naturam feudi.*
*Ex actu inito contra legem non poteſt intereſſe prætendi.*
17 *Res emphytheutica, quæ in Eccleſiam tranſire non poteſt, eſt æſtimanda, & pretium dandum Eccleſiæ.*
18 *Dominus directus poteſt rem emphytheuticam relinquere pro anniverſario.*
19 *Inſtar furti eſt de alieno largiri.*
20 *In dubio quis videtur relinquere jus, quod habet in re.*
*Expenditur* l. in re mandata, Cod. mandati, *& ponitur theorica ad ejus regulam.*
21 *Alius Dominus directus conſtitui poteſt emphytheotæ, eo invito, quemadmodum alius pro alio creditor conſtitui poteſt.*
*Super cenſu debito ex contractu poteſt ſubjugatio conſtitui.*
22 *Dominus poteſt rem feudalem relinquere pro anima, licet vaſſallus non poſſit.*



1 *SI N autem duorum menſium ſpatium fuerit emenſum, & Dominus hoc facere noluerit, licentia emphytheutæ datur ubi voluerit, & ſine conſenſu Domini meliorationes ſuas vendere, his tamen perſonis, quæ non ſolent in emphytheuticis contractibus vetari, ad hujuſmodi venire emptionem.* Verba ſunt Juſtiniani Imperatoris, relata, *l. fin. verſ. ſin autem, C. jure emphytheutico.* Ex quibus verbis deſumunt Doctores *ibi, & capit. potuit, de locato*, non poſſe fieri alienationem in potentiorem per emphytheotam, Corbulus plures referens in tractatu de cauſis: ex quibus emphytheutica ſuo jure priv. *c. de cauſa privationis ob alienationem, ampliatione* 12.

2 Perſonæ autem potentiores, ut in eas non poſſit alienari, dicuntur omnes perſonæ, quæ ſunt magis privilegiatæ, & difficilioris conventionis, gloſſ. *verb. prohibentur in dict. capit. potuit*, Jaſon. *d. l. fin. numero* 90. & ibi Salicetus *numero* 14. Speculator *tit. de locato*, §. *nunc de aliqua numero* 142. Natta *conſ.* 491. Redoanus *de rebus Eccleſiæ, pag.* 515. *num.* 4. Gratus *conſil.* 80. *numero* 1. *&* 2. *vol.* 1.

3 Et ob eam cauſam non licet alienare in Eccleſiam, dicit communem Ruinus *conſ.* 143. *num.* 11. *volum.* 1. Eccleſia enim eſt privilegiata, quia jure minoris ſemper debet illæſa ſervari *cap.* 1. *de in integrum reſtitutione.* Sicque neque in Clericum, militem, civitatem, equitem Hieroſolymitanum, curialem, vel alium quemcumque majorem, vel difficilioris conventionis, ut tradit Corbulus, *ubi ſupra, num.* 2. *& ſequentib.* Gregor. *l. fin. tit.* 8. *gloſſ. penult. partit.* 5.

4 At anniverſaria ſunt privilegiata, tradit Guido Papæ *deciſ.* 576. ergo emphytheotica bona non poſſunt pro anniverſario relinqui, atque in terminis noſtris, quod anniverſarii onus non poſſit im-
5 poni ſuper re emphytheotica, tradit Anton Gamm. *deciſ.* 214. ubi dicit, ita judicatum in Senatu Luſitano, *& deciſione* 218. *numero* 3.



Prò quo facit, quod bona feudalia non poſſunt pro anima relinqui; ut eſt textus *in cap.* 1. *verſ. vel* 6
*pro anima judicare, de prohibita feudi alienatione* per Federicum, dicit communem Roland. *conſ.* 79. *num.* 5. *vol.* 2. ubi *numer.* 8. in tantum affirmat, ut nec unam candelam poſſit quis relinquere pro anima ex feudo, quod tenuit Iſernia *cap.* 1. *an agnatus, vel filius*, ſequitur Afflict. *cap. Imperialem, num.* 31. *de probib. feud. alien.* per Federic. Et cùm 7
ſit optimum argumentum de feudo ad emphytheoſim, quando feudalis deciſio non repugnat juri communi, Gamma *deciſ.* 233. *num.* 16. bene ſequitur, quod bona emphytheotica non poſſint relinqui pro anniverſario, atque ita, quod vaſſallus, 8
neque emphytheota poſſint legare pro anima res feudi, & emphytheoticarias tradit Bald. *cap.* 1. *numero* 16. *de allodiis.*

Sed in hoc tu diſtingue, quod aut bona relin- 9
quuntur ſimpliciter laïco cum anniverſarii onere, ſine prohibitione alienationis, & tunc quia bona non mutant ſubſtantiam; neque efficiuntur ſpiritualia, neque Eccleſiæ, ut tradit Valaſcus *conſultatione* 60. *num.* 12. & dixi *ſupra cap.* 5. *num.* 61. de qua vide infrà *lib.* 2. *cap.* 1. *numer.* 13. *&* 40. & etiam poſſunt alienari ut dictum eſt *capit.* 2. quemadmodum poteſt in re emphytheotica cenſus, ſeu 10
ſervitus imponi, duratura tamen per tempus, quo duraverit jus emphytheotæ: idem de anniverſario, hoc eſt, quod in omnem eum caſum in quo emphyteota amiſerit emphytheoſim ceſſabit onus anniverſarii, per textum *in l. lex vectigali* 31. *digeſtis de pign.* Ubi per ceſſatio- 11
nem ſolutionis, non ſolum emphytheota, ſed etiam is qui ab eo cauſam habet privatur jure ſuo, ex eo quod reſoluto jure datoris, reſolvitur jus acceptoris, argumento textus *in cap.* 1. §. *quid ergo de inveſtitura de re aliena facta*, dicit communem Padilla *l. & in provinciali, num.* 10. *de ſervitutibus.*

Si autem bona relinquantur pro anniverſario, cum 12
prohibitione alienationis, etiam ſi laïco relinquantur, & temporalia maneant, talis oneris impoſitio rem non afficit in præjudicium Domini, & in hoc caſu intelligendum eſt quod tradit Gama *dict. deciſ.* 214. *num.* 2. *&* 3. dum defendit contra Ripam *in l. filiusfamilias*, §. *divi, num.* 91. *de leg.* 1. bona emphytheotica non poſſe relinqui pro anniverſario perpetuo implendo, nec pro majoratu, nam ex æquiparatione colligitur loquutum fuiſſe de bonis relictis pro anniverſario vinculatis, eo enim caſu militat ratio præjudicii Domini, quia re effecta inalienabili, fraudatur decimis, aut quinquage- 13
ſimis percipiendis ex venditionibus, quæ fierent cum alienabilia manerent, eſſet namque alienam ſpem decipere, contra textum *in l. fin.* §. *ſed quia noſtra majeſtas in fine, Cod. communia de legat.* cujus verba finalia ſunt elegantia ad noſtrum propoſitum, etſi à nullo viderim ponderata, licèt rationem poſuerit Gama *deciſ.* 218. *numero* 3. allegans Speculatorem *tit. de inſtrumentorum editione*, §. *nunc aliqua verſ.* 116. & Cardinalem, & Imolam, *capit. potuit de locato*, Jaſ. *l. fin. numero* 95. *Cod. de jure emphytheotico*, dum ſentiunt, ob eam rationem non poſſe in emphytheotam vinculo ſubmittere rem emphytheoticam, quia Dominus privaretur illa ſpe ſuccedendi, quando emphytheota ſine hærede deceſſerit, & ſpes eſt conſiderabilis in patrimonio: nam & ſpei emptio eſt, ut *in l. ſi jactum*

I 2 retis;

retis, *digeſtis de contrahend. emptione*, cum venditio ſine merce non detur, *ex l.* 1. *eo tit. atque*, ita quod non poſſit res vinculo ſupponi, quia Dominus defraudaretur laudemio, tenet Curt. Senior *conſ.* 15. *num.* 24. Baldus *capit. Clerici num.* 3. *de judiciis*, Felinus *cap. quæ in Eccleſiarum*, *numero* 70. *de conſtitution.* & *cap. inter dilectos num.* 10. *de fide inſtrumentorum*, Gama *deciſ.* 70. *num.* 2. & facit textus *in capit.* 1. §. *donare qualiter olim feud. pote. alien.* & à pari ratione res emphytheotica non poteſt Eccleſiæ relinqui pro tali anniverſario, nam cum efficiatur inalienabilis præjudicaretur Dominus, ita tradit Guillermus Benedictus *cap. Rainuntius*, *verb.* & *uxorem nomine Adelaſiam deciſ.* 5. *numero* 2. *de teſtamentis*, quem vide *deciſ.* 3. *num* 12.

Sed an hiſce caſibus quando res emphytheutica relinquitur pro anniverſario jure vinculi vitietur anniverſarium, eo quod relinquatur ſuper re, quæ tale onus non patitur, etſi Eccleſiæ relinquatur, etiam Eccleſia amittat legatum, ſeu donationem talis rei, & dicendum eſt, non vitiari relictum:
14 nam eo caſu res vendenda eſt capaci, qui poſſit laudemia ſolvere, ut tradit Specular. *d. titul. de locato*, §. *nunc de aliqua*, *numero* 116. Joann. Andreas & Panorm *d. cap. potuit de locato*, & *ibi* Barbatia *ſuper gloſſ. verb. prohibere*, Jaſon. *l. final. in verſicul. capio*, gloſſ. *in verbo veteri*, *C. de jure emphytheotico*, Joannes Faber. *in authent. ingreſſi*, *verſ. quid ſi vaſſallus*, *Cod. de ſacroſanctis Eccleſiis*: & æſtimatio illius rei dabitur pro anniverſario implendo Eccleſiæ, & hoc ad ſimilitudinem legati rei alienæ, *l. cùm alienam rem*, *Cod. de legat.* ita tenet Guillermus Bened. *dict. cap. Raynuntius*, *verb.* & *uxorem nomine Adelaſiam deciſion.* 5. *num.* 2. Et
15 ſi gravatus dare rem pro anniverſario noluerit vendere adimplebit dando ejus juſtum valorem, & æſtimationem, ut in re aliena legata, & ſi conſulitur Eccleſiæ, ne privetur lucro ei delato, ex teſtamento, donatione, vel alio titulo, & pariter ſuccurritur Domino ne propter privilegium Eccleſiæ per *l.* 1. *Cod. de ſacroſ. Eccleſiis*, detrimentum patiatur in jure ſuo, ut dicit Guillermus Benedictus, *ubi ſuprà*, *numero* 3. *in fine*, faciendum eſt enim, quod neutri ex partibus oneroſum ſit, *l.* 1. *ff. ſi quis cautio.*

16 Nec obſtabit ſi dicatur, quod ſi res emphytheotica non poteſt legari pro anniverſario, ſeu Eccleſiæ, neque ejus æſtimatio petitur, uti tenet Alexand. *conſil.* 19. *num.* 11. *volum.* 6. dum defendit, quod ſi vaſſallus legat feudum pro anima, nec ejus æſtimatio debetur, cum quo tranſit Rolandus *conſ.* 79. *numero* 6. *volum.* 2. nam illud eſt intelligendum de feudo proprio, recto, antiquo, non tranſmiſſibili ad aliquem facto vaſſalli, ut intelligit Rolandus, *dict. conſ.* 79. *numero* 30. Oldrad. *conſil.* 237. incipienti, *perlectis*, ubi ex eo inquit, non valere legatum rei feudalis, quia non eſt deducibilis in legatum obviante jure, ut *in capit.* 1. *de ſucceſſione feud.* & *capit.* 1. *de natura feudi*, & ex factis contra legem nihil poteſt prætendi, argumento gloſſ. *in cap.* 1. §. *calidus*, *verb. actiones de prohibita feud. alien.* per Federicum, quæ gloſſa vult ex venditione facta contra legis prohibitionem, emptorem non poſſe agere de evictione, quam ſequuntur ibi Baldus *numero* 22. Alvarotus *num.* 10. Præpoſitus *num.* 14. dicentes hoc eſſe magis communiter receptum, Tiraquell. *lib.* 1. *de retractu*, §. 12. *gloſ.* 1. *num.* 12. ſequitur Barboſa, *l.* 1. 5. *part. num.* 21. *ff. ſoluto matrimon.* ubi tenet procedere etiam quod emens ſibi caveat de evictione cum diſtinctione, de qua ibi, & ponderat, *l. cum lex*, *ff. de fidejuſſoribus*, ubi nec acceſſoria tenent, nec habent aliquem effectum, nec ex actu inito contra legem poteſt prætendi obſervantia, nec quod in ejus defectum intereſſe committatur, inducitur namque regula textus *in l. ſi plagii*, & *l. generaliter*, *ff. de verborum obligat.* quam ponderat Barboſa *ubi ſuprà.*

At in feudo alterato, qui non habet antiquam feudi naturam, ut in eo, quod conceditur pro ſe, & hæredibus quibuſcumque, ſeu aliis ab eo cauſam habentibus, cùm ſit tranſmiſſibile, & de eo poſſit teſtari vaſſallus, ut volunt ſcribentes *in cap.* 1. *de feudo non habente propriam naturam feudi*, ubi eſt textus clarus ad hoc, & plures quos refert Rolandus *dict. conſ.* 79. *num.* 20. & 30. licèt verum ſit, quod nec hoc feudum Eccleſia habere poſſit, ex quo Eccleſia non debet ſervitium præſtare, ut *in capit.* 1. *de cenſibus*, quia tamen tale feudum eſt vendibile, & tranſmiſſibile ad alios, debetur æſtimatio Eccleſiæ, vel anniverſario.

Et eodem modo res emphytheotica, quæ in Ec- 17
cleſiam tranſire non poteſt per ſupradicta eſt, vendenda, vel æſtimanda, & ejus æſtimatio danda pro anniverſario, vel Eccleſiæ, ut in feudo, & emphytheoſi tenet Guillermus Benedictus *dict. capit. Raynuntius*, *verb.* & *uxorem nomine Adelaſiam*, *deciſ.* 5. *num.* 2. in illis verbis: *Ne talis res veniat in manus mortuas*, *ſecundùm vulgare proverbium*, de quo loquitur Joannes Faber *in l. quoties Cod. de rei vendicatione*, ſed valebit quantum ad hoc, ut ſcilicet æſtimatio talis feudi, vel emphytheoſis Eccleſiæ, aut monaſterio, cui relicta, aut donata 18
fuit debeatur. Sed an Dominus directus poſſit rem emphytheoticam relinquere pro anniverſario, videndum eſt, & Baldus *in capit.* 1. *de allodiis*, tenet, non licere Domino, ex eo quod dicat non poſſe emphytheotæ præjudicari auferendo ab eo jus ſuum, per regulam, *l. id quod noſtrum*, *ff. de regulis juris*, 19
cum aliis. Et quia inſtar furti eſt de alieno largiri, *cap. filius noſter de teſtamentis*, illud tamen verum eſt, & procedit quando Dominus vellet relinquere utile etiam dominium. Atque ita intelligendum eſt, quod tradit Baldus: at ſi donet ſeu relinquat ſolum directum, quod ad eum pertinet, vel ſimpliciter relinquat, (quo caſu ſolùm videtur relin- 20
querè jus, quod habet in re, text. *in l. quod in rerum*, §. 1. *ff. de legat* 1. *l. ſervi electione*, §. *fin. eod. tit.* Aym. *conſ.* 80. *num.* 15. (donatum ſeu relictum valet ex quo nullum præjudicium genera- 21
tur emphytheotæ, Dominus enim directus in re ſua eſt moderator, & arbiter *l. in re mandata*, *C. mandati*, *l. ſi quod* 34. §. *ſicut*, *digeſtis de petitione hære.* Aym. *conſilio* 217. *num.* 1. & *conſ.* 11. *numero.* 26. Barboſa *l. ſi moram*, *num.* 90. *ff. ſolut. matrim.* & vide *infrà cap.* 22. *numero.* 39. & cui voluerit poterit cedere, nam bene poteſt alius pro alio creditor conſtitui, ut *in l. ab Anaſtaſio*, & *l. per diverſas*, *Cod. mandati*, & ſuper cenſu ex contractu debito poteſt ſujugatio conſtitui, Franciſ. Milanenſis *deciſ.* 10. *num* 4. *lib.* 2. Atque ita iu locum directi Domini poteſt ſubrogari anniverſarium, ut exigat tributa, & laudemia, pro quo adduco text. *in cap.* 1. de allodiis, ubi habetur, quod Dominus poteſt rem feudalem, quam vaſ- 22
ſallus habet, relinquere pro anima, licèt vaſſallus non poſſit, & licèt Baldus *ibi num.* 16. dum intendit præſtare



præſtare rationem differentiæ, dicat, eam eſſe, quia apud Dominum reſidet plurimum juris non videtur convenire, ſiquidem ſi per tale relictum vaſſallus præjudicaretur neutiquam poſſet ab eo auferri jus, ſine ejus facto, juxta juris regulam. Atque ita fatendum eſt, ideo poſſe Dominum rem feudalem relinquere, quia nullum præjudicium vaſſallo fit in eo, quod ipſe transfert dominium feudi, quemadmodum, nec Dominus emphytheotecarius præjudicat emphytheotæ, quod ſecus eſt in vaſſallo, & emphytheota, ex quorum alienatione rei emphytheoticæ, ſeu feudalis in anniverſarium vel Eccleſiam Domini præjudicantur, ut dictum, eſt.

## CAPUT XX.

### An ex venditione fundi emphytheotici, quæ fit cogente judice, quia ſit relictus cum onere vinculi, & anniverſarii ſimul, debeatur laudemium, ſitque ſolvenda gabella.

*SUMMARIUM.*

1 *In prohibitione generali ſemper cenſetur exceptuatus actus qui fieret ex neceſſitate.*
2 *Quæ dicatur venditio neceſſaria.*
3 *Ex alienatione neceſſaria laudemium non debetur etiam ſi conventum ſit, quod ex omni alienatione debeatur, ſed contra* num. 11.
4 *Prohibitus alienare, poteſt alienare ex cauſa neceſſaria.*
5 *Res litigioſa, quæ alienari nequit, alienatur ex cauſa neceſſaria.*
6 *Bona minoris alienantur ſine decreto ex cauſa neceſſaria*, & num. 64.
7 *Quando venditio fit ex cauſa neceſſaria, ceſſat jus prælationis*, & *retractus, quod alias Dominus debebat, ſed contra* num. 15. *concilia* num. 17.
8 *Ex alienatione neceſſaria non incurritur pœna commiſſi, nec eo caſu requiritur licentia Domini.*
9 *In alienatione neceſſaria emptor non habet neceſſe inveſtiri à Domino*, & *ſic ceſſat ſolutio laudemii, quæ fit ob receptionem quam facit Dominus de novo.*
10 *Et ob eam rationem quando Dominus emit, non defalcatur laudemium ex pretio, cum non detur alicui inveſtitura.*
11 *Verius eſt ex alienatione neceſſaria rei emphytheuticæ deberi Domino laudemium*, & numero 14.
12 *Factum judicis reputatur factum partis.*
13 *Subrogatum ſapit naturam ejus cujus in locum ſubrogatur.*
14 *Mora debitoris in vendendis rebus ſuis, ut ſolvat debita, non debet afferre præjudicium Domino, ut privetur laudemio.*
15 *In venditione neceſſaria, ſervantur omnia jura directi dominii.*
16 *Si res emphytheotica adjudicetur anniverſario cum prohibitione alienationis per contractum, vel ex præcepto teſtatoris eſt vendenda*, & *ex pretio ſolvendum laudemium.*
17 *Qualiter intelligatur opinio dicentium, in venditione neceſſaria, non dari directo Domino jus retrahendi.*
18 *Prohibitus alienare, cenſetur prohibitus facere actum, per quem alteri quæratur jus in re.*
19 *Alienare prohibitus non poteſt obligare.*
20 *Prohibita alienari non veniunt in alienatione bonorum.*
21 *Prohibitus alienare non poteſt dare occaſionem alienationi, nec aliquid facere per quod ad alienationem proveniri poſſit.*
22 *Ponitur diſtinctio ad explicationem dictæ regulæ de prohibitione reſpectu rei prohibitæ alienari, vel reſpectu certarum perſonarum quæ prohibentur emere* & num. 36.
23 *Prædicta regula non procedit in pœnalibus*, & *odioſis.*
24 *Emphytheota licet non poſſit alienare irrequiſito Domino, poteſt tamen pignoris obligationem facere vel hypothecare.*
25 *Alienatio eſt nomen analogum, ſive æquivocum; nam per prius intelligitur de alienatione, quæ dominium tranſit per poſterius de obligatione.*
26 *Verbum analogum, ſive æquivocum in materia odioſa ſumitur per prius*, & *non per poſterius*, & *ſic per obligationem non incuritur commiſſum.*
27 *Si res pignoretur pro tanto quantum valet, cenſetur alienata*, & *videtur dominium exiiſſe à poteſtate debitoris.*
28 *Si res legata pignoretur pro tanto quantum valet, cenſetur ademptum legatum.*
29 *Limita ſi domus majorum fuerit pignorata.*
30 *Habens fundum pignoratum pro tanto quantum valet, relevatur ab onere ſatisdandi, ut poſſeſſor immobilium rerum.*
31 *Legatis immobilibus, venit fundus taliter pignoratus, quaſi à debitore derelictus.*
32 *Rem pignoratam pro tanto quantum valet, poteſt conſanguineus retrahere, licet contrarium tenuerit Matienzus.*
33 *Modus perdendi dominium, eſt habere rem pro derelicta.*
34 *Intelligitur communis allegatio*, l. oratio, ff. de ſponſalibus, *ut procedat quando ex antecedenti neceſſario ſequitur conſequens, ſecus ſi contingenter.*
35 *Defenditur communis regula*, l. fin. C. de rebus alienis, *ut procedat, ſive obligatio ſeu pignoratio fiat pro modico, ſive pro magno pretio.*
36 *Agitur de ſecundo membro diſtinctionis circa rem prohibitam alienari in certas perſonas, quo caſu non prohibetur obligatio, ſeu pignoratio*, & *expenditur* l. in quorum finibus, ff. de pignoribus.
37 *Intelligitur* l. fin. tit. 8. partit. 5. ne prædictis obſtet.
38 *Dupliciter contrahitur pignus, uno modo quando traditur creditori, alio modo quando ſolùm obligatur.*
39 *Res emphytheotica non poteſt pignorari Eccleſiæ cum traditione, bene tamen ſine ea.*
40 *Emphytheoſis venit in generali obligatione bonorum, imo* & *emphitheoſis Eccleſiaſtica.*
41 *Oſtenditur eſſe commodum directi dominii, quod emphy*

*emphytheotica res obligetur ſeu pignoretur.*

42 *Per ſimplicem rei emphytheoticæ obligationem, non exiit res de poteſtate debitoris.*

43 *Per obligationem ſeu pignorationem non impeditur venditio rei emphitheoticæ, neque perceptio cenſuum efficitur difficilior.*

44 *Diſpoſitio legis reſtringitur ex ratione finali, quæ regulat tanquam anima diſpoſitionem.*

45 *Plus poteſt ſola ratio quam diſpoſitio, & ipſa limitat, & declarat, ſi lex generaliter loquatur.*

46 *Ampliatur, ut procedat non ſolum ſi ratio ſit expreſſa, ſed etiam præſumpta, & conjecturata.*

47 *Quando una ſola ratio poteſt aſſignari, ea habetur pro expreſſa in lege.*

48 *Diſcutitur, an quando res relicta pro anniverſario cum prohibitione alienationis venditur, cogente judice debeatur gabella.*

49 *Diſpoſitio contra legem eſt nulla, & ſine effectu, licet lex non ultra procedat annullando.*

50 *Ex communi lege contractus emphytheotici, prohibetur alienatio in Eccleſiam, vel piam cauſam, & ſic ſucoedit regula,* l. ſi creditor, §. fin. ff. de diſtractione pignorum.

51 *Ex iis, quæ pro anima relinquuntur, ſi vendantur, vectigal non debetur.*

52 *Defenditur Parladorus contra quem invehit Laſſarte.*

53 *Quando ſolutis legatis nihil remanet hæredi: hæres teſtamentarii loco habetur.*

54 *Privilegia conceſſa Eccleſiæ legatis etiam piis conceſſa videntur.*

55 *Per diſtinctionem non tranſit res in templum.*

56 *Denominationem non recipit aliquid ab eo, quod erit, ſed ab eo, quod eſt.*

57 *Licet res affixa ædibus prohibeatur legari, ea tamen, quæ eſt deſtinata, ut adjungatur poteſt legari.*

58 *Pecunia deſtinata in emptionem prædiorum non reputatur immobilis, &* num. 61.

59 *Reſtitutio in integrum non competit in cauſa bonorum, quæ teſtator relinquit pro Eccleſia ædificanda, ſed contra* num. 71.

60 *Verior eſt ſententia, quod deſtinatio non habetur pro facto.*

61 *Declaratur* l. 3. §. quid ergo, ff. de contraria, & utili actione tutelæ.

62 *Negligens dicitur qui non utitur remediis opportunis ad actum, & culpoſus, non faciens omnia, quæ opportuit, ut removeretur impedimentum.*

63 *Non dicitur impeditus, qui poteſt agere petendo licentiam.*

64 *Bona minoris, & pupilli inſtantibus creditoribus venduntur ſine ſolemnitate decreti, &* num. 6.

65 *Declaratur* l. etſi non, §. infecti de auro, & argento legato.

66 *Non dicitur factum, dum aliquid ſupereſt agendum.*

67 *Conciliantur* l. item legato 47. §. fin. de legat. 3. & l. ſi quid earum, §. interemptum, eo titul. cum l. cætera, §. fin. de leg. 1.

68 *Idem favor validitatis legati facit duo diverſa, & quod unum diverſimodè accipiatur.*

69 *Contra Eccleſiam ſolum currit quadragenaria præſcriptio pro legatis piis.*

70 *Amplectitur diſtinctio quam facit Laßarte, ut debeatur velne gabella, & explicatur.*

71 *Bona relicta pro alendis pauperibus ſub adminiſtratione communitatis ſæcularis gaudent privilegio, & non poſſunt collectari, limita, ut* num. fin.

72 *Extentio ſtatuti fit ex identitate rationis favore animæ.*

73 *Quando domino Regi, & anniverſario poteſt conſuli, faciendum eſt quod neutri oneroſum ſit, & ſic ſolvi gabella.*

74 *Bona relicta pro anniverſario collectantur, deducto onere..*

A*LIENATIONES enim poſt judicium acceptum interdicta ſunt, dumtaxat voluntariæ, non quæ vetuſtiorem cauſam origin. habent neceſſariam.* Verba ſunt Papiniani Juriſconſulti, *lib. 6. quæſt. relata. l. alienationes* 13. *ff. familiæ herciſcundæ.* Ex quibus colligitur, quod in prohibitione generali, ſemper cenſetur exceptuatus, ſeu conſervatus actus, qui fieret ex neceſſitate quod etiam probatur, *l. pater filium in princip. de leg. 3. l. 1. ff. de fundo dotali l. peto §. prædium de legat. 2. l. & ideo* juncta gloſ. *verb. retineas ff. de conditione furt.* Aymon *conſ.* 56. *numero* 91. Barboſa, *l. divortio §. ſi vir num. fin. ff. ſoluto matrimonio.* 1

Et cum hæc venditio rei emphitheoticæ, ut 2 æſtimatio detur anniverſario, fiat cogente judice ad inſtantiam directi domini, & in executionem ſententiæ à judice latæ eſt neceſſaria, quia venditio, quæ fit judiciaria authoritate, & præcedente judicis decreto, neceſſaria appellatur, Baldus *cap. 1. in princip. in 4. columna de prohibita feud. alien.* per Federic. Alberic. 2. *part. ſtatutorum quæſtione* 2. alios refert Afflict. *deciſ.* 191. *num.* 2. Rolandus *conſ.* 21. *numero fin. vol.* 1.

At ex alienatione neceſſaria laudemium non de- 3 betur, ut reſolvit Jaſ. *l. fin numero* 48. *C. de jure emphitheotico*, quæ ſententia procedit, etiam quando inter dominum, & emphitheotam eſt conventum, ut ex omni alienatione debeatur laudemium, nam debet intelligi de voluntaria, non neceſſaria. Tenet Brunus *conſ.* 44. 3. *dubio*, Aymon *conſ.* 4 215. *numer.* 3. ex eo quod prohibitus alienare non cenſetur prohibitus ſi alienat ex cauſa neceſſaria, ut in juribus ſupra allegatis.

Sic videmus quod res litigioſa, quæ alienari 5 nequit, poteſt ex cauſa neceſſaria alienari, & non contrahitur vitium litigioſi dict. *l. alienationes, ff. familiæ herciſcundæ.*

Sic etiam bona minoris immobilia, quæ non 6 poſſunt alienari, ſine decreto alienantur, ſine eo ex cauſa neceſſaria *l. 1. C. quando decreto opus non eſt.*

Sic quando venditio fit ex cauſa neceſſaria, 7 ceſſat jus prælationis, & retractus, quod aliàs dominus habebat, tradit Alexand. *conſilio* 52. *viſo themate, volumine primo*, *Corneus conſ.* 166. *num.* 34. & 39. *lib.* 2. Jaſ. *conſilio* 124. *volumine* 4. Aymon *conſ.* 6. *numero* 91. plures alios refert Urſil. ad Afflict. *deciſione* 91. *num.* 1. Roland. *conſil.* 21. *per totum*, & *num.* 1. *fin. volum.* 1.

Neque ex tali neceſſaria alienatione incurritur 8 pœna commiſſi, Afflict. *deciſ.* 191. *num.* 3.

Eo enim caſu ad alienationem non eſt neceſſaria licentia domini, nec expectatur, nec emptor neceſſe habet inveſtiri à domino cum fiat à judice, atque ita debet ceſſare ſolutio laudemii, quæ fit 9 ob receptionem, quam facit dominus de novo emphitheotæ, ut ex aliis tradit Vincentius de Franchis *deciſ.* 201. *num.* 2. Redoanus *de rebus Eccleſiæ, q.* 11. *de laudemiis, num.* 1. *pag.* 378. & ibi: *num.* 13.



10 Quod ob eam rationem quando Dominus emit non
11 defalcatur laudemium ex pretio. Sed contraria ſententia mihi placet, imo quod ex tali venditione decima debeatur Domino directo, nam verum eſt de jure, ex venditione facta à judice rei emphy-
12 theoticæ ob debita emphytheotæ laudemium deberi, ex eo quod factum judicis vendentis reputatur
13 factum partis, *l. ſi ob cauſam de evictionibus*, & ſubrogatum ſapit naturam illius cujus in locum ſubrogatur, *l. unica, §. ut plenius, Cod. de rei uxor. actione, l. ſi eum, §. qui injuriarum, digeſtis ſi quis cautio, cap. Eccleſ.* 1. ut lite pendente, *l. ſi donatæ, §. ſi ſponſus, ff. de donation. inter l.* 12. *tit.* 11. *p.* 4. & *l.* 42. *tit.* 11. *p.* 6. plures refert Mieres *de major.* 1. *p. quæſt.* 11. *numer.* 1.

14 Et pro hoc facit, quod cum debitor, ut ſolvat creditoribus teneatur vendere rem emphytheoticam, ſi non faciat, ejus mora non debet afferre præjudicium Domino directo, ut ſuo laudemio privetur, *l. mora de regul. jur.* quibus fundamentis hanc ſententiam tenet Avendañus *reſp.* 13. *num.* 4. eo enim caſu venditio neceſſaria non eſt, cum procedat ab ipſo emphytheota debitore obligato.

15 Per quam rationem, quod in ea venditione à judice facta Domino debeatur laudemium, & ei ſerventur omnia jura directi dominii, tenet Baldus *conſ.* 306. *lib.* 1. Angelus *conſ.* 243 quos refert, & ſequitur Urſilius additionator Afflict. *deciſion.* 191. *num.* 2. & 3. ubi dicit ob eam rationem judicatam Senatu Neapolitano, quod Dominus directus admitteretur ad retractum in venditione facta à prætore in multis cauſis.

16 Et ibi tenet, quod eadem ratio videtur militare, quando venditio fit ex debito emphytheotæ, quæ militat quando venditio fit ex præcepto teſtatoris emphytheotæ, cum teſtator non potuerit onus in præjudicium Domini directi imponere: ergo ſicut diximus ſupra *cap.* 19. *numero* 14. quando teſtator emphytheota relinquit rem emphytheoticam Eccleſiæ, videtur relinquere ejus æſtimationem ad ſimilitudinem legantis rem alienam, ut dicit Guillermus Benedictus *cap. Raynuntius, verſ. & uxorem nomine Adelaſiam, deciſ.* 5. *numero* 3. & 4. jam videtur facere actum per quem venitur ad venditionem, & ſic ſi monaſterium, Eccleſia, vel cauſa pia non vendat, & ob id compellatur à judice, non eſt cur mora illius noceat Domino directo, & fraudetur laudemio ei debito.

Et pari ratione idem dicendum eſt, ſi per contractum monaſterio, Eccleſiæ, ſeu piæ cauſæ, ut anniverſario adjudicetur res emphytheotica cum prohibitione alienationis, quia ſolum poteſt transferri illius æſtimatio, quam ut capiant facienda eſt venditio, & ſic jam vidi ſæpiſſimè judicari, quod ex tali venditione ſolvatur decima, ſicque per ſententiam jubetur res vendi, & ex pretio ſolvi decimam directo Domino.

17 Neque obſtant adducta in contrarium de venditione neceſſaria, quia ex dictis remanet probatum, eam venditionem non neceſſariam, ſed voluntariam eſſe, & opinio Doctorum tenentium, ex venditione neceſſaria non dari directo Domino jus retrahendi, intelligenda eſt, & procedit, ſi cauſa venditionis non procedat ab ipſo emphytheota, ſed aliunde, & à vetuſtiori cauſa ut declarat Albericus 2. *p. ſtatutorum, quæſtion.* 2. & alios refert, & ſequitur Urſil. ad Afflict. *deciſ.* 191. *num.* 1. 2. & 3. qui ferè in noſtris terminis loquitur.

Sed adhuc ſupereſt difficultas, nam dum de- 18 fendimus decimam deberi ex venditione hac, fatemur hoc ideo eſſe, quia talis venditio fit præambula obligatione, & voluntate emphytheotæ; quod etiam non caret ſcrupulo, nam videtur, quod emphytheota, qui ut diximus, non poteſt rem emphytheoticam in Eccleſiam, ſeu anniverſarium transferre neutiquam poſſit Eccleſiæ ſeu anniverſario obligare, argumento textus *in l. fin. Cod. de rebus alienis non alienand.* ubi prohibita alienatione, videtur prohibitus omnis actus per quem alteri quæritur jus in re, & ſic obligationem, & hypothecam cenſeri prohibitam, teſtatur ibi Jureconſultus, *& l. 1. §. eam rem, digeſtis quæ res pignor. obligar. poſ. l. fin. §. quia, verſicul. nemo, Cod. communia de leg l. ſi pupillus, digeſtis de rebus eorum, l. 3. C. de his qui veni ætat. impe.*

Eſt enim receptum, quod prohibitus alienare, 19 non poteſt obligare, Bald. *l. fin. Cod. ad l. falcidiam*, Alexand. *conſ.* 106. *num.* 2. *volum.* 7. Decius *conſ.* 502. *à numero* 4. Purpuratus poſt alios, *l.* 2. *num.* 100. *digeſtis de juriſdictione omnium judicum*, Afflict. *lib.* 3. *conſtitut. rubr.* 5. *numero* 34. *ad finem* Ruinus *conſ.* 145. *à num.* 4. *lib.* 3. refert, & ſequitur Barboſa, *l.* 1. 3. *part. num.* 57. *ff. ſolut. matrim.*

Et prohibita alienari non veniunt in obligatione 20 bonorum, ut notat Bart. *l. Codicillis, §. inſtituto de leg.* 2. Baldus *l.* 1. *quæ res pignori oblig. poſſ. & l. voluntas ad fin. Cod. de fideicommiſſ.* Bart. *l. in quorum finibus, digeſtis de pignor, & in l. multum intereſt, digeſtis de verborum obligat.* & idem *l. qui habebat, in princip. digeſtis de legat* 3. Cinus, Baldus, & Salicet. *d. l. fin. Cod. de rebus alienis non alienand.* quibus locis regulariter traditur, quod res prohibita alienari, obligari non poteſt.

Nec prohibitus poteſt dare occaſionem, quod 21 res alienetur, ut notabiliter dicit Bald. *l. quoties, la* 1. *per text.* ibi, *Codic. de fideicommiſſis* Bartol. Socinus *conſ.* 26. *numero* 1. *lib.* 1. ſequitur Mieres *de major.* 4. *part. q.* 1. *in princip. num.* 8. Molina *de primog. libr.* 4. *capit.* 1. *num.* 7. ubi quod majoratûs poſſeſſor prohibetur facere omnia illa ex quibus ad alienationem perveniri poſſit, per *l. Codicillis, §. matre*, ubi Bart. & communiter ſcribentes id notant, *ff. de legat.* 2. Tiraquell. *de retractu lignag. §.* 1. *gloſſ.* 14. *numero* 14.

Sed ne prædicta communis regula obſtet noſtræ 22 ſententiæ, dic quod dupliciter conſiderari poteſt prohibitio, uno modo, quatenus reſpicit ipſam rem generaliter prohibitam alienari, alio modo quatenus prohibitio facta eſt reſpectu certarum perſonarum, qui prohibentur emere, quam diſtinctionem ponit gloſſ. *in l. fin. Cod. de rebus alien. non. alienan. verb. vel hypothecam*, & ibi Bart.

Primo caſu res alienari prohibita prohibetur obligari, cum per obligationem perveniatur ad venditionem, ut *in l. 2. & 3. ff. de diſtractione pignorum*, & ſic tanquam præambulum venditionis cenſetur prohibitum. *l. oratio ff. de ſponſal.* Quod tamen li- 23 mita ſi ſimus in caſu teſtamenti, vel alio, in quo ſit lata interpretatio: ſecus ſi ageretur de incurrenda pœna, ſeu commiſſo propter alienationem, nam eo caſu cum impropriè, & ex interpretatione appellatione alienationis veniat hypotheca, ut dicit gloſſ. *in l. fin verb. vel hypothecam, C. de rebus alien.*

*alien. non alienand.* ex quo tunc alienatio propriè dicitur, quando dominium transfertur, *l. 1. C. de fundo dotal. l. alienationis ff. de verborum ſignific.* & per obligationem, ſeu hypothecam dominium non transfertur, ſed remanet in poteſtate debitoris, ut *in l. pignus, C. de pignorat. actione* cum aliis à me allegandis *num.* 42. non cenſetur prohibita obligatio, ſeu hypotheca, ut tradunt ibi Baldus, Cinus, Paul. de Caſtr. & omnes quos refert, & ſequitur Neguſantius *de pigno. 2. p. 2. membro, numero 31. & 3. membro num. 78. & 79.* Atque ita, quod prædicta regula non procedat in odioſis, tenet Tiraq. *poſt. ll. connub. gloſ. 5. num.* 109. Molin. *lib. 1. de primog. c. 20. num. 16.* Gregor. *l. 45. tit. 5. p. 5. gloſſ. 2.* Mieres *de majorat. 4. p. quæſt. 1. numer.* 8.

24 Sic licet emphitheota non poſſit alienare irrequiſito domino, per *l. fin. C. de jure emphitheotico,* poteſt tamen pignoris obligationem facere, vel hypothecare gloſſ. *in d. l. fin. de jure emphitheotico,* quam dicit communiter receptam Gama *deciſ.* 108. *num.* 2. nec commiſſum incurritur, quia illa lex eſt pœnalis inducens caducitatem, & ſic ſtrictè eſt intelligenda, juxta *l. cum quidam ad fin. ff. de liber.*
25 *& poſthum.* Eſt enim alienatio verbum analogum ſive æquivocum, nam per prius intelligitur de ea alienatione, quæ dominium transfert, per poſterius de obligatione, ut tradit Raud. *de analogis, cap. 6. num.* 34. & verbum analogum, ſive æquivocum in materia odioſa ſumitur per prius, & non per poſterius, ut tradit ipſe Raud. *d. tract. c. 10. num.* 1. & ita per obligationem, ſeu hypothecam non incurritur commiſſum.

27 Quod tamen ſublimita, niſi res pignoretur pro tanto quantum valet, nam cum eo caſu non ſit ſpes luitionis, dicetur, imo erit alienatio, ita Bald. *c. 1. §. aut ſi libellario, quibus modis feud. amitta. in fine, verſ. ſequitur in text.* Neguſantius *de pignor. 2. part. 2. membro num.* 30. & notat Bart. *l. qui habebat in princip. ff. de legat.* 3. eo enim caſu videtur dominium exiiſſe jam à poteſtate debitoris, ut declarat Alexand. *l. 1. §. per ſervum, el 2. num. 7. ff. de acquirend. poſſ.* tradit Joann. de Garronis *l. generaliter num.* 139 *C. de ſecund. nupt.* ſequitur Gama *deciſ.* 108 *n.* 3.

Et ſic licet per pignorationem rei legatæ legatum non cenſeatur ademptum *l. qui poſt teſtamentum, C.*
28 *de legat.* Si tamen pignoretur pro tanto quantum valet, ademptum cenſetur, ita Tiraq. *de retract. lignagier, in præfatione num.* 36. & voluerunt Cinus Fulgoſius, Bartolus, Paulus, Alexand. & alii, *l. rem legatam, in fine, ff. de adim. lega.* Gregor. *l. 17. tit. 9. part. 6. gloſſ.* 3. quod limita ſi domus
29 majorum fuerit pignorata, Tiraq. *ubi ſupra.*

Sic habens fundum pignoratum pro tanto quantum valet, relevatur ab onere ſatis dandi, tan-
30 quam rerum immobilium dominus, & poſſeſſor, ut tenent Albericus, Bald. Alexand. & omnes, *l. ſciendum, §. poſſeſſor ff. qui ſatisdare cogan.* Suarez *l. 2. titul. de los emplazamientos, libro 2. fori numero.* 26. nam qui taliter pignorat rem, videtur illam habere pro derelicta ut dicit Bald. *conſ. 169. inſpecto in fin. vol. 6.* & alii quos refert
31 Tiraquel. *ubi ſupra.* Et ſic legatis immobilibus, veniet fundus taliter pignoratus, quaſi à debitore derelictus, ut tradunt Doctores relati à Tiraq. *ubi ſupra,* & tradit Anton. Gomez, *l. 40. Taur. num. 83. per. l. qui habebat, ff. de legat.* 3. & eſt textus *in l. legata §. fin. ff. de ſuppellect. lega.*

Et hinc eſt, quod rem hujuſmodi pignoratam 32
pro tanto quantum valet, poteſt conſanguineus retrahere, vel alius qui, re vendita, habet jus retractus, Tiraq. *de retract. lignat. §. 1. gloſſ. 14. num. penult.* Joannes Igneus, *l. 1. §. ſervus, num. 3. ff. ad Silanian.* Antonius Gomez, *l. 70. Taur. numero 23. per dictam l, legata §. fin. & dict. l. qui habebat.*

Sed ab hac opinione diſcedit Matienz. *l. 7. tit. 11. gloſ. 7. num. 13. lib. 5. Recop.* ex eo quod pignorans rem majorum ſuorum, etiam pro tanto quantum valet, non cenſetur eam habere pro derelicta, ſed habere animum redimendi per *l. ſi in emptione, ff. de minorib.* Atque ita cum res non cenſeatur alienata, non erit locus retractui, quemadmodum etiam nec legatum ademptum videtur per talem pignorationem rerum majorum, ut tenet Paulus Caſtrenſis *d. l. qui poſt, C. deleg.* quem ſequuntur, ibi Alexan. Corn. & Jaſ. Rip. *l. filiu familias, §. divi, num. 3. deleg.* 1. Atque ita hanc limitationem poſuit Tiraq. *de retractu lignag. in præfatione num. 36. in fine.*

Ego autem puto veram opinionem Antonii Go- 33
mezii, & aliorum per jura ab eis allegata, nam loquuntur, quando ſimul cum pignoratione pro tanto quantum valet conſtat, quod debitor eam habet pro derelicta per ceſſationem à petendo, vel quia conſenſit creditori uti re pignorata, eſt enim modus perdendi dominium habere rem pro derelicta, *l. 1. & 2. ff. pro derelicto,* licet non temere judicanda ſit derelicta, ut in *l.* nemo ff. eo titul. quando autem dominus habet rem pro tanto quantum valet pignorata & per multum tempus tacet à petendo, & ſimul patitur creditorem uti illa, videtur à ſe abdicare dominium, & eam pro derelicto habere, atque ita intelligenda ſunt jura ſuperiùs allegata, ſcilicet, *l. qui habebat de leg. 3. & l. legata §. fin. ff. de ſuppellect. lega.*

Et ſic Ant. Gam. *d. deciſ.* 108. dum explicat 34
regulam, *l. fin. C. de rebus alien.* diſtinguit, quod aut prohibitus alienare, alienat pro tanto quantum valet, & tunc non poteſt per ſupradicta: aut minoris pignorat, & tunc pignoratio teneat.

Et ſi teneamus opinionem Antonii Gamæ, poteſt reſponderi ad communem regulam, *l. oratio ff. de ſponſalibus,* quod procedit quando ex antecedentibus neceſſario ſequitur conſequens, ſecus autem ſi tantum poſſet ſequi contingenter: ſive poſſibiliter, argumento, *l. non omne, ff. de ſtatu liber.* ita Bart. *l. ambitioſa, numer. 22. ff. de decretis ab ordine fac. & l. 2. ad fin. ff. de jur. omnium judic.* communiter receptus, ut ibi per Purpurat. *num* 100. *ad fin.* ita Barboſa *l. 1. 3. part. num. 57. ſolut. matrim.*

Sed nihilominus communis traditio, & regula 35
*d. l. fi. C. de rebus alien.* defendenda eſt, atque ita, quod non teneat obligatio, ſeu pignoratio, ſive pro modico, ſive pro magno pretio fiat, ut tenet Anton. Gomezius, *l. 40. Taur. numero. 83. in fin. per. d. l. fin.* cum aliis, idem tenet Barboſa, rejecta diſtinctione Gamæ, *l. 1. 3. p. num. 59. ſolu. matrimon.* Et ita teneo, remanet jam expeditum primum membrum diſtinctionis, ſcilicet, quando generaliter res prohibetur alienari.

Veniendo autem ad ſecundum membrum diſtin- 36
ctionis, ſcilicet, quando non generaliter res prohibetur alienari, ſed ne alienetur in certas perſonas, quæ prohibentur emere & acquirere res emphitheoticas propter domini præjudicium, qui

decimis



decimis fraudatur, cùm cadant in manus mortuas, ut dicit Guillermus Benedict. *c. Raynuntius, verb. & uxorem nomine Adelaſiam, deciſ. 5. num.* 5. dicendum eſt, quod licet in eas non poſſit fieri alienatio, ſive dominii tranſlatio, poteſt tamen eis obligari, vel pignorari, quia licet accipiant pignora, non per hoc convenitur, ut ipſi creditores accipiant ſibi in ſolutum, vel in emptionem, ſed quod alii vendant pro ſuo debito, ita tenet Additionator, gloſſ. *in d. l. fin. verb.* vel hypothecam. *C. de rebus Eccleſ. non alienand.* pro quo eſt textus ſingularis *in d. l. in quorum finibus. ff. de pignoribus,* in hæc verba: *In quorum finibus emere quis prohibetur, pignus accipere non prohibetur,* ubi Bart. intelligit eum textum juxta prædictam diſtinctionem, quam ipſe facit, ſequitur Neguſantius de Phano *de pigno. 1. p. 3. membro, numero 69. & 78.* Atque ita in noſtro caſu, licèt res emphitheotica non poſſit tranſire in Eccleſiam, anniverſarium, vel piam cauſam, quando ita eſt affecta anniverſario, ut nequeat alienari, poteſt tamen obligari Eccleſiæ, ſeu anniverſario pro ejus implemento. Siquidem non hoc agitur, quod tranſeat in Eccleſiam, ſeu anniverſarium, ſed quod vendatur pro debito, ut dicit gloſſ. *in d. l. fi. de rebus Eccleſ. non alienan.* Et ſic ceſſat ratio *l. oratio, de ſponſalibus,* cùm ex tali obligatione non ſequatur neceſſario, quod res emphitheotica ſit transferenda in Eccleſiam, ſeu anniverſarium, juxta Bart. intellectum communiter receptum, ut diximus ſupra numero 34.

37 Neque obſtat, *l. fin. titul. 8. part. 5.* quæ videtur ex diametro repugnare in illis verbis: *Mas à otras perſonas de que no ſe puede aver tan ligeramente el cenſo, non la puede vender, ni empeñar, aſſi como à orden, ò à otro home mas poderoſo que el, que entonces non valdria, è perderia, porende el derecho que avia en ello.* Pro cujus intellectu dic, quod dupliciter fit pignoratio, uno modo quando res in pignus traditur creditori, qui eam tenet, & poſſidet, ut in caſu c. cum contra, de pignoribus, & in caſu l. & qui ſub imagine, C. de diſtract. pignor. alio modo, quando ſolum obligatur res creditori, de quo per totum titulum, *C. & ff.* de pignoribus.

39 Primo caſu procedit deciſio *d. l. fin* partitæ, nam cum tunc creditor rem pignoratam poſſideat, & ſaltim cauſa rei ſervandæ, & in conſervationem ſui debiti, & juris, & per conſequens teneatur ſolvere domino directo tributum, videtur, quod talis pignoratio non poſſit fieri in Eccleſiam à qua difficiliùs dominus conſequetur cenſum, & quod ita ſit intelligenda lex partitæ, colligitur ex illis verbis: *Mas a otras perſonas de que no pudieſſe aver tan ligeramente el cenſo, no la puede vender, ni empeñar,* quæ verba important talem pignorationem, quæ transferat pignus in poteſtatem creditoris, cum ad poſſeſſorem pertineat tributa ſolvere non ad habentem rem obligatam.

Secundo verò caſu quando pignus remanet in debitoris poteſtate, non invenio cauſam quare prohibeatur fieri in Eccleſiæ, ſeu anniverſarii favorem, ſiquidem emphitheota poteſt, irrequiſito domino, pignorare, ut diximus ex gloſſa communiter recepta *in l. fi. de jure emphitheotico,* in tan-
40 tum quod etiam in generali obligatione bonorum veniat emphitheoſis, ut tradunt Bart. Bald. & Paulus, *l. tutor. §. fin. ff. de pignor. actione,* Neguſantius *de pignor. 2. membro 2. partis num.* 28. Ale-



xand. *conſ. 91. vol. 1.* ubi quod etiam veniet emphitheoſis Eccleſiaſtica, quem ſequitur Urſilius ad Afflict. *deciſ. 191. num.* 5. & hæc prohibitio non fit rebus, ſed perſonis quod maximè procedit cum diſpoſitio, *l. partitæ* ſit in favorem directi domini, & ſi intelligeretur de ſimplici pignoratione non ejus commodum, ſed damnum induceret, nam cùm frequenter per pignorationem perveniatur ad venditionem, ut ſolvatur creditori, non fierent 41
tot venditiones rei emphitheoticæ, ſi tolleretur occaſio vendendi, & cum ex tali pignoratione non ſequatur, quod res ſit transferenda in Eccleſiam, procedit diſtinctio Bart. in *d. l. in quorum finibus,* & gloſſ. *in d. l. fin. neque obſtat,* quod ſi non inveniantur emptores in haſta judiciali, res adjudicatur creditori, nam reſpondeo, quod tunc compelletur vendere capaci, ut ſupra eſt reſolutum.

Neque enim debet extendi diſpoſitio, *d. l. par-* 42
*titæ ad ſimplicem rei emphitheoticæ obligationem,* per quam dominium, nec poſſeſſio pignoris non exit de poteſtate debitoris: *l. 1. §. ſervus, ff. ad Sillanianum, l. generaliter in princip. ff. qui & à quibus, l. 1. §. per ſervum, ff. de acquir. poſſeſſione, l. ſtatu liber. ff. ad l. Falcidiam, l. pignus, C. de pignor. actione:* in tantum, quod debitor poteſt pignoratam in alium transferre invito creditore, ut *in l. ſi debitor, C. de diſtractione pignor.* ubi gloſſa ponit concordantes, tradit Neguſant. *de pignor. 2. p. 3. membro numero* 72. Matienço *l. 7. gloß. 7. num. 12. tit. 11. li. 5. Recop.* atque ita per pignorationem non impeditur venditio rei emphitheoticæ, neque perceptio cenſuum efficitur difficilior, cum 43
adhuc remaneat in bonis debitoris. Sicque ceſſante ratione legis, debet ceſſare diſpoſitio, ut tradit latiſſimè Tiraq. *de ceſſante cauſa 1. p. n. 1.* & dictum legis reſtringitur ex ratione, *l. cum pater, §. dul-* 44
*ciſſimis, de legat.* 2. ita ut ſi ratio finalis diſpoſitionis ſuadeat reſtrictionem, reſtringitur ita diſpoſitio generalis, Aretinus *conſ.* 143. quem refert & ſequitur Aymon. *conſil. 227. num.* 7. ubi eſt ratio expreſſa, illa debet attendi, *l. milites agrum. de re militari,* & ratio facit dictum intelligi, Bald. *l. ſuum in fine C. de jure deliber.* ſequitur Beroius *conſ. 64. numero 20. vol. 2.* ratio enim regulat tanquam anima diſpoſitionem, Socinus *conſ. 108. n. 3. li. 3.* & ratio verbis eſt præferenda, ſicut anima corpori, quia verba ſe habent, ut corpus, & ratio ut anima, ut dicit Franciſcus Becius *conſ. 41. num. 6.* ubi quod plus poteſt ſola ratio, quam diſpoſitio, ut tradit gloſſ. *in cap. conſuetudo 1. diſtinctione,* & ratio legis limitat, & declarat, ſi lex generaliter loquatur, gloſſ. *verb. eligat in Clemen-* 45
*tina 1. in princip. de electione,* plures refert Lara, *l. ſi quis à liberis, §. idem reſcripſit, numer. 43. de liberis agnoſcend. ad intellectum. l. Regiæ 5. tit. 19. part.* 4. & in horum comprobationem plures alios refert Mieres *de majorat. 2. part. quæſt.* 6. 46
*num.* 105. & non ſolum prædicta procedunt in ratione expreſſa, ſed etiam in ratione præſumpta, & conjecturata, capital. ſuggeſtum, ubi Decius 2. *notab. de appellation.* Baldus *authent. ingreſſi, C. de ſacroſanct. Eccleſ. num. 14. & 16.* Jaſ. *l. non dubium num. 35. verſ. adde etiam, C. de legibus,* quos refert, & ſequitur Aymon. *conſ. 3. num.* 3. & idem quando una ratio ſola aſſignari poteſt; nam habetur pro expreſſa, *l. quamvis ubi gloſ. verb. cui jubet, &, C. de fideicommiſſ.* ibi: *Nam ob quam aliam cauſam de emancipatione rogaſſet,* ita tradit 47
Molin. *lib. 1. primog. cap. 5. numero* 9.



Et

Et cum ratio prædictæ *l. partitæ ſit*, ne difficilior reddatur conventio debitoris. nec ulla alia reddi poſſit, & ea ceſſet eo caſu, quo pignus non erit de poteſtate debitoris, non eſt cur cenſeatur prohibita talis obligatio, ſeu pignoratio, etiam ſi per eam perveniatur ad venditionem.

Reſtat nunc diſputare pro complemento hujus capituli, an gabella debeatur ex ea venditione, 48 quæ fit, quia Eccleſia, ſeu anniverſarium non poteſt poſſidere rem emphitheoticam, & difficultas in eo conſiſtit, quod cum talis res non transierit in dominium Eccleſiæ ſeu anniverſarii lege obviante, venditio rei fit tanquam exiſtentis in dominio, ſeu bonis relinquentis eam Eccleſiæ, vel pro anniverſario, nam cum non poſſit teſtator facere, quin leges in ſuo teſtamento locum habeant, *l. nemo poteſt. ff. de legat.* 1. ſuccedit regula, quod diſpo- 49 ſitio contra legem eſt nulla, nec aliquem producit effectum, *l. jubemus la* 2. *§. prædia, C. de ſacroſanct. Eccleſ. l. non dubium, C. de legibus,* etiam ſi lex non ultra procedat annullando actum, ut ibi 50 Bart. & Bald. Raudenſ. *conſ.* 10. *numero* 276. Quod etiam procedit ex communi lege contractus emphiteotici ne alienetur in Eccleſiam, vel piam cauſam, quo caſu ſuccedit regula, *l. ſi creditor §. fin. ff. de diſtractione pignorum*, ibi: *Et magis eſt nullam eſſe emptionem, ut pactioni ſtetur.*

51 Et Bettachinus de gabellis, *p.* 8. *membro* 5. *num.* 5. tenet non deberi, eo argumento motus, quod non detrahitur de legato pio falcidia, per authenticam ſimiliter, *C. ad l. falcidiam, ne minuatur relictum in pios uſus*, quem ſequitur dubitans Parlador. *l.* 1. *rerum quotid. c.* 3. *§.* 1. *num.* 18. & ſequitur Alvarad. *de conject. mente teſtat. libr.* 2. *cap.* 1. § 2. *numero* 17. & eam ſententiam cum diſtinctione, & eo caſu quo per ſolutionem gabellæ legatum pium eſſet minuendum tanquam religioſiorem amplectitur Laſſarte *de decima venditionis c.* 20. *numero* 59. *& ſequentibus, & in ſua additione ad num.* 93. ubi invehit contra Palardorum dicens, quod illud, quod præcipuum erat advertere, ſcribere prætermiſit.

52 Sed merito vir ingenio, & doctrina pollens Parlador. non meretur reprehendi. Si quidem cuilibet juris ſtudioſo mediocriter intuenti verba Parladorii videbitur difficultatem ſenſiſſe in fundando (veritate juris inſpecta) quod ex venditione rerum relictarum pro animæ piaculo, vectigal non debeatur, uti ſentit etiam Laſſarte *loco ſupra relato*, ſicque omiſiſſe, ne perſcrutando rationem, damnum afferret piæ cauſæ, cui ſilentio favere voluit.

Et licet ſatis doctè Laſſarte poſuerit rationes ob quas videbatur ſolvendam gabellam, tandem inquit in hæc verba: Verum enim vero quidquid hoc ita benedictum ſit, adhuc prædicta illa ſententia, quæ religioni, & piæ cauſæ favet ſuſtinenda eſt ex ea nova ratione, quia cum tota pecunia ex eis venditionibus redigenda pauperi Eccleſiæ, vel piæ cauſæ futura, ſit eorum quidem nomine quibus commodum legatum eſt venditiones illas celebrari non injuſte dicemus, quaſi verè ipſa Eccleſia, pauperes, vel pia cauſa legataria domina bonorum ſit. Atque ita ejus reſpectum vel perſonam (ut ita loquar) inſpiciendam puto, licèt ab hærede, vel teſtamentariis laicis venditiones celebren- 53 tur. Hæc Laſſarte, & hanc ſuam ſententiam juvat, ex eo, quod quando ſolutis legatis nihil hæredi remanet, teſtamentarii loco habetur, per *l. ſi qui Titio, de legat.* 2. & eo caſu erit locus privilegio, *l.* 6. *titul.* 18. *lib.* 9. Recopil. qua diſpoſitum eſt ne clerici, vel Eccleſiæ gabellam ſolvant: & in comprobationem ſuæ ſententiæ allegat textum *in auth de Eccleſiaſt. titu §. pro temporalibus, col.* 1. ubi præſcriptio quadragenaria, quæ datur contra Eccleſiam, & non minor, datur contra exactionem legati pii, quem expendit ad hoc quod pri- 54 vilegia conceſſa Eccleſiæ, legatis piis conceſſa ſunt.

Sed adhuc ſupereſt difficultas, nam video, quod 55 ea ſententia, quam deducit Laſſarte ex *d. §. pro temporalibus* non videtur tuta ex text. *in l. ſi nondum, C. de furtis*, ubi per deſtinationem non tranſit res in templum, nec templo quæritur actio, & ibi dicit Baldus, quod aliquid non recepit de- 56 terminationem ab eo, quod erit, ſed ab eo quod eſt.

Sic licèt res affixa ædibus prohibeatur legari, 57 ea tamen, quæ eſt deſtinata, ut adjungatur ædibus poteſt legari, antea quam ſit affixa, & prohibitio Senatus Conſulti de non alienando res affixas non habet locum in rebus ad id deſtinatis *l. cætera §. ſed. ſi. paraverit. ff. de legat.* 1. & ibi Bald. Angel. & Imola tenent, quod ſtante conſuetudine, quod immobilia, mortua uxore, pertineant ad ejus hæredem, mobilia vero ad maritum, quod pecunia 58 deſtinata in emptionem prædiorum erit viri, tanquam res mobilis, idem tenet Ludovicus Bol. *conſ.* 39. incipienti *Domina Dorothea, ad finem.*

Sic in cauſa bonorum, quæ teſtator relinquit 59 pro Eccleſia ædificanda non poteſt peti reſtitutio in integrum, cum jura loquantur in Eccleſia non in rebus deſtinatis, tradit Domi. *c.* 1. *ad fin. de reſtitutione in integr.* ſequitur Felin. *c. cum adeo numero* 4. *de reſcript.* Brun. à ſole *in comp. verb. deſtinatio*, de quo infra *numero* 71.

Et licet Articulus iſte, an deſtinatio habeatur 60 pro facto, ſit ſubtilis, & à nullo bene tactus, ut dicit Alberic. 2. *p. ſtatutorum quæſt.* 205. ſitque admodum involutus, cum pro una, & altera parte ſint plura jura, & DD. ut inquit Ant. Gabr. *lib.* 1. *concluſ. tit* 2. *de præſumption. concluſ.* 12. *in princ.* tamen verior ſententia eſt, quod non habeatur pro facto, ut colligitur ex traditis per eum & per Tiraq. *de retract. lignag. gloſſ.* 7. *§.* 1. *n.* 106. *&* 107. & per Felinum *d. cap. cum adeo de reſcriptis*, & per Brun. à ſole *verb. deſtinatio*, nam jura allegata pro contraria parte id non probant, 61 allegant enim, *lib.* 3. *§. quid ergo, ff. de contraria*, & utili actione tutelæ, ad hoc quod pecunia depoſita in emptionem habetur pro immobili, quod ibi non probatur, ſed dicitur quod tutor non potuit ſibi ſolvere ex illa pecunia, quia erat deſtinata in emptionem prædiorum, nec quod ut poſſit haberi, requiritur neceſſaria ſolemnitas, requiſita in alienatione immobilium minoris, nec id ex eo colligi poteſt, imo quod tutor qui erat creditor pupilli fuit in culpa, ſi non fecit cogere illum depoſitarium per judicem, ut de illis pecuniis depoſitis ſibi ſatisfaceret, & tanquam damnum tutori proveniens ſua culpa illi imputatur, ita intelligit Alexand. *l. cætera §. ſed ſi paraverit de legat.* 1. *& l.* 1. *§. fuit quæſitum ff. ad Trebel.* ſequitur 62 Felin. *cap. cum adeo num.* 5. *de reſcriptis*, qui enim non utitur remediis opportunis ad actum, eſt negligens, bonus textus eſt *in l. fin. §. illud, verſ. niſi ipſe appellator, C. de tempor appellat.* tradit Roland. *conſ.* 52. *num.* 25. *vol.* 4. Craveta *conſil.* 232. *num.* 4. ubi quod ob negligentiam





privatur jure ſibi competente, pro quo eſt textus *in l. dolus ff. mandati*, & facit gloſ. *l. ſi ab hoſtibus §. fin. ff. ſolut. matr.* & quod culpa reputatur non facere omnia, quæ oportuit, *l. qui occidit.* 30. *§. fin. ff. ad l. aquiliam* tenebatur itaque adire judicem ad petendum ſibi ſolvi ex pecuniis depoſitis, ne uſuræ currerent minori, & ſi judex non juſſiſſet, ſalvum illi manebat jus uſurarum, ut inquit *d. l.* 3. quia ei non eſt imputandum, uti aliàs dicitur, de eo qui allegans minorem eſſe creditorem, compulſus fuerit ad ſolutionem *l. ait Prætor. §. permittitur. ff. de minoribus*, & non excuſatur quis, ſi non facit diligentiam, quam poteſt, tradit. Azevedo *in Curia Piſana, cap.* 9. *numero* 1. pro quo eſt text. *in lib. idem Julianus* 41. *§. fin. de legat.* 1. ubi quod non dicitur difficile, quod haberi poteſt etiam cum difficultate, per quem textum ibi DD. tenent, quod culpa imputatur ei qui non poſtulavit, quod à Principis voluntate dependet, quamvis impoſſibile cenſeatur, tradit Betius *conſ.* 37. *numero* 5. & ibi arguit, quod multo magis imputanda eſt culpa ei qui ab inferiore à Principe non poſtulavit, quod facile impetrari ſolet, non enim excuſantur qui poſſunt tollere impedimentum *cap. his quibus* 60. *de electione*, ubi electoribus impeditis currit tempus, ſi poſſunt impedimentum tollere, nec habetur ratio impedimenti, quod amovere licet, *l. ſed ſi per Prætorem §. hæc clauſula ff. ex quibus cauſis major. l. diebus in princ.* & ibi Socin. 3. *notabili. ff. de condition. & demonſt. l. qui poteſt facere ff. de regul. jur.* plures Doctores refert Aym. *conſ.* 327. *num.* 89. ubi loquitur in eo qui poterat tollere impedimentum judicem adeundo, ex quo eſt, quod etſi non imputetur negotiorum geſtori, ſeu tutori non habenti actionem contra debitores, quod eos non convenerit, *l. ſi pupilli §. videamus, de negotiis geſtis*, ſi tamen ex ſuſceptione judicii inducatur actio, & non faciat, imputatur ei, dicit communem Jaſ. per text. ibi *in l. ſi Titius*, 9. *ff. de verborum numero* 3. tradit Meteſilanus *notabili* 7. ubi Serapia additionator plures refert, dicentes communem.

63 Sic & non dicitur impeditus agere, qui poteſt agere petendo licentiam, tradit Abb. *cap.* 2. *num.* 11. *de conceſſione præb. & c. quia diverſitatem num* 10. *eo tit.* Felin. *cap.* 1. *num.* 1. *de præſcription. & idem. cap.* 2. *col. fin.* Bald. *de præſcript.* 1. *p.* 6. *p. numer.* 17. Poterat itaque tutor creditor pupilli illam pecuniam depoſitam petere, nam ad inſtantiam creditorum judices ſolent illam capere, & ſine ſolemnitate decreti *l. à divo Pio §. fin. ff. de re ju-* 64 *dica.* ibi: *Hoc amplius, & ſi pupillaris pecunia in arca repoſita ſit ad prædiorum comparationem, etiam citra permiſſum Prætoris, ab eo qui exequitur ſolet capi, & in cauſam judicati converti*, qui textus mirabilis eſt ad noſtrum propoſitum, & licèt eum textum allegaverit Ægidius Magiſt. *tract. ſubhaſtatio cap.* 1. ad hoc, quod ſit res immobilis, deſtinata in emptionem prædiorum, & verbum in ea lege poſitum citra permiſſum prætoris poſſit ſalvari, ex eo, quod in alienatione rei immobilis minoris ex cauſa neceſſaria non eſt opus decreto per *l.* 1. *C. quando decreto opus non eſt* prout, & nos diximus *ſupra numer.* 6. reverà non probatur *in d. § fin. concluſio* ad quam allegatur, ſine divinatione, non enim deſinit eſſe pecunia, ut dicit Pinelus *rub.* 2. *p. cap.* 3. *num.* 12. *de reſ.* Mieres *de mor.* 1. *p. q.* 11. *num.* 2. quod autem per ejus diſpoſitionem colligitur, eſt, quod tutor creditor, ut quilibet alius poterat petere à judice, ut ſibi ſolveretur de pecunia deſtinata in emptionem, neque *l.* 4. *ff. de fundo dotali*, quæ prohibitionem alienationis extendit ad ſponſum, quia in eo eadem eſt ratio, quod in marito, probat, quod deſtinatio habetur pro facto, neque *l. etſi non §. infecti. ff. de auro, & arg.* 65 *leg.* prædictam concluſionem probat, ſcilicet, quod deſtinatio habeatur pro facto, ſed in caſu quo legatum eſt argentum factum, quo caſu inquit Juréconſultus non contineri infectum, intelligens pro infecto, rudem materiam. Si tamen ſit cœptum fabricari, licèt opus non ſit perfectum, inquit non haberi pro infecto, cum non ſit in rudi materia, & ſic cum in eo ſit fabrica, & aliquid facti præter rudem materia, venit appellatione facti, cui magis adhæret, & in eo, *§. infecti*, ſufficit, quod non ſit in rudi materia, ut non dicatur infectum, quia in legatis pleniùs voluntates teſtantium interpretamur *l. in teſtamentis. ff. de regul. capit.* 66 *dilecti de donatio.* aliàs enim non dicetur factum dum aliquid ſupereſt agendum *l. cum Sillanianum in fine, C. de his quibus ut indig. & ad Sillanianum, c.* 1. *in fine* juncta gloſſa *fin. ad medium de renunciatione c. nihil.* 7. *q.* 1. & gloſſa *verbo nullum in §. fin. juſt. quibus modis teſta.* Neque obſtat *l. granaria* 19. *ff. de actio empti.* nam ibi I. C. non ſolum requirit deſtinationem, ſed quod tabulæ defoſſæ ſint in terram, atque ita in 2. reſp. habetur, quod regulæ, quæ non dum ædificiis impoſitæ ſunt, quamvis regendi gratia allatæ ſint, non cedunt ædificio.

Neque etiam obſtat *l. item legato* 47. *§. fin. de* 67 *legat. & l. ſi quid earum, §. inter emptum, & paratum, eo tit.* quibus juribus videtur repugnare *l. cætera §. fin de legat.* 1. nam ea jura conciliat Alberic. 2. *par. ſtatutorum, q.* 205. in hunc modum, quod ibi teſtator in primis duobus juribus habuit pro diſpoſito, vel quod ibi habetur pro diſpoſito, ut legatum confirmetur, & in *d. l. cætera §. fin.* habetur pro non diſpoſito, ut etiam legatum confirmetur. Et ſic quod idem favor validitatis legati facit 68 duo diverſa, & quod unum diverſimodè accipiatur. pro quo allegat text. *in l. talis ſcriptura ff. de legat.* 1. *& l. ſi unius in fine ff, de pact.* Neque obſtat text, 69 in authent. *de Eccleſiæ titul. §. pro temporalibus*, quia ibi Eccleſiæ etiam conceditur, ut contra eam ſolum currat quadragenaria præſcriptio pro legatis piis ei relictis. Si ergo (ut remanet expeditum) deſtinatio non habetur pro facto cum difficultate defenditur non deberi gabellam ex iſta venditione rerum relictarum pro animæ piaculo, & pro anniverſario.

Sed merito, ut religioſa, ita & vera eſt opinio 70 Doctorum tenentium non deberi, cum diſtinctione, quam facit Laſſarte, ubi ſupra, ſcilicet eo caſu, quo diminueretur relictum in pios uſus per gabellæ ſolutionem, non autem quando aliunde poſſet ſuppleri quantitas ab hæredibus, vel aliis vendentibus.

Quod ut meliùs intelligas dic, quod aut relinquitur pro anniverſario fundus, domus, vel alia res emphitheotica in ſpecie, & eo caſu cum claudatur relictum in ea re, & ejus æſtimatione, licet teſtator relinqueret alia bona, ejus hæredes non tenebuntur ſupplere gabellæ ſolutionem. Atque ita ſi ſolveretur, minueretur anniverſarium, & hic eſt noſter caſus, & ita teneo, tali enim caſu, bene poteſt dici, quod res vendatur nomine Eccleſiæ

ſeu anniverſarii, quia ea quæ legantur recta via ab eo qui legatur, ad eum cui legat, ſunt, tranſeunt. *l. à Titio ff. de furtis l. cum pater §. Surdo, de legat. 2. l. magis puto, verſic. fundum autem legatum ff. de rebus eorum.* Zanchinus *de privilegiis Eccleſiæ, priv.* 10. *numero* 1. *&* 7. ubi quod ex ſolo actu teſtatoris acquiritur dominium, ita ut ei tanquam domino debeantur fructus, & penſiones, Selva *de benefic.* 3. *parte quæſt.* 6. *num.*8. Sforcia Oddi *de rect. integ.* 2. *par. quæſt.* 3. *art.* 5. *num.* 29. Vincentius de Franc. *deciſ.* 254. & favore piæ cauſæ poteſt peti ante aditam hæreditatem, Tiraquel. *de privileg. pia cauſa, privil.* 33. & 34. & licèt non poſſit in Eccleſiam ſeu anniverſarium tranſire, tranſit tamen, quoad æſtimationem ad ſimilitudinem rei alienæ legatæ, ut ſuprà eſt dictum, atque ita habet locum *deciſ. l.* 6. *tit.* 18. *lib.* 9. *Recop.*

71 Pro quo facit, quod tradit Ancharranus *conſ.* 229. incipienti ſuper primo, ubi per multas rationes concludit, quod ſi laicus dimittat omnia bona ſua pro alendis pauperibus, etiam ſi adminiſtrationem relinquat communitati ſæculari, & addat, quod Epiſcopus ſe non intromittat, etiam ſi non intervenerit authoritas Epiſcopi, nihilominus gaudent privilegio, & non poſſunt collectari, quem ſequitur Joannes Anton. de Nigriſ. *in extravaganti unica, num* 117. *de vita, & honeſtate clericorum,* quod limita, *ut infra num. finali,* & in eis bonis datur reſtitutio in integrum Anton. Gabriel *lib.* 1. *commu. tit. de præſumptio. concluſ.* 11. *num.* 3. quem & alios refert, & ſequitur Sforcia *de rect. in integ.* 1. *p. quæſt.* 3. *artic.* 5 *num.* 28. Aut relinquitur certa quantitas in genere redigenda ex venditione bonorum defuncti, & ſi bona vel non ſufferant, vel eorum valor ſolum ſit quantitas relicta, quia tunc ſi ſolveretur gabella, fraudaretur quantitas relicta non debebitur, ut in priori, quia nihil refert, quid ex æquipollentibus fiat, & extenſio ſtatuti ſit ex identitate rationis favore animæ, gloſ. *in authentica Sacramenta puberum, C. ſi adverſus venditionem, verbo puberum,* Joann. Andric. *c. pro humani de homic: lib.* 6. Corſetus *ſingulari tertio, verbo extenſio.*

73 Aut relinquitur certa quantitas in genere pro anniverſario, & teſtator relinquit alia bona ex quibus poſſit ſuppleri, & ſolvi gabella, & eo caſu cum & anniverſario, & domino noſtro Regi poſſit conſuli, debet fieri. Benedict. *c. Raynuntius, verb. & uxorem deciſ.* 5. *numero* 4. Neque eſt cur admittantur hæredes, dicentes ſe vendere pro animæ piaculo, ut non animæ, ſed ſibi proficiant in excuſatione ſolutionis gabellæ.

74 Pro quo facit, quod pro bonis anniverſariorum deducto onere poteſt quis collectari ut tradit Flores de Mena *lib.* 2. *variar. quæſt.* 21. *num.* 68. & ex Ancharano tradit Avendanus *de exequendis mandat.* 2. *p. cap.* 14. *numero.* 32.

## CAPUT XXI.

### De anniverſario pro Virginibus maritandis, & Infantibus expoſitis nutriendis.

*SUMMARIUM.*

1 *Procreatio ſobolis utilis, & neceſſaria eſt reipublicæ & ob eam rationem, dotis cauſa eſt favorabilis.*

2 *Plus deſideratur ampliari Imperium hominum adjectione, quam pecuniarum copia.*

3 *Lex Julia Miſcella, quæ admittebat juramentum ſuper viduitate ſervanda favore reipublicæ eſt ſublata.*

4 *Partus non tantum parenti, ſed etiam reipublicæ naſcitur.*

5 *Maximus ornatus civitatis ſunt pueri, ad populi amplitudinem.*

6 *Plura a jure conceduntur privilegia, & exemptiones munerum realium, & perſonalium ob numerum liberorum.*

7 *Leges ſobolis procreandæ cauſa latæ, ſunt adiuvanda interpretatione.*

8 *Conditio inductiva viduitatis, & impeditiva nuptiarum rejicitur, tam in uxore, quam in viro.*

9 *Matrimonium primario fuit inſtitutum à Deo in officium naturæ ad propagationem ſobolis.*

10 *Legatum pro Virginibus maritandis non patitur commutationem cum alio pio opere, niſi id faciat Romanus Pontifex de plenitudine poteſtatis.*

11 *Matrimonii ſecundus finis, eſt remedium concupiſcentiæ.*

12 *Status Virginum, & continentium eſt perfectior quam ſtatus matrimonii.*

13 *Puellæ ſunt in magno periculo, propter homines eas ſuadentes, & artibus inducentes ad peccandum, & ſic valde eſt meritorium pauperibus dotes relinquere, ut nubere poſſint. Et pauperes puellæ dicuntur, quæ vivunt ex labore.*

14 *Relictum pro maritandis puellis habet annexam conditionem matrimonii, licet plures contrarium tenuerint, ſed auctor diſtinguit.*

15 *Relictum pro maritanda certa, & expreſſa puella poteſt peti ante nuptias, & quare.*

16 *Legatum ad nuptias debetur, & poteſt peti etiam quod puella non ſit nobilis ætatis.*

17 *Legatum certæ quantitatis Mariæ relictum pro ea maritanda eſt purum, & poteſt peti ante nuptias, & de ratione.*

18 Legatum *relictum ad nuptias an ſit ſolvendum ſine aliqua cautione, & quando requiratur cautio* & n. ſequenti.

19 *Intelligitur text.* in l. Titio centum 70. in §. Titio genero ff. de conditio. & demonſtra.

20 *In diſpoſitione alicujus actus fiendi, cenſetur ineſſe antecedentia neceſſaria.*

21 *Relictum ad nuptias certæ puellæ, poteſt expendi in præparatoriis nuptiarum.*

*Legatum ad nuptias non dicitur modale, ſed purum, & tranſit ad heredes, ſed pro dote eſt conditionale.*



22 *Legatum relictum pro dote purum vel conditionale judicatur conjecturando verba relinquentis.*

23 *Legatum pro virginibus maritandis, generaliter, relictum ſemper eſt conditionale.*

24 *Legatum ſpeciale alicui nominatæ puellæ relictum pro ea maritanda, conſequitur ſi ingrediatur religionem, & idem uxor, cui relinquitur ſi vidualiter vivat.*

25 *Legatis mille Mariæ, ſi nupſerit & quingentis ſi religionem ingrediatur, ipſa ingrediente religionem lucrabitur mille, limita, ut ibi.*

26 *Legatum generaliter relictum pro virginibus maritandis; non lucratur puella, quæ religionem ingreditur,*

27 *Affectio teſtatoris non ita conſideratur erga perſonas ſibi ignotas, quam erga notas.*

28 *Ultima voluntas non pertinet ad arbitrium alicujus, ſed teſtatoris.*

29 *Conditio voluntaria eſt adimplenda in ſpecifica forma, licèt neceſſaria poſſit impleri per æquipollens.*

30 *Legatum ſpecialiter relictum Mariæ pro ea maritanda, eſt ei ſolvendum, licet jam fuerit nupta, ſecus tamen erit in legato generali pro virginibus maritandis. Limita ſi ſit relictum pro conſanguineis maritandis, & contrahant ſpe recipiendi dotes, & proteſtentur.*

31 *Dos relicta pro Virginibus orphanis maritandis, an poſſit dari habentibus patres pauperes, & inutiles, reſolvitur diſtinguendo.*

32 *Voluntas pia ſi non poteſt adimpleri in re ab ipſo teſtatore declarata, debet legatum in aliud opus pium converti.*

33 *Orphani dicuntur, habentes inutiles patres.*

34 *Privilegia viduis conceſſa, competunt habentibus viros inutiles.*

35 *Eccleſia dicitur viduata, quæ habet Epiſcopum, ſed inutilem.*

36 *Univerſitas dicitur non habere Syndicum, ſi habeat infirmum, vel inhabilem.*

37 *Relicta in pios uſus, in remiſſionem peccatorum cenſentur relicta.*

38 *Diſpoſitio in unum caſum concepta, comprehendit caſum ejuſdem effectus.*

39 *Qui ſe reſtringit ad unum caſum, non excludit ſimilem.*

40 *Diſpoſitio extenditur ad caſum in ea expreſſo ſimilem, quoad mentem, quoad rationem, & quoad effectum.*

41 *Quando anniverſarium pro virginibus maritandis relinquitur, in favorem puellarum cognationis, ſunt citandæ per edicta.*

42 *Contrahens invalide non lucratur dotem.*

43 *Actum qui debet facere, tenetur facere, ita ut valeat.*

44 *Verba debent intelligi de actu valido, quia actus nullus habetur pro non facto.*

45 *Factum non dicitur, quod non durat factum.*

46 *Matrimonium poteſt contrahi per procuratorem, & ſic contrahentes lucrantur hujuſmodi dotes, & numeris ſequentibus.*

47 *Potentiſſimus Rex noſter Philippus III. contraxit per procuratorem, & Archidux Albertus Flandriæ Comes in Ferraria Civitate coram Clemente Papa VIII.*

48 *Legatum relictum pro virginibus maritandis non ſolvitur, niſi velatis, licèt ante velationem verum contrahatur matrimonium mutuo conſenſu declarato coram Parocho, & teſtibus.*

49 *Factum non dicitur dum aliquid ſupereſt agendum.*

50 *Verba teſtatoris ſeu alterius diſponentis ſunt intelligenda ſecundum communem uſum loquendi.*

51 Titulus tertius libr. 5. Recop. de las mugeres caſadas, & titulus nonus de las ganancias, ejuſdem libr. 5. Recop. intelligitur de velatis.

52 *Non utens remediis opportunis ad actum eſt in culpa.*

53 *Teſtatores, & contrahentes cenſentur ſe conformare cum diſpoſitione juris etiam impropriando verba.*

54 *Si alter ex conjugibus decedat ante benedictiones nuptiales, amittitur dos.*

55 *Conditio individuum actum facit, & ad integrum impleri debet, aliàs corruit actus.*

56 *Conditio inducit formam, cujus omiſſio in minima parte vitiat actum, etiam in pia cauſa.*

57 *Verius eſt dotem eſſe ſolvendam ſi contracto jam matrimonio ante velationem alter conjugum decedat, limita ut infra* num. 60.

58 *Inſpicienda eſt cauſa facti, & quare aliquid fiat.*

59 *Deſideria morientium ex recto arbitrio viventium regulantur.*

60 *Conjuges ſi contumaces fuerint in non obediendo Epiſcopo jubente eis accipere benedictiones nuptiales, non lucrantur legatum dotis.*

61 *Contrahentibus matrimonium prætermiſſis denunciationibus, abſque Ordinarii licentia non ſervetur dos, quo uſque fuerint ab exceſſu abſoluti ab Ordinario.*

62 *Culpa alterius ex conjugibus, in non recipiendo benedictiones nuptiales, non debet alteri obedienti obeſſe, limita, ut* num. ſequenti, & n. 65.

63 *Maritus tenetur exigere dotem contractis nuptiis, & non faciens tenetur ad intereſſe.*

64 *Si tranſacto tempore, intra quod nubere debent fœminæ orbatæ, contraxerint, non lucrantur dotem.*

65 *Conditio nuptiarum ſi deficiat per caſum, ut per mortem alterius, amittitur relictum.*

66 *Relictum pro orphanis puellis maritandis, an poſſit dari expoſitis, & vulgo conceptis;* & numeris ſequentibus.

67 *Parentes qui filios exponunt, amittunt patriam poteſtatem. Multæ opera miſericordiæ exercentur per nutrientes expoſitos, &* num. 73.

69 *Refertur pietas patris auctoris circa expoſitos.*

70 *Bartolus fuit expoſitus, & non erubuit dicere & nutritori gratias referre.*

71 *Illuſtriſſimus Cardinalis dominus Petrus Gonçalez de Mendoça Archiepiſcopus Toletanus, fundavit Toleti Hoſpitale, ut ſuis expenſis expoſiti educarentur.*

72 *Matriti educantur expoſiti in Hoſpitali vulgariter nuncupato,* De la ſoledad, y niños expoſitos.

73 *Magnum opus, & laudabile exercent confratres dicti Hoſpitalis cum ſimul Deo, Regi, & Patriæ ſerviant.*

74 *Confratres prædicti poſſunt implorare judicis officium,*

*cium, ut compellat divites eleemoſynas, pro expoſitis educandis, dare.*

75 *Expoſiti ut alantur, debet fieri mutuum de bonis communibus, & poteſt peti ab iis confratribus.*

76 *Confratres prædicti, & alii expoſitorum nutritores nomen parentum ſibi aſſumunt.*

77 *Confratres prædicti poſſunt petere dotes relictas pro puellis orphanis maritandis, dari expoſitis quarum ſunt capaces.*

78 *Legatum pro virginibus orphanis naturalibus maritandis poteſt dari expoſitis cum præſumantur à jure ejus patriæ, qua expoſiti fuere.*

79 *Legatum pro orphanis maritandis an detur vulgo conceptis, reſolvitur diſtinguendo, & numeris ſequentibus.*

80 *Spuria etiam clerici poteſt petere à patre, ut eam doter, etiam de fructibus beneficii.*

81 *Nati ex nefariis, & inceſtuoſis nuptiis, nec naturales nominantur, nec ſunt alendi à parentibus de jure authenticorum.*

82 *Puellæ verè orbatæ præferendæ ſunt vulgò conceptis.*

83 *Fundator ſi juſſerit dari dotes orphanis ſuæ cognationis, præferuntur legitimæ illegitimis.*

84 *Dotes relictæ pro puellis Toletanis maritandis, an dentur puellis territorii.*

85 *Viduitatis conditio toleratur in legato viduæ relicto.*

86 *Virgini ſi relinquatur legatum ſub ea conditione, ne nubat, & fuerit ſubſtituta pia cauſa, valet conditio.*

87 *Orphanæ dicuntur patre carentes.*

88 *Dotes relinquens, ſi non dicat pro virginibus maritandis, ſed pro orphanis ſeu puellis maritandis, admittuntur viduæ.*

89 *Relictum conjugi, ſi caſtè vixerit non amittitur nubendo, quia dicitur caſtè vivere: tamen ſi geminatas contraxerit nuptias relicto privabitur.*

90 *Puellæ, quæ tempore contracti matrimonii, non virgo, ſed corrupta erat, an ſecura conſcientia poſſit retinere dotem relictam pro virginibus maritandis.*

91 *Dotes an poſſint dari monaſteriis pauperibus pro ingreſſu monalium ad earum alimoniam abſque ſimoniæ labe.*

1 D*Otis cauſa ſemper, & ubique præcipua eſt, nam & reipublicæ intereſt, dotes mulieribus conſervari, dotatas eſſe fœminas ad ſobolem procreandam, replendamque liberis civitatem maximè ſit neceſſarium*, verba ſunt Pomponii Juriſconſulti *libr. 15. ad Sabinum, relata lib. 1. ff. ſoluto matrimonio*, ex quibus deducitur, præcipuam fieri dotis cauſam ob finem prolis, ad quem dirigitur dotis datio.

2 Sic & Paulus *lib. 1. §. ſi plures, ff. de bonis damnatorum* refert, & ſequitur ſententiam Adriani dicentis: *Favorabilem apud me cauſam liberorum Albini filiorum numerus facit, cum ampliari Imperium hominum adjectione, potius quam pecuniarum copia malim.*

3 Sic Juſtinianus *l. 2. C. de indicta viduitate tollenda*, dum prohibet juramentum legis Juliæ Miſcellæ de viduitate ſervanda inquit: *Augeri etenim magis noſtram rempublicam, & multis hominibus legitimè progenitis frequentari, quam impiis perjuriis affici volumus:*

Sic Ulpianus *l. 1. §. & generaliter, ff. de ventre in poſſeſſionem mittendo*, inquit: *Partum non tan-* 4 *tum parenti, cujus eſſe dicitur, verum etiam reipublicæ naſcitur.*

Sic interrogatus Homerus, quis eſſet maximus 5 civitatis ornatus, inquit: *Pueri & turres* ſignificans per pueros populi amplitudinem, & refert Burg. de Paz. *l. 3. Tauri 1. p. num. 514. verſiculo tum quia.*

Quapropter plura in jure privilegia, & exemp- 6 tiones munerum perſonalium, & realium ob liberorum numerum conceſſa ſunt, ut in *lib. 2. §. numerus liberorum ff. de vacatione mun. lib. 1. C. qui num liberorum ſe excuſat, libr. 10. l. amiciſſimos ff. de excuſat. tuto. l. ſi quis Decur. C. de decur. li.* 10. de quo Cacheran. Oſaſcus *conſ.* 60. *&* Vincent. de Franchis, *deciſ.* 259. Gregorius. *l. 2. tit. 17. partita 6. gloſ.* 2. Covarruvias *in 4. 2. part. cap. 8. in princip.* Rojas *de ſucceſſionibus cap. 16. num.* 9. Rolandus *conſ. 66. numer. 35. vol. 1. & conſ. 52. vol.* 2.

Sed & omnes leges ſobolis procreandæ cauſa 7 latas, utiles eſſe reipublicæ, & adjuvandas interpretatione, inquit text. *in l. hoc modo, ff. de condition. & demonſtra.*

Et ſic conditio impeditiva nuptiarum, & indu- 8 ctiva viduitatis rejicitur per totum titulum, *C. de inducta viduitate toll.* & non ſolum habet locum in muliere, ſed etiam in viro. Glo. *verbo à conjuge in authent. cui relictum eo tit.* quam ſequitur ibi Jaſ. *numero 5. contra* Paulum ibi, *numero etiam.* 5. de quo miratur Leon *in ſua centuria reſponſo 9. num.* 1. ubi pro opinione Glo. allegat textus *in authent. de nuptiis §. quæ vero, verſ.* unde Sancimus, ibi: *Sive uxor maritum*, idem námque eſt utriuſque & etiam ponderat *l. fin. C. de induct. vidui.* ibi: *Non ſolum in fœminis, ſed etiam in maſculis ceſſare*, & Petr. Caball. *Conſ. 1. num.* 3.

Et cum matrimonium primariò fuerit inſtitutum 9 à Deo in naturæ officium ad propagationem ſobolis, ut conſtat Geneſis, *cap. 1. &* 2. Et ob eam rationem ſit magni æſtimandum legatum annuatim reli- 10 ctum pro virginibus maritandis, & ita ſit pium, ut audeant affirmare Doctores, nullo modo pati commutationem cum alio pio opere, ut tradunt Baldus *lib. 1. in finalibus verbis, C. de his quæ penè nomine relinquuntur.* Barbat. *conſ. 23. vol.* 1. Joannes Guttierr. *in conſ. 26. numero 13. in fine, & num.* 14. Guillermus Benedictus *in c. Raynuntius, verb. qui cum alia matrimonium contrahit nume.* 32. ubi inquit rationem eſſe, quia in eo relicto adeſt favor procreandæ, ac gignendæ ſobolis forſan duraturæ, quæ pro alio actu etiam pio æſtimari non poſſet, ſicque alteratio illius ab alio quàm à Papa de plenitudine poteſtatis fieri non poſſe affirmat, & diximus *ſupra capit. 14. num. 38. & ſequentibus.*

Sed in hoc anniverſario virginum maritandarum eſt multum conſiderabilis ſecundus finis matrimo- 11 nii, nempe remedium concupiſcentiæ juxta illud Paul. 1. *ad Corinthios cap.* 7. habeat unuſquique ſuam, propter fornicationem vitandam.

Nam licet veriſſimum, & abſque dubio ſit, ſtatum virginum, & continentium eſſe perfectiorem, 12 & majoris meriti, quam matrimonii ſtatus, ut traditur in œcumenica Tridentina Synodo, *ſeſſione 24. capit.* 10. & Paulus 1. *Corinthiorum, capit. 7. in fine*, hoc pro vero, & indubitabili relicto dato, quod puellæ, & virgines non intendant ſervare continentiam, ſed appetant ſtatum conjugii, neque habeant dotem, ut inveniant 13 viros



viros quibus nubere poſſint, & ſint plures homines qui artibus, & doloſis ſolicitationibus eas ad luxuriam invitent, ut dicit textus *in l. unica ad finem, C. de raptu virginum, & in authentic de lenonibus. §. 1. collatione* 2. ſunt quidem miſeræ puellæ in maximo periculo, laudandi; ergo ſunt qui eis provident de ſuis facultatibus, ut nubere poſſint, & dicuntur pauperes egentes dotibus ad inveniendos viros, licèt vivant ex labore manuum, vel ex ſervitio, Mantica *de conjectur. mente, li. 8. tit.*

14 *5. num.* 22. Quidquid tamen datur, & relinquitur pro dotandis, ſeu maritandis puellis conditionem annexam matrimonii continet, conditionaleque legatum, ſeu relictum cenſeri debet, & non debetur, niſi matrimonium ſequatur ex doctrina Bart. *l. Titio centum §. Titio genero num. 7. ff. de condit. & demonſtr* communiter receptus, ſecundum Paul. ibi *numero* 4. Corneum, *conſ. 229. volum.* 4. quos & alios refert Covar. dicens communem opinionem, *capit. 3. num. 11. de teſta.* dicit magis communem Alexander *conſ. 42. numero 2. vol.* 7. plures alios refert Craſſus *de ſucceſſ. §. legatum num. 3. verſi cap. ſed contrarium.* Anton. Gomez. 50. *Taur. numero* 29. & hæc eſt vera ſententia licet non defuerint qui contrariam tenuerint, ut Baldus Novellus de dote, *privilegio* 76. Imol. *d. §. Titio genero, numero.* 9. qui dicit communem, Joannes Bota *conſ. 7. & conſ. 19. num.* 16. qui dicit ab ea in judicando, & conſulendo recedendum non eſſe, Spino *de teſta. gloſ. 14. numero 40. &* 41. ubi dicit veriorem, quos refert Cevallos *quaſt. 138. commu. contra com. 3. &* 4. ſed inter has communes eſt diſtinguendum.

15 Nam diverſimodè eſt judicandum de legato pro maritanda certa, & expreſſa puella ipſi relicto à legato generali pro dotandis puellis: in legato enim ad nuptias alicujus puellæ ſeu plurium nominatarum relicto, ad illud capeſſendum non ſunt nuptiæ expectandæ, & poteſt peti ante nuptias, cum poſſint fieri expenſæ neceſſariæ ante contractum matrimonii, & ſufficit, quod expendatur pro ea maritanda, ut tenet Bart. *in d. l. Titio genero in fin. ff. de cond. & demonſtr.* quem ſequuntur communiter DD. ſecundum Rogerium *tract. de dote 5. p. num* 1. ſequitur Michaël Craſſus *de ſucceſ.*

16 *§. legatum, quæſtione 48. num.* 2. & licet teneat ſaltim requiri, quod puella ſit nubilis ætatis, contrarium in hoc tenet Anton. Gom. *in l. 50. Taur.*

17 *numero* 29. cui ego aſſentior, quod maximè procedit, ſi relictum ſit conceptum his verbis, *lego Mariæ centum pro ea maritanda* (vel noſtro vulgari ſermone: *Mando à Maria cien ducados para ſu caſamiento*) nam hoc caſu illa verba, pro ea maritanda, non ſunt adjecta ſubſtantiæ legati, ſed ejus executioni, & præſtationi, & ita legatum dicitur purum, tradit Balt. *conſ. 286. num. 4. lib.* 3. Socinus *conſ. 92. numero. 8. verſ. confirmatur, hoc vol.* 1. quos refert, & ſequitur Aymon. *conſil.* 101. *numero* 1. ſequitur Mantica *de conjectu. ultim. volunt. lib. 11. tit. 18. num.* 19. illa enim verba (pro ea maritanda, ſeu matrimonio collocanda) videntur reſpicere quædam præparatoria, quæ animi cogitatione ſolent nuptias prævenire, & ſonare, quod mediante legato poſſit puella nubere, quo caſu legatum dicitur purum, ut dicit Bald. *conſil.* 249. poſt medium, in illis verbis: *Ad hoc ut nubere poſſit aſſigno ei mille, tunc purum legatum eſt, volum.* 4. & quamvis in hoc ſit variatum à gloſſ. *in d. §. Titio genero*, tandem volunt, legatum non eſſe conditionale, quam gloſſam ſequuntur omnes DD. ut teſtatur Craſſus *in dict. §. legatum, quæſt. 48. num.* 3.

Sed an eo caſu quo dicimus ſolvendum eſſe lega- 18 tum ante nuptias, ſit aliqua cautio præſtanda, & videtur, quod ſic per text. *in dict. §. Titio genero in fine*, ibi: *Sed cùm ante nuptias, quia purum legatum eſt, peti poteſt cautio mulieri pecuniam reddi, neceſſaria erit*, qui textus difficilis videtur in eo, nam ſi legatum eſt purum, ad quid cautio deſideratur; ſed certe ſi rectè perpendas deciſionem illius paragraphi invenies, ideò ibi deſiderati cautio- 19 nem, quia legatum fuit relictum filiæ, & genero futuro, & utique fuit conſultum, & licet ſit ad dotem filiæ, gener poteſt petere, prout potuit, ut conſulit Rolandus *conſil. 35 numero 31 volumine* 3. atque ita inquit textus, quod ſi Titius noluerit eam in uxorem ducere, ipſa filia lucrabitur legatum, & quod ſi nuptiis contractis petat, ei eſt dandum legatum ſi tamen ante nuptias petierit, quia poterit poſtea nolle nubere, eſt ab eo danda cautio de reddendo legato relicto pro dote filiæ ipſi filiæ, ex quo habes, quod eo in legato quo ſolum puellæ conſulitur, ut quando dicitur. (*Mando à Maria cien ducados para ſu caſamiento*) eſt ei dandum legatum ante nuptias, abſque ulla cautione, multis enim eget præparatoriis pauper puella ad matrimonium, nam eget ornatu ſuo ſtatui conveniente, ut poſſit adamari, & peti à futuro viro, nam ſi ſit induta vilibus veſtibus & dirutis, immundiſque, ab omnibus ſpernetur, & idem judicatur de præparatoriis, quod de præparato, juxta principium juris.

Nec mirum ſi puellæ ante contractum matrimo- 20 nium ſolvatur relictum. Nam in diſpoſitione alicujus actus fiendi cenſentur ineſſe antecedentia neceſſaria, l. *ad rem mobilem 56. lib. ad legatum petendum. 62. ff. de procurator. l. illud 76. ff. de acquirenda hæreditate.* E ſic hujuſmodi legatum pote- 21 rit expendi in præparatoriis ad matrimonium, quinimo hoc legatum non cenſetur relictum ſub modo, ſed purè, Baldus *conſ. 249. volum.* 4. in illis verbis: *Puta, quia dicit teſtator ad hoc, ut nubere poſſit, aſſigno ei mille, tunc purum legatum eſt:* nam ſi ſub modo eſſet relictum non adimplens modum amitteret datum, *l. Liberto, §. Lucius, ff. de annuis legatis, & per totum, C. de donatio. quæ ſub modo, &* infra *lib. 2. capit. octava, numero* 59. ubi de differentia modi & conditionis.

Et cum hujuſmodi legatum ſit purum, poteſt ſtatim peti, & mortua puella antequam contraxerit matrimonium ad hæredes tranſmittit legatum, Aymon Craveta *conſil. 10. num.* 1. & frater Manuel Rodriguez *in ſumma 3. part. verbo, Dote, cap. 98. numero* 2. Michael. Craſſus *ſententiarum: §. legatum, quæſtione 48. numero fin.* poſt Paulum, qui idem videtur ſentire *conſ. 25. num. 30. & fin.*

Si tamen relinqueretur puellæ pro dote, ſecundum plures Doctores legatum eſſet conditionale, nec ad hæredes tranſiret ſi obiiſſet puella non contractis nuptiis, Bartolus *lib. Titio centum, §. Titio genero, num. 3. ff. de condition. & demonſtration.* ex quo ut ibi inquit, dos non eſt ſine matrimonio, quem ſequitur dicens communem eſſe opinionem Craſſus, *§. legatum, quæſt. 48. numero* 3. Romanus *conſ. 134. numero* 2. Covarruvias, *capit. 3. num. 11. de teſtam.* Capitius *deciſ. 204. num.* 1. Didacus Perez *l. 1. titul. 2. De los teſtamentos, lib. 5. ordina pagin 78. verſicul. quæro utrum*, ubi limitat,

tat, niſi ex mente diſponentis contrarium colligi
poſſit, in quo ſequitur Covarruviam *ubi ſuprà*,
tunc enim idem eſſet dicere pro ea dotanda, quod
pro ea maritanda, & ſecundum hanc limitationem
procedet, quod tradit Aymon *dicto conſ.* 101. *num.*
1. dum idem judicat de legato pro dotanda puel-
la, quod pro maritanda, & Frater Manuel Ro-
driguez *in ſumma, verbo. Dote, cap.* 98. *numer.* 3.

Sit ergo firma reſolutio ex verbis relinquentis
legatum conjecturandum eſſe, fueritne conditio-
nale, ut tenent communiter Doctores teſte Covar-
ruvia, *d. cap.* 3. *de teſtam. numero* 11. Craſſus
*ſententiarum*, §. *legatum, queſtion.* 48. *numero* 4.
Anton. Gomez, *lib.* 50, *Tauri, num.* 28. & Dida-
cus Perez, *dict. lib.* 1. *titu.* 2. *De los teſtamentos,*
*lib.* 5. *ordinam. pag.* 78. *verſ. quæro utrum, in fine:*
ſemper tamen erit conditionale legatum, ſi relin-
quatur generatim pro virginibus maritandis, quo
caſu niſi nubenti non dabitur Thomas Sanchez
*libr.* 1. *de ſponſalibus, diſputatione* 33.*numero.* 31.
& 32. ubi plures refert. Eſt namque magna dif-
ferentia inter ſpeciale legatum uni, vel aliquibus
nominatis puellis relictum, pro eis maritandis,
& indiffinitum pro virginibus ſeu puellis maritan-
dis, ut tradit Anton. Gom. *in l.* 50. *Tauri, num.*
29. *in fine.*

24 Ex quo eſt, quod licet legato relicto ſpeciali-
ter alicui nominatæ puellæ pro ea maritanda,
poſſit ipſa Religionem ingredi & legatum lucrari,
ut eſt text. *in authentico de Sanctiſ. Epiſcopis*, §.
*ſed & hoc præſenti, collatione* 9. Speculat *titul. qui*
*filii ſint legitimi, num.* 33. Capitius *deciſ.* 204.
*num.* 1. & 2. Mantica *de conjecturata ment. libr.*
11. *titul.* 18. *num.* 26. niſi conjecturetur, teſtatorem
de nuptiis carnalibus intellexiſſe, ut ex multis tra-
dit Thomas Sanchez *lib.* 1. *de ſponſalibus, diſpu-*
*tatione* 33. *num.* 30. hoc enim favore Religionis
fit, tradit plures referens Thomas Sanchez ubi
ſupra *numero* 29. & per contrarium ſi relinquatur
uxori dum vidualiter vixerit conſequitur legatum
ingrediendo Religionem: nam licet ſpiritualiter
contrahat, tamen conſiderato matrimonio carnali
dicitur vidualiter vivere, tradit Cota *in memorab.*
*verbo vidualiter, pagin.* 914.

25 Et quod magis eſt, ſi relinquantur Mariæ ſi nup-
ſerit mille, & quingenta ſi Religionem ingredia-
tur, ipſa ingrediente Religionem, lucrabitur mil-
le, hoc enim facit favor Religionis, ita Bart. *in*
*l. fin. num.* 1. *ff. de his quæ pœne nomin. relinquun-*
*tur*, per text. *in dicto* §. *ſed & hoc præſenti,*
quam dicit communiter receptam Felin. *in ca-*
*pit. in præſentia, numero* 37. *de probat.* & ibi
Decius, *numero* 59. Jaſ. *in authentica. Si qua*
*mulier, numero* 9. *C. de Sacroſanct. Eccleſiis,*
Covarruvias *lib.* 1. *variarum, capit.* 19. *num.*9.
Menchaca plures referens *libr.* 3. *de ſucceſſionum*
*creatione.* §. 21.*num.* 176. Pariſius *conſ.* 65. *vo-*
*lum.*2. optimè Lara alios referens, *l. ſi quis à libe-*
*ris*, §. *ſi quis ex his, numero* 174. *ff. de liber.*
*agnoſ.* Rolandus *conſil.* 3. *vol.* 35. Gutierrez *in*
*quæſt. Cano. cap.* 32. *num.* 15. Cacher. *deciſ.* 127.
*numer.* 1. 6. & 22. Didacus Perez *in* l. 1. *tit. de*
*teſt. lib.* 5. *ordin. pag.*134. Baeça *in l.*101. *de Ma-*
*drid, c.*14. *num.* 21. Spino *de legato, ſub condi-*
*tione relicto, num.* 58. *& ſequentibus*, per text. *in l.*
*Titiæ, ſi non.* 99. *ff. de condit. & demonſtra.* ubi
hoc operatur favor gignendæ ſobolis, & à majori-
tate rationis eſt admittendum in digniori ſcilicet,
ingreſſu Religionis (niſi expreſſè conſtiterit de
de contraria teſtatoris voluntate, ut reſolvit plures
referens Thomas Sanchez *lib.* 1. *de ſponſ. diſputa-*
*tione* 34. *num.* 11. 12. & 13.) & ibi in fine ex
Bart. & aliis conſulit, quod ita legetur, Lego Ma-
riæ centum, & ei qui eam duxerit ducenta.

Tamen non ita erit in legato anniverſarii relicto 26
generatim, pro virginibus ſeu puellis incertis ma-
ritandis, Thomas Sanchez *lib.*1. *de ſpon. diſput.*33.
*numero* 32. nam etiam ſi accedat aliqua puella di-
cens, ſe velle ingredi Religionem, & lucrari le-
gatum, non eſt ei dandum, ex quo poterit teſta-
toris voluntas impleri in ſpecifica forma in aliis
virginibus, quæ maritos carnales recipiant, ita
Bal. *in authentica, niſi rogati, num.*11. *C. ad Tre-*
*bel.* quem ſequitur Joannes Gutierr. *conſ.* 26. *num.*
13. & 20.

Nec in his generaliter vocatis poteſt con- 27
ſiderari illa affectio, quam habet teſtator ſeu
alter relinquens ad perſonas ſibi notas, Tiraquel.
*in l. ſi unquam, verſ. filios non habens, numero.*2.
*de revocandis donat.* Mieres *de Majora.* 1. *part.*
*quæſtio.* 21. ubi optime, & Burgos de Paz *conſ.* 9.
*num.* 11. *colum.* 3. *numeri*, Aymon. *conſ.* 98. *num.*
2. per jura, quæ allegant, & cum in his incer-
tis non conſideretur affectio, ſolum conſideratur
effectus matrimonii, Thomas Sanchez *lib.* 1. *de*
*ſponſalibus, diſputatione* 33. *n.*31. *verſ. tandem* &
confirmatur, & ſic in caſibus quibus poſſit effectio
ſpeccifica relinquentis conſiderari, ut ſi relinquat
filiabus fratris, vel ſorotis, ſeu alterius conſangui-
nei amici, vel cujuſlibet nominatæ perſonæ erit
idem quod in legato relicto certæ puellæ, per
ea quæ tradit Mantica de conjecturata mente de-
functi, *lib.* 8. *titul.* 5. *num.* 22. Et conducit,
*l. quidam relegatus* 6. *ff. de rebus dubiis*, ibi: *Et*
*ſi non hæres, vel legatarius, ſed alius ex amicis,*
ubi autem generalior fuerit diſpoſitio, nempe vir-
ginum maritandarum erit ſecus. Ex quo ultima 28
voluntas non pertinet ad arbitrium alicujus ut di-
ximus *ſupra, cap.* 39. *num.* 39. & dicit Gutereus
loco proximè citato. Et quia conditio voluntaria 29
in ſpecifica forma eſt adimplenda, *l. Mævius, l.*
*qui hæredi. ff. de condition. & demonſtratio.* Bart. *l.*
*Gallus*, §. *& quid ſi tantum. num.* 3. *ff. de liber.*
*& poſthum.* quod dicit receptum Galiaula, *ibi,*
*num.* 28. Decius *conſ.*11. *num.* 19. licet ſecus ſit
in neceſſaria, quæ poteſt impleri per æquipollens,
ut tradunt prædicti.

Sic licet legatum ſpecialiter Mariæ relictum pro 30
ea maritanda debeatur, & ſit ei ſolvendum, licet
fuerit jam nupta hæc conditio. 10.& *l. ſi jam facta,*
*l. conditio noſtra* 90. *ff. de condit. & demonſt.* quæ
jura loquuntur quando certæ perſonæ relinquitur
dos, & *l. ſi quis hæredem, C. de inſtit. & ſubſtitut.*
tradit Bald. *l. fin. C. de ſentent. quæ ſine certa quan-*
*titate proferuntur*, Sarmiento *lib.*2. *ſelecta. c.*1.*num.*
11. Spino *de teſtam. gloſ.* 14. *num.* 152. Palacius
Rubeus, *c. per veſtras, notab.*3. *num.*4. Covar. *c.*
*officii num.*9. *de teſtam.* Thomas Sanchez *lib.* 1. *de*
*ſponſalibus, diſputatione* 33. *num.*32. *verſ. tandem,*
Cevallos communium contra comm. *quæſt.* 138.
*num.*6. Ludovicus Caſanate, *conſ.*35. *ex num.* 10.
Petr. Caballus *conſ.* 61. ſecus tamen erit in legato
anniverſarii relicto pro virginibus maritandis, quia
non debet dari nuptæ, ita Jaſ. *l. quominus, num.*
157. *ff. de fluminibus*, Hippolyt. *in pract.* §. 2. *num.*
53. quos refert & ſequitur Didacus Perez, *l.*1. *tit.*
*de teſtam. lib.* 5. *ordinat. pag.* 79. *verſi. dubium eſt,*
Thomas Sanchez ubi ſupra, & quod tradunt Do-





ctores relati à Caſanate *d. conſ.*35. *num.* 33. proce-
dit & habebit locum in relicto pro conſanguineis
maritandis, & erit ſine dubio, ſi contraxerint ſpes
recipiendi dotem, & proteſtatione facta.

31 Sed an dos relicta pro virginibus orphanis mari-
tandis, poſſit dari habentibus patres, ita tamen
pauperes & egenos, quod nullo modo valeant filia-
bus ſubvenire ad earum alimoniam ſeu dotem. Et
breviter eſt dicendum, quod ſi in loco quo juben-
tur maritari puellæ ſint verè orbatæ parentibus,
quibus poſſent dotes ſecundum ſpecificam relin-
quentis voluntatem tribui eis, ſunt omnino dan-
dæ, & non habentibus parentes etiam inutiles:
nam qua ratione diximus non ſufficere adimplere
defuncti voluntatem in digniori, modo, ut eſt in
ingreſſu Religionis, & ſic in matrimonio ſpiritua-
li, cùm ſint aliæ virgines volentes accipere viros
carnales eadem, & majori ratione non ſunt ad-
mittendæ habentes patres, etiam ſi eis nequeant
eſſe adjumento, argum. *l. generaliter*, §. *ſpurius,*
*ff. de Decurionibus, & eorum filiis*, ibi: *Sed ſi ha-*
*beant competitorem*, ex quo enim datur forma ex-
pendendi voluntas ad unguem, & non in uberiori
modo eſt ſervanda, *c. cui de non ſacerdotali, de præ-*
*bendis.*

Ubi tamen non adeſſent puellæ ſeu virgines or-
batæ parentibus, poterunt admitti habentes tales
inutiles patres cum competitorem non habeant, ar-
gum. *d. l. generaliter* §. *ſpurios, ff. de Decurionibus*
*& eorum filiis.*

Nam quando pia voluntas nequit adimpleri
modo ſeu forma à teſtatore expreſſa, ſive in re ab
ipſo declarata, poteſt legatum, imo debet in aliud
opus pium converti, *l. legatum, cum l. ſequenti,*
ubi Bart. *ff. de uſufructu leg. & l.* 1. *ff. de condit. in-*
*ſtitu.* Platea *l.* 1. *C. de Majuma. & l.* 1. *C. de expan-*
*ſis ludorum, libr.* 11. & diximus *ſupra, cap.* 14.
*num.*8. *& ſequentibus.* Et maximè eſt adimplendum
in æquipollenti caſu, cum nihil referat, quid ex
æquipollentibus fiat *l.* 3. *C. de inſtitut. & ſubſti-*
*tut. l. fin. C mandat l. ſi ita*, §. *is cui, ff. de legat.*
2. *cap. licet ex quadam, de teſtibus*, & ſic inquit
Palac. Rubeus, *c. per veſtras, nota* 2. §. 12. *num.*7.
quod executor ad expendendum in pias cauſas, po-
teſt dare dotes puellis habentibus patres paupe-
res.

33 Et cum orbati parentibns dicantur habentes inu-
tiles patres, argumento text. *in l. finali cum* gloſſa,
*verbo, orbitates, C. ad legem Fabiam, de plagia-*
*riis*, ubi cum text. dixerit principio: *Plagiarii qui*
*viventium filiorum miſerandas infligunt parentibus,*
*orbitates*, inquit gloſſa: *Orbatum vocat patrem à*
*filio, licet filius vivat, quia ſibi eſt inutilis*, quam
gloſſam, ut notabilem allegat Bertachinus *in re-*
*pertorio, verbo, orbatæ*, & eam appellat ſingula-
rem Alexand. *conſ.* 104. *num.* 4. *vol.*1. Jaſ. *l. fin.*
*num.*3. *ff. de officio ejus cui mandat. eſt ruris.*

34 Pro quo facit quod tradit Baldus dict. *l. fin. C.*
*de plagiariis*, nempe privilegia viduis conceſſa
competere, etiam habentibus viros inutiles, ſequi-
tur Cota *in memorabilibus, verbo, vidua.* Covar.
*q.* 7. *practicarum n.*2. *verſ. & eſt in hoc.*

35 Sic Eccleſia dicitur viduata, quæ habet Epiſco-
pum, ſed inutilem, *c. inter corporalia, de tranſla-*
*tione Epiſcopi, cap.*1. *de præſcript.* Didacus Perez,
*in additionibus ad Seguram, l. ex legati cauſa,*
*num.* 134. *ff. de verborum obligat.* Lucas de Penna,
*l. cum ſcimus, num.* 5. *C. de agricolis, & cenſitis,*
*lib.* 11.

Sic univerſitas dicitur non habere Syndicum, ſi 36
is valetudine contraria impediatur, vel inhabilis
ſit ad agendum, *l.* 1. §. *quod ſi nemo ff. quod cujuſ-*
*que univerſit. nomine.* Quod maximè procedit 37
cum tales dotes principaliter fuerint relictæ,
ut defuncti anima juvetur cum relicti in pios
uſus in remiſſionem peccatorum cenſeantur reli-
cta, tradit Maſcardus, *de probation, concl.* 1171.
*num.* 3. Et utroque caſu idem reſultet effectus cum 38
in omnibus animæ ſit ſatisfactum, cujus favore re-
linquitur, ut diximus, *ſupra cap.* 10. *numero* 75.
& teſtatoris voluntati ſufficit effectualiter, & per
æquipollens ſatisfacere, Gratianus, *deciſ.* 155.
*num.* 4. Et quia diſpoſitio in unum caſum concep-
ta, trahitur ad alium ejuſdem effectus, *lib. Gallus,*
§. *& quid ſi tantum, ff. de liberis & poſthumis, l.*
*mulier in principio, ff. ad Trebellianum.* Quia ſe reſ- 39
tringens ad unum caſum, non excludit caſum ſimi-
lem, gloſſa *in lib. cum prætor, verbo, videtur,*
*ff. de judiciis*, quam dicit celebrem Socinus Rubr.
*de acquir. hæredit. num.* 4.

Et quando caſus de quo quæritur, eſt ſimilis 40
expreſſio quoad mentem, quoad rationem, & quo-
ad effectum conſideratum, per teſtatorem ad eum
extenditur diſpoſitio, Tiberius Decianus, *conſ.* 1.
*numero.* 145. *cum ſequentibus*, Gratianus, *deciſ.*155.
*num.* 14.

* Et quia frequenter hujuſmodi anniverſarium pro 41
virginibus maritandis relinquitur in favorem puel-
larum cognationis relinquentis, & in favorem fa-
miliæ, ut *in l. cum fuerit*, 15. *ff. de condition. &*
*demonſtrat.* admittendæ ſunt cum ea qualitate, ut
dicimus de Capellaniis habentibus talem conditio-
nem, *infra lib.*2. *cap.* 2. & Patroni ſive executores
tenentur denunciare ſua intereſſe putantibus ſaltim
per edicta, & procedere ad dotium aſſignationem
præferendo proximiores, pauperiores, ut tradit
Gutierrez, *conſ. cx num.* 8. ſin autem negligenter
verſati fuerint, ordinarius, ut piarum cauſarum
executor faciet ſervando requiſita per fundatorem,
ut dicimus *infra, libro* 2. *cap.* 10. *num.* 27.

Scias tamen, eas puellas ſolùm lucrari dotem, 42
quæ validè contraxerint matrimonium: nam ſi vel
in ea ætate qua contractus non permittitur, licet
ſit traducta ad domum viri, vel ſi nubat conjuncto,
cujus nuptiis ei interdictum eſt, ut conditione de-
fecta legatum amittit, uti de utróque caſu eſt tex-
tus, qui id decidit, *l. hæc conditio* 10. *ff. de condi-*
*tion. & demonſtration. & l. quod pupillæ penultima,*
*ff. quando dies leg. vel fideicommiſſi cedat*, & con-
ducit textus, *in l. penultima in fine, ff. ad munici-*
*palem.*

Qui enim tenetur facere actum, tenetur facere 43
ita ut valeat, gloſſ. *l. hujuſmodi, verbo, legatum,*
*de leg.* 1. Capitius, *deciſ.* 93. *num.* 6 quia verba
ſemper debent intelligi de actu valido, Tiberius
Decianus *conſ.* 10. *num.*33. *volum* 1. ubi *numero* 34.
quod actus nullus habetur pro non facto. Nec dici- 44
tur factum, quod non durat factum, gloſſ. *in cap.*
*nam & ego, de verborum ſignificatione*, nec quod
illegitime fit, *l. quoties, ff. qui ſatisdare cogantur,*
Proſperus Paſſetus, *conſ.* 73. *num.* 33. *cum ſequen-*
*tibus*, Surdus, *conſ.* 519. *num.* 25. Sed ſi poſteà va-
lide contrahant, habebunt legatum, ita colligitur
ex dict. *l. quod pupillæ, ff. quando dies legati ce-*
*dat*, juncta gloſſa.

Sed an ſi per procuratorem contraxerint, lucren-
tur legatum, dubitari poterat, cum fuerint Do- 46
ctores affirmantes, ſtante Concilio Tridentino,

ceſſare deciſionem *cap. final. de procurator. in 6.*
ut tradit Thomas Sanchez , *de matrim.* 1. *part.*
*libr.* 2. *diſput.* 11. *in principio* , tamen cum ut ibi
inquit , veritas ſit valere hodie tale matrimonium,
& ſit Theologorum , & Canoniſtarum moderno-
rum communis ſententia , de qua dubitari non
poteſt , ſiquidem tempore , quo Clemens VIII.
ſummus Eccleſiæ Antiſtes , Ferrariam civitatem
verè fortitudine ferream , ſine ferro cepit , vidi-
47 mus contraxiſſe matrimonium. Potentiſſimum Do-
minum noſtrum Philippum Tertium Hiſpaniarum
Regem Catholicum , cum præclariſſima Domina
Margarita de Auſtria , per Archiducem Albertum
ejus procuratorem , qui itidem matrimonium con-
traxit cum Sereniſſma Eliſabetha Infanta Caſtellæ
ejuſdem potentiſſimi Regis ſorore Flandriæ Comi-
tiſſa , quæ mandatum ad contrahendum dedit Ex-
cellentiſſimo Duci de Seſa , & fuerunt contracta
ambo matrimonia , eodem Sanctiſſimo Clemente
Antiſtite præſente.
48 Et frequenter à teſtatoribus diſponitur , quòd
ſolvatur velatis , & conveniens eſt , nam licet
verum ſit matrimonium in facie Eccleſiæ contra-
ctum mutuo inter ſponſos conſenſu declarato co-
ram proprio Parocho & teſtibus , juxta formam
poſitam ab œcumenica Tridentina Synodo , in quo
dubitandum non eſt , adhuc optimè faciunt has
dotes relinquentes adjiciendo ne dentur , niſi ve-
latis ſic , & *lege Regia* 47. *Tauri.* Ut quis habea-
tur pro emancipato utrumque requiritur in illis
verbis : *El hijo caſado y velado ſea avido por eman-
cipado :* adverte ergo ad legem , nam licet ſentiat,
prout verum eſt , etiam ante velationem eſſe matri-
monium & conjugium , ibi : *El hijo caſado* , adhuc
requrit velationem , quod expendit alios referens
Baldeſius in additionibus ad Suarez , *l.* 1. *titul.
De los pleytos* , §. *hanc* , *num.* 19. & ſic ut Sanctæ
Eccleſiæ inſtituenti obediatur per contrahentes ,
non eis dabit dos quouſque receperint benedictio-
nes nuptiales.
49 Neque enim dicitur factum , cum aliquid ſu-
pereſt agendum , gloſſa *verbo , nullum , in* §. *fin.
inſtituta* , quibus modis teſtamenta infirmentur ,
Hieronymus à Laurentiis , *deciſ.* 2. *numero* 6. &
licet contraxerint verè matrimonium , etiam ante
velationem : tamen , ut perficiant requiſita à teſta-
tore ſeu alio taliter dotes relinquente , neceſſe
habent recipere velationem , cum non dicatur fa-
ctum , quoad diſpoſitionem relinquentis dotes.
Quinimo & ſi teſtator , ſeu alter relinquens dotes
pro puellis maritandis nihil expreſſerit de velatio-
nibus , licet contraxerint verè , & in facie Eccle-
ſiæ , prout contrahunt conjugium , & matrimo-
nium mutuo conſenſu declarato coram Parocho
& teſtibus , adhuc teneo ipſis non eſſe ſolvendas
dotes quo uſque velentur. Et ita praxis obſervat :
50 nam cum verba teſtatoris ſeu cujuſlibet alterius
relinquentis ſint intelligenda , juxta communem
uſum loquendi , *l. librorum* , §. *quod tamen* Caſſius,
*de legat* 3. *l. cum De lanionis* , §. *aſinam* , *ff. de
fundo inſtructo* , Mantica , *lib.* 3. *de conject. men-
te* , *titul.* 8. ubi optimè Covarruvias , *in* 4. 2.
*part. cap.* 4. *num.* 1. Et communiter appelletur
maritata , quæ jam eſt velata , de ea eſt intelligen
da voluntas diſponentis. Quoties enim jus loquitur
de maritatis , præſupponit eas deſponſatas & vela-
51 tas , ad quæ de his intelligitur totus titulus , *De
las mugeres caſadas* , qui eſt tertius , lib. 5. Reco-
pil. Et eodem modo ſunt intelligendæ leges , *tituli*

9. *lib.* 5. *Recopil.* qui eſt , *De las ganancias entre
el marido y la muger.* Et licet in favorabilibus ex
benigna interpretatione diſpoſita in viro & uxore,
habeant etiam locum in ſponſis de præſenti , text.
*in l. non ſine , verſ. quamvis , C. de bonis quæ liberis,*
tamen ubi verſatur favor religionis , & Eccleſiæ
obedientiæ eſt anteponendus hujuſmodi favor fa-
vori deſponſatorum , *l. ſunt perſonæ , ff. de religio.
& ſumpt. funerum* , & cum ipſi poſſint ſibi conſuli,
ut dotem conſequantur recipiendo velationem , ſi
id non faciant , erunt in culpa. Ut eſt non utens
remediis opportunis ad actum Rolandus , *conſil.* 52. 52
*numero* 25. *vol.* 4. & cùm teſtatores & contrahen-
tes cenſeantur ſe conformare cum diſpoſitione juris
communis , ex gloſſa recepta , *in l. Gallus* , §. *qui-* 53
*dam rectè , verbo , non exprimat , de libertis &
poſthumis* , & tradit Curtius Junior , *conſ.* 194.
*numero* 8. Rolandus , *conſ.* 58. *volum.* 1. Tibe-
rius Decianus , *conſ.* 1. *numero* 218. *volum.* 1.
Raudenſis , *conſ.* 10. *num.* 23. & *conſ.* 18. *num.* 33.
ubi quod hoc intelligatur , etiam impropriando
verba cenſendum eſt diſponentes dari dotes pro
puellis maritandis intellexiſſe de velatis.
Si tamen contigerit alterum ex conjugibus , de-
cedere ante receptionem benedictionum nuptialium 54
contracto jam matrimonio de præſenti in facie Ec-
cleſiæ coram Parocho & teſtibus , videbatur do-
tem non eſſe ſolvendam , ex eo quod diximus,
*ſupra num.* 14. hujuſmodi legatum conditionale
eſſe , quod ad hæredes non tranſit , *l. unica* , §. *in
noviſſimo , C. de caducis tollen.* cum ſimilibus : &
quia conditio individuum actum facit , & impleri 55
ad integrum debet adeò , ut ſi defecta ex tantulo
ſit ex toto actus perimatur aut deficiat , *l. qui duo-
bus , l. cui fundus , ff. de condit. & demonſtrat. l.
in executione* , §. *penult. ff. de verborum obligatio-
nib.* Angelus , *conſ.* 168. *num.* 2. & ex omnibus
ſuis partibus debet conditio conſtare , & perfectè
adimpleri , Baldus , *l. pro hæreditariis* , *numero* 4.
*C. de hæredit. actio.* Aymon , *conſ.* 327. *num.* 132.
Et eſt ratio , quia conditio inducit formam , *l. Me-
vius in principio , ff. de condit. & demonſtrat.* cum 56
aliis , cujus omiſſio etiam in minima parte vitiat
actum Anton. de Butrio , *cap. fin. notabili.* 7. *in
fine de reſtitutione Spolia.* Rolandus , *conſ.* 30. *num.*
5. *vol.* 3. ubi plura , & alios refert Aymon. *conſ.*
327. *numer.* 135. ubi *num.* 36. inquit procedere,
etiam in actu pio & favorabili, qui ad irritum redit
ſi deficiat in forma , *l. qui Romæ* , §. *Flavius, ff. de
verborum obligatio.*
Sed cum in conditionibus voluntas teſtatoris
primum locum obtineat , eaque regat conditiones, 57
*l. in conditionibus primum locum* 19. *ff. de condit. &
demonſtrat.* & ſatisfactum ſit voluntati teſtatoris
volentis hujuſmodi puellis providere , & eas à pe-
riculo liberare dando eis viros , qui & educant &
eas tueantur , quod conſecutæ fuere , licet caſu
amiſerint, non eſt cur eis vel eorum hæredibus dos
non ſolvatur , nec in prudentis viri arbitrio poteſt
cadere dubitatio de hoc , & cum inſpicienda ſit
cauſa facti , & quare aliquid fiat , *l. verum, ff. de* 58
*furtis , & l. non omne , ff. de ſtatu liberis,* Aymon.
*conſ.* 304. *num.* 3. & *conſ.* 137. *num.* 14. Cumque de-
ſideria morientium ex recto arbitrio viventium re- 59
gulentur , *l. quoniam , C. de natu. liberis , l. Sal-
vius Ariſto. ff. de leg. præſtandis* , arbitrando mo-
do dicto talem teſtatoris ſeu alterius diſponentis
voluntatem , ita teneo.
Hoc tamen adhibito moderamine , ut ſi conju-
ges 60



ges qui contraxerunt per verba de præſenti contu-
maces fuerint cum ipſi ab Epiſcopo ſeu ejus Vica-
rio fuerint requiſiti , quod acciperent benedictio-
nes nuptiales & ipſis renitentibus extorta ſeu exe-
cuta pœna , tali caſu dotem amittant : nam cum
hujuſmodi pium cenſeatur relictum in remiſſionem
peccatorum , & hæc cenſeatur eſſe teſtatoris , vel
alterius relinquentis intentio , non eſt præſumen-
dum ipſum velle dari dotes his contumaciter pec-
cantibus , ſed obedientibus Eccleſiæ mandatis , ar-
gumento *lege ex facto* , §. *ſi quis rogatus , el.* 1. *in
fine , ff. ad Trebellianum.*
61 Et ob eandem rationem non eſt danda dos his
qui contraxerint matrimonium , prætermiſſis de-
nunciationibus ſine licentia Ordinarii , niſi poſt-
quam de tali exceſſu fuerint jam puniti & abſoluti
ab Ordinario.
62 Si tamen non culpa amborum , ſed alterius , pu-
ta viri nolentis dolo , vel deſidia recipere velatio-
nem , vel impediatur abſentiæ cauſa qua durante
alter decedat , cum mulier culpa vacet , nec alteri
per alterum iniqua debeat conditio inferri , vel
alter alterius odio prægravari , juxta juris regulas
videtur ſolvendam dotem , argumento textus , *in
l. Titio centum* , §. *Titio genero , ff. de condit. &
demonſt.* in illis verbis : *Quod ſi nolit eam uxorem
ducere , cauſa legati , quoad mulieris perſonam
attinet , ſatisfactum intelligitur , l. in teſtamento,*
31. *ff. de condit. & demonſtrat.* & conditio habetur
pro impleta , quando quis impeditur facto tertii
Menoch. *lib.* 4. *præſumpt.* 183. *numer.* 11. & eſt tex-
tus , *in l.* 3. §. *fin. ff. de conditione cauſa data* , ubi
conditio habetur pro impleta , quando is , qui im-
plere debet impeditur facto ejus , qui ex imple-
63 mento tenetur. Et cum maritus teneatur petere , &
exigere dotem contractis nuptiis , ita quod tenebi-
tur ad intereſſe ſi negligens in exigenda dote fuerit,
*l. ſi extraneus* , 34. *ff. de jure dotium* , Vincentius
de Franchis , *deciſ.* 424. *numero* 3. ſi dolo vel de-
ſidia nolit contrahere , non debet mulieri nocere.
Sed hoc ſublimita , ubi ita præciſè diſponens juſ-
ſerit velationem præcedere dotis ſolutionem , vel
faciendam certa Capella , ut reperiuntur plures hu-
juſmodi dotationes in alma Eccleſia Toletana : nam
eo caſu nullatenus danda eſt dos non velatæ , vel
extra Capellam , cum non ſit paritum diſpoſitioni
relinquentis , uti diximus de Capellano , qui ex
fundatione tenetur celebrare certo ſacello ſeu altari,
*infra lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 30. Et quia quando aliquid
diſponitur faciendum certis modis , cenſetur data
forma , ex Decio , *conſ.* 612. *numer.* 2. tradit Ma-
tienço , *leg.* 1. *gloſſ.* 5. *numero* 12. *in fine titul.* 4.
*lib.* 5. *Recop.*
64 Idem erit ſi tranſierit tempus intra quod nubere
debeant fœminæ , ut lucrentur dotes jam ſorte ſibi
aſſignatas , nam adimpleri non poteſt poſt diem
conditioni adjectam , *l. ſed etſi conditioni* , 6. *in
principio , ff. de hæred. inſtit.*
65 Sed ſi deficiat conditio per mortem alterius ,
etiam non data mora ſeu contumacia , amittitur
dotis legatum : nam ſi conditio mixta deficit per
caſum , amittitur relictum , textus eſt in terminis,
*in l. in teſtamento* , 31. *ff. de condit. & demonſtrat.*
in illis verbis : *Etſi in matrimonium coierint hæres
meus , his centum dare damnas , eſto Stychus ante
apertas tabulas deceſſit . reſpondi partem Stychi de-
fectam eſſe , ſed & Pamphilam defectam conditione
videri , ideoque partem ejus apud hæredem reman-
ſuram,* & tradit Paulus Caſtr. *dict.* §. *Titio genero, n.* 3.



Sed an relictum pro orphanis maritandis , poſſit 66
dari puellis vulgo conceptis & expoſitis , quæ &
ſi parentes habeant eos demonſtrare non poſſunt:
ut *in lib. vulgo concepti , ff. de ſtatu hom.* & cum
par ſit harum & orphanorum, ratio æquè admitten-
dæ ſunt ad eas dotes juxta à nobis tradita *ſupra
hoc lib. cap.* 5. *ex num.* 1.
Et eſt ſine dubio in expoſitis , quia à propriis 67.
parentibus ſunt abjecti & veluti occiſi , ut innuit
*lex. necare , ff. de liberis agnoſ. quam* exponit Gre-
gor. *l. fin. titul.* 2. *par.* 4. *verbo , Echandolos* ,
ob quod & patriam amittunt poteſtatem , *cap.* 1.
de infantibus , & languidis expoſitis , ſunt enim
deſtituti omni auxilio , & ſic maximam continet
pietatem eos alere , ut inquit *l. fin. titul.* 20.
*part.* 4. quæ ponit verba , *Verguença ò crueleza
ò maldad mueve à las vegadas al padre , ò a la
madre en deſamparar los fijos pequeños , echan-
dolos à las puertas de las Yglesias , è de los
hoſpitales , è de los otros lugares , è deſpues
que los han an ſi deſamparado , los homes buenos
è las buenas mugeres que los fallan , muevenſe por
piedad , è llevanlos dende , è crianlos è danlos à
quien los crie.*
Et bene quidem diximus magnum pietatis opus 68
exercere nutritores expoſitorum , ſiquidem in ea
pietate ferè omnes miſericordiæ operæ continen-
tur , nam & eſurientes paſcunt , ſitientibus potum
præbent , nudos operiunt , infantes infirmos curant
& viſitant , docent ignorantes , & eis conſulunt,
eoſque male agentes corrigunt , & mœſtos conſo-
lantur , quæ opera referenda ſunt à Chriſto Do-
mino in die juſticii ad præmium facientibus tribuen-
dum , & omittentibus pœnam , ut habetur Mat-
thæi , *cap.* 25. Ergo pii confratres ac alii miſeri-
cordes continuatè opus meritorium , & laudabile
coram Domino , qui ex ore infantium & lacten-
tium laudem admittit , juxta illud *Pſalmi* 8. &
*Matthæi* 21. Hi enim ſunt Infantes ſed & lacten-
tes & ignoti , ſine patre , ſine matre , ſine genea-
logia , de quibus dicit Horatius , *lib.* 1. *Epiſtola
ad Cœnam : Nec vixit male qui natus morienſque
fefellit* , ſunt ſine patre & ex eis inſurgunt multi in-
ſignes viri , ut teſtatur Paulus *ad Hebræos capit.* 7.
de Melchiſedech , qui fuit Rex Salem ſacerdos
Dei altiſſimi , & inſignis Bartolus , ut ipſe refert
loco infra citando , & multos refert Rojas , *de
ſucceſſio. cap.* 15. *num.* 18. Et ſic juſtè à lege Regia
ſub nomine boni hominis , mulieriſvè appellatur
hæc faciens.
Cum calamus hoc ſcribit cordis oculus lachry- 69
matur ( non miſeriæ , ſed exultationis ) memoria
optimi Patris ac domini mei Franciſci Perez de
Lara , cujus mos fuit per quadraginta & plures
annos quotidie accedere ad Sanctam Eccleſiam
Toletanam ante auroram pro audienda Miſſa San-
cti Ildephonſi , illius civitatis Patroni , quæ illa
hora celebratur , qui cum frequenter inveniret
hos infantulos expoſitos ad januas Eccleſiæ eos
brachiis accipiebat , & magna charitate domi ſuæ
portabat , ut clareſcente die perferrentur ad hoſpi-
tale bonæ memoriæ Cardinalis de Mendoça , &
aliquos ſuis expenſis nutrivit , qui retulit mihi ali-
quando inveniſſe pueros à canibus & porcis devo-
ratos , & poſtea eo inſtante fuit novum ſubſidium
pro eorum expoſitorum meliori ſuſtentatione ad-
ditum per Illuſtriſſimum Capitulum Eccleſiæ To-
letanæ ( teſtes hujus veritatis ſunt omnes pii ac ve-
teres mei concives , quibus notum fuit ) ſed &

omnes qui ejus funeri aſtiterunt mirati fuerunt
valdè, eo quod dum ejus cadaver erat in Eccleſia
Beatæ Mariæ Magdalenæ pro eo ſepeliendo, vel
quia erat coopertus pulchris purpureis & deauratis
pannis nobilis confraternitatis ſanguinis Chriſti,
cujus erat confrater, multi parvuli infantes forſan,
ut cernerent pannos viſui delectabiles, vel caſu ac-
ceſſerunt, circuerunt que corpus prope ſedentes per
tempus quo funerale officium fuit pſallitum, & licet
frequenter contingat parvulos accedere talibus fu-
neribus, prout tunc, tamen præſentes, quibus no-
ta erat Patris mei pietas erga expoſitos, habue-
runt ut myſterium, fecerunt que commemoratio-
nem laudabilem ſuæ conſuetæ pietatis. Quam etiam
70 commemorationem fecit inſignis Bart. ( *leg. quidam
cum filium*, *numer.* 8. *ff. de verborum obligatio.* )
de fratre Petro Pietatis, qui eum nutrivit & eru-
divit, ſic appellatus, quia locum Venetiis erexit,
qui domus Pietatis vocatur, ubi infantes expoſiti
nutriendi recipiuntur, dicitque, fuiſſe virum mi-
ræ Sanctitatis, & pro tali reputatus apud ſe, &
omnes qui eum agnoverunt, cui gratias egit, &
de ejus memoria tenericè loquendo lachrymatur.
Si iſte ergo, & nota Bartolum qui eo tempore ma-
gno afficiebatur honore non erubuiſſe fateri ſe ex-
poſitum, & ab illo expoſitorum communi parte
nutritum.

71 Et communiter hoſpitalia hæc faciunt, ut ſit
Toleti in hoſpitali Sanctæ Crucis, fundato ad id
per Illuſtriſſimum Cardinalem Petrum Gonçalez
72 de Mendoça Archiepiſcopum Toletanum. Et Ma-
triti in hoſpitali vulgariter nuncupato: *De la
Saledad, y niños expueſtos*, qui regitur per optimos
ac bonos & pios viros confratres illius fraternita-
tis, qui magnopere ſunt laudandi ob nimiam cha-
ritatem: quam erga hos infantes, parvulos, &
egenos habent, auxiliante Deo, qui eis retribuet
liberando eos in die mala calamitatis, & miſeriæ,
73 ut ipſi innocentes liberant: nam habetur *Pſalm.*
40. *Beatus vir qui intelligit ſuper egenum, & pau-
perem in die mala liberabit eum Dominus*: magnum
quidem opus, & laudabile eſt ſimul Deo, Regi,
& Patriæ ſervire, quod prædicti confratres & alii
relinquentes annuos redditus ad eorum alimoniam
faciunt.

De eis, in educandis pauperibus infantibus,
dicente Domino *Mathæi*. 25. *cap. ad finem*: *Quan-
diu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi
feciſtis.* De his namque minimis curat juſtus prætor,
qui ait *Zachariæ*, *cap.* 13. *Et convertam manum
meam ad parvulos, & Matthæi, cap.* 9. *Sinite
parvulos & nolite prohibere eos ad me venire, &
Matthæi, cap.* 18. *Qui ſuſceperit unum parvulum
talem in nomine meo me ſuſcipit.*

Regi, qui *libr.* 1. §. *ſi plures*, *ff. de bonis dam-
natorum*, fatetur ſe male ampliari rempublicam
hominum adjectione, quàm pecuniarum copia &
*Proverbiorum, capit.* 14. *Habetur in multitudine po-
puli dignitas Regis, in paucitate plebis ignominia
Principis.*

Patriæ per text. *in lib.* 1. §. *& generaliter*, *ff.
de ventre in poſſeſſionem mittendo*, in illis verbis:
*Partus enim iſte alendus eſt. quia non tantum paren-
ti ejus eſſe dicitur, verum etiam reipublicæ naſcitur*,
tradit Cicero in oratione adverſus Verrem: ſed
& Plato *dialogo*, 7. *de legibus* & Ariſtoteles, *lib.*
8. *Politicorum*, dicunt alendorum puerorum curam
non privatam, ſed publicam eſſe utilitatem, &
conducit text. *in lib.* 1. *in princ. ff. ſolut. matri.*

Quare hi confratres officio judicis implorato, 74
poſſunt à divitibus eleemoſynas pro eis infantibus
nutriendis extorquere, & divites compelli ad id
poſſunt *gl. in cap. ſicut ji*, 47. *diſtinctione*, Abb.
*cap. ſi quis propter neceſſitatem, de furtis*, Avend.
*lib.* 2. *de exequendis mandat. cap.* 10. *numero* 19.
ubi quod ad hos expoſitos alendos debet fieri mu- 75
tuum de bonis communibus.

Et ſic parentum nomen, ſi aſſumunt tales nu- 76
tritores, atque ita ſuccedunt his expoſitis, ut tenet
Baldus, *l. ſi qua Illuſtris ad officia*, *gl.* & Doctores,
*in l. nutritoribus*, *C. communia*, *de ſucceſ.* Vincen-
tius de Franchis, *deciſ.* 198.

Et cum officium parentum ſit dotare filias, 77
velim hos piiſſimos nutritores ſolicitos eſſe pro cu-
randis dotibus relictis, pro virginibus maritandis,
quarum diximus expoſitas eſſe capaces.

Et ſi anniverſarium relictum pro virginibus ma- 78
ritandis requirat, quòd puellæ ſint naturales loci,
adhuc expoſitæ conſequentur dotem, cum præſu-
mantur eſſe ejus patriæ, qua expoſitæ fuerunt,
Bart. *l.* 1. *in fin. ff. ad municip.* Joan. de Platea,
*l. cives in fine*, *C. de incolis*, *lib.* 10. refert & ſe-
quitur Greg. *d. leg. fin. titul.* 20. *part.* 4. *verbo*,
*Echandolos*, ad finem, & *infra lib.* 2. *cap.* 4.
*num.* 51.

Sed ſi non expoſitæ fuerint, ſed vulgo concep- 79
tæ, quæ matres habeant notas, patres verò igno-
rentur, ejus erunt patriæ, ex qua matres ſunt, *l.
ejus qui juſtum patrem*, 9. *ff. ad municipalem.*

Sed ſi requiratur ex fundatione, quod ſint utro-
que parente orbatæ, & mater ſit nota, ſed illuſtris,
de qua jus non patitur aliquid exigere ob ejus ho-
neſtatem, per *l. ſi qua illuſtris*, *C. ad orficianum.*
puto admittendam puellam ad hujuſmodi dotem. 80
Extra autem hunc caſum matris illuſtris illegitimas
ſpurias habentes parentes notos, etſi Clerici ſint,
cum & hi poſſint compelli eas dotare, Abb. *cap.* 1.
*num.* 4. *de cohabitatione Clerici, & mulierum*, Pa-
lac. Rub. *cap. per veſtras*, §. 32. *numero* 13.
etiam de fructibus beneficii, tradit Gamma, *deciſ.*
149. *numero* 7. & Capicius, *deciſ.* 181. *num.* 1. &
2. Boherius, *deciſ.* 127. *num* 7. Baeça de dotibus,
*cap.* 13. *numero* 16. Barboſa, *l.* 1. 4. *p. num.* 70. &
71. *ff. ſolut. matrim.* Vincentius de Franchis, *deciſ.*
283. 2. *part.* non debent admitti, ſed verê orbatæ
parentibus.

Hoc tamen limita ſi parentes habeant unde eis 81
ſubvenire poſſint, ſecus ſi aliunde, nam ex quo
lex prohibet tali appellari nomine ( ut inquit text.
*in auth. quibus modis naturales efficiantur ſui*, §. *fin.
verſ. de nepotibus*, in illis verbis: *Iſte neque natu-
ralis nominatur, neque alendus eſt à parentibus*, au-
the. ex complexa, C. de inceſtuoſis nuptiis, per
quæ jura tenent Doctores ſpurium filium non ap-
pellari, ut Bart. *l. item in poteſtate*, *num.* 3. *ff. de
his qui ſunt ſui, vel alieni juris*, Anton. Gomez,
*l.* 9. *Tauri numero* 52. *verſ. in contrarium*, non
debent impedimento eſſe his quibus auxiliari ne-
queunt, ex quo eſt, quod admittetur puella nata
ex ſervo & libera, cum pater pro mortuo habea-
tur, *l. ſervitutem*, *ff. de regul. juris*, & filii ei
ſuccedere non poſſint, ut dicit Montalvus, *l.* 10.
*verbo*: *Ni en parienta*, *tit.* 5. *lib.* 3. *fori.*

Sed his præferendæ ſunt puellæ verè orbatæ, ar- 82
gum. *l. generaliter*, §. *ſpurios*, *ff. de Decurionibus*,
& eorum filiis, ibi: *Sed ſi habeant competitorem
legitimè quæſitum præferri eum oportere.* Quod etiam 83
ſervandum erit, ſi fundator voluerit puellas mari-
tandas



tandas, fore ſuæ cognationis, nam præferri debet
legitimè nata intelligimus per dictam legem. Sed an
84 ſi legatum ſit pro puellis Toletanis maritandis, ad-
mittantur puellæ territorii, & licet in hoc ſint ſen-
tentiæ Doctorum contrariæ, quos rèfert Stephanus
Gratianus, *deciſ.* 94. ibi, tamen conatur defen-
dere, admittendas eſſe puellas territorii, eo quod
in materia favorabili conceſſum civibus, cenſetur
conceſſum omnibus de territorio, *l.* 2. *C. de nun-
dinis*, *l. qui ex vico juncta l. civibus*, *ff. ad muni-
cipalem.* Et quia villa, & caſtrum dicitur mem-
brum & pars civitatis, Bald. poſt Guil. de Cune,
*l. finali*, *C. de Sacroſanct. Eccleſiis.* Et quod admit-
tantur, tenet Socinus *conſ.* 86. *num.* 2. *lib.* 4. ubi
de magis communi teſtatur, de quo ego non du-
bitarem ſi villæ & loca eſſent propinqua & ſubur-
bia, ut in noſtra ſuaviſſima Patria Tolerana repe-
riuntur extra muros magnæ, habitationes, ( quæ
vulgariter dicuntur Covachuelas ) & locus Sanctæ
Suſannæ, & aliæ, *argum. l. qui continentes*, *ff. de
verborum ſignificatione*, quæ loca in odioſis non
comprehenduntur in dicta civitate. Et ſic exules
ab ea poſſunt ibi morari & morantur abſque fra-
ctione exilii. Extra autem hæc ſuburbia difficulter
poteſt ſuſtineri hæc opinio, cum ex communi uſu
loquendi naturalis ſeu vicinus Toletanus ſolum di-
catur natus in civitate, & ſuburbio, Gratianus,
*deciſ.* 96. *numero* 7. & 8. non in locis territorii,
qui habent vicinitatem, de perſe tamen in hoc
multum conferret conjecturata mens relinquentis,
ut videtur ſentire Gratianus, *d. deciſ.* 22. *nu-
mero* 7.

85 Sed quia diximus *ſupra numero* 8. conditionem
impeditivam nuptiarum rejici, congruit animad-
vertere non ſemper id procedere, nam ſi viduæ
imponatur conditio, eſt ſervanda *authentiba cui re-
lictum*, *C. de indicta viduitate tollenda*, cum mu-
lieres, quæ non tranſeunt ad ſecundas nuptias,
laudentur tanquam honeſtatis & pudicitiæ exem-
plar, ut in authen. de non eligendo ſecundò nu-
bentes, §. *optimum*, Socinus *conſ.* 48. *numero* 8.
*lib.* 1. nec contrarium diſponitur jure Canonico,
ſecundum Manticam, *de conjecturata mente defun-
cti*, *lib.* 11. *titul.* 19. *num.* 2. *in fine*, & condu-
cit, quod dicit Paul. 1. *Corinthiorum cap.* 7.
86 Sed ſi virgini relinquatur legatum ſub ea con-
ditione, ne nubat, & fuerit ſubſtituta pia cauſa,
non rejicitur conditio, imo implenda eſt, alio-
quin ſubſtitutus admittitur, argum. *l. Titio*,
95. §. *ſervi uſufructus*, *ff. de condit.*, & *demonſt.*
ubi favori libertatis præfertur favori nuptiarum,
per quem text. ita tenent Paulus Caſtrenſ. & Imo-
la poſt Guil. de Cune, *de l. Titio*, & licet Bart.
ibi dubitaverit de veritate hujus opinionis, tamen
communiter recipitur ſecundum Manticam, *de
conjecturata mente*, *lib.* 11. *tit.* 18. *num.* 9. &.
*tit.* 19. *numero* 11. eandem tenet alios referens
Tiraquellus *de privilegiis piæ cauſæ*, *privilegio* 18.
Gabriel. *conſ.* 135. *numero* 12. *vol.* 1. Socinus,
*reg.* 310. *privilegio* 25. ſequitur Stephanus Gratia-
nus, *deciſ.* 187. *numero* 13. & *ſequentibus.*
87 Et orphanæ ſeu orbatæ puellæ dicuntur patre
carentes, ſecundum Calepinum *in dictionario.
verbo, orbitas & Pſalmo* 108. *Fiant filii ejus orpha-
ni, & uxor ejus vidua*: ubi & ſi matrem viduam
habeant, orphani appellantur: viduæ enim alieno
egent auxilio, ut & pupilli, ut per totum, quan-
do Imperator inter pupillum & viduam, Eccle-
ſiaſtici, *cap.* 4. ibi: *In judicando eſto pupillis, ut
pater & pro viro matri illorum.*

Si tamen relinquens dotes non dixerit pro vir- 88
ginibus maritundis, ſed pro puellis, ſeu orphanis
dabitur etiam viduis nubentibus, Paulus Caſtrenſis
*conſil.* 308 *num.* 3. *vol. primo*, ſequitur Joannes
Baptiſta Laderchius, *conſil.* 29. *num.* 4. quidquid
teneant relati per Tiraquellum, *l. boves*, §. *hoc
ſermone num.* 111. & 113. *de verborum ſignifica-
tione*, & per Manticam, *de conjecturata mente
defuncti*, *lib.* 8. *tit.* 5. *num.* 21. quorum opinio
procedet eum diſtinctione hic facta, concurrenti-
bus tamen viduis & virginibus præferuntur virgi-
nes in dotibus, quia primæ nuptiæ ſunt favorabi-
liores, *authent. cui relictum C. de indicta viduitate
tollenda*, & Paulus Caſtrenſis, *ubi ſupra.*

Et licet relictum conjugi, ſi caſtè vixerit non 89
amittat nubendo, quia dicitur caſtè vivere, ut
tradunt Abb. *c. ut Clericorum mores*, *num.* 5. *de
vita & honeſtate Clericorum*; & Bart. *l. ſi mulier*
22. §. *cùm proponeretur*, *num.* 5. *ff. ad Trebellia-
num*, quem dicit communiter receptum Antonius
Pichardus, *diſputatione de mora*, *numero* 86. ta-
men ſi geminatas contraxerit nuptias relicto priva-
bitur, Angelus in authent. quomodo oporteat Epiſ-
copis, §. *hæc autem de Deo*, *numero* 12. *collatione*
1. Ripa, *l. ſi inſulam num.* 77. *de verborum*, Eve-
rardus *loco à locutionis geminatione*, *num.* 7 quos
refert & ſequitur Pichardus, *dicto numero* 86.

Sed an dos relicta pro virginibus orphanis mari- 90
tandis, poſſit retineri in utroque, foro juſtitiæ, &
conſcientiæ, ab ea, quæ ante matrimonium, &
ſi opinione eſſet habita pro virgine in rei veritate
non erat, & videbatur, quòd non, quia in ea
defecit qualitas à teſtatore requiſita. Præterea con-
ditio, ſi virgo fuerit poteſt apponi in contractu
matrimonii, Thomas Sanchez, *lib.* 1. *de ſponſa-
libus*, *diſputatione* 66. *numero* 4. *in fine.* Joannes
Baptiſta Lederchius, *conſ.* 17. *num.* 3. ſed tu diſtin-
gue: nam aut conſtat relinquentem dotes noluiſſe
dari non habentibus qualitatem virginitatis, quod
raro continget, & tunc tenetur reſtituere, quia
detinet aliena, aut de eo non conſtat, ſed adeſt
ſimplex diſpoſitio relinquentis dotes pro orphanis
virginibus maritandis, & tunc cum videatur ſen-
ſiſſe de puellis, quæ nondum contraxerint matri-
monium, qua opinione virgines reputantur, & ap-
pellantur ex communi uſu loquendi, juxta quem
ſunt intelligenda verba relinquentis, *l. liberorum*,
§. *quod tamen Caſſius*, *ff. de leg.* 3. Nec eſt cre-
dendum relinquentes dotes pro animæ piaculo vel-
le permittere, quod tales puellæ nuptæ diffamen-
tur in judicio, nec ad reſtitutionem eas obligare,
& ex præſumpta voluntate teſtatoris, qui ſi eſſet
interrogatus hoc reſpondiſſet, text. gloſ. *fin. l. tale
pactum ad finem*, *ff. de pactis*, quæ procedit in
omni materia, ut tradit Cacheranus Oſac. *deciſ.*
64. *num. fin.* Alex. Raudenſ. *conſ.* 21. *numero* 108.
poterit retinere, maxime cum & ipſa facta jam
mulier aptior eſſet ad peccata committenda, &
tales procliviores eſſe ſoleant ad laſciva, ex quo
in eis deficit virginalis pudor, & cum voluntas
relinquentium dotes pro virginibus maritandis
principaliter ſit obviandi peccatis, & ea voluntas
primum locum obtineat in conditionibus, & re-
gat diſpoſitionem, vulgata *leg. in conditionibus
primum locum*, *ff. de condit. & demonſtr.* & ſit
attendenda, licet recedatur à verbis, *l.* 3. §. *con-
ditio*, *ff. de adimen. leg.* Tiberius Decianus, *conſ.*
3. *num.* 45. *vol.* 1. ſit ut ea puella, quæ jam ab
alio

alio cognita contraxit, ſecurè dotem retineat, debent tamen patroni talium dotium diſtributores ſummopere curare, quod dotes dentur honeſtis puellis, quæ virgines reputentur, nam licet ea qualitas, quæ originaliter, & ex primordiali natura ineſt, ſemper præſumatur durare, niſi mutata probetur, Barr. & Doctores, *l. ſi prius, ff. de novi operis nuntiatione*, Petrus Surdus *conſil.* 524. *numero* 31. *volum.* 4. & in ſpecie Maſcardus, *concluſione* 1412. *num.* 1. congruit officio exequentium voluntatem relinquentis dotes, eam ſpecificè adimplere, & ſic inquirere de earum honeſtate, ut fit Toleti ſuaviſſimæ patriæ à meis piiſſimis confratribus confratriæ ſanctæ Charitatis, qui mirificè hoc & alia multa pia opera exequuntur.

91 Sed quia *ſupra num.* 24. & ſequentibus diximus, legatum dotis relictum certè puellæ pro ea maritanda dari ei ingredienti religionem, cum qua ſpiritualiter contrahit, ne forte aliquis dicat, dotem non eſſe dandam religioni, cum nequeat eam accipere, nec pretium aliquod pro ingreſſu puellæ, ne incurratur ſimoniæ labes, *cap. non ſatis de ſimonia*, & optimus, text. *in extravaganti*, 1. *incipienti ſane eodem titulo verſ. ne tam à maribus*, & Concilium Tridentin. *ſeſſ.* 25. *cap.* 3. breviter dic, quod Felinus *in cap. de ſimoniacè*, 22. *de ſimonia*, *numero* 6. ad finem refert Antoninum Archiepiſcopum, dixiſſe ſe audiſſe à fide dignis, quod Urbanus Papa dicta extravaganti, ſane non intendebat comprehendere moniales pauperes, quæ conſueverunt aliquid recipere virtute conſuetudinis, de quo meminit, *gloſ. unica dictæ extravagantis*, & Sanctus Thom. 2. 2. *quæſtione* 10. *art.* 3. ad quartum tenet, licere Monaſteriis pauperibus non habentibus ſufficientes facultates pro ſuſtentatione monialium, recipere aliquid pro victu perſonæ, quæ in Monaſterio fuerit recipienda, idem Sotus, *de juſtitia, & jure, libr.* 9. *quæſt.* 6. *art. fin.* ad quartum, & Clemens VII. congeſſit, quod moniales nullam ſimoniam incurrerent propter pacta, & conventiones, quæ in dotes monialium ad earum victum contraherent, ut habetur in compendio privilegiorum, *verb. moniales numero ultimo*, refert Cerola in praxi Epiſcopali, 1. *part. verb. moniales, verſiculo ad decimum quintum*, & inquit ſic ſæpius declaratum per ſacram Cardinalium Congregationem, ubi inſerit declarationum verba, quod totius ferè mundi conſuetudo introduxit, & recipiantur dotes, de qua etiam conſuetudine teſtatur, Baeça de dotibus, *cap.* 34. *num.* 28. Joannes Gutierrez, *quæſt.* 32. Canonicarum, *numero* 61.

## CAPUT XXII.

### De anniverſario pro redemptione captivorum, & relaxandis, ſeu alendis carceratis.

*SUMMARIUM.*

1 *Cauſa redemptionis captivorum eſt pia.*
2 *Per relictum pro redemptione captivorum ſublevantur animæ purgatorii.*
3 *Cauſa redemptionis captivorum, æquiparatur cauſæ alimentorum.*
4 *Sacra pagina inſtruimur captivos redimere.*
5 *Pro redemptione captivorum conſanguineorum, præcipuè viri, mulier poteſt obligare dotem, nec juvatur Vellejano, idem ſi ad ſolvenda debita pro exoneratione conſcientiæ viri defuncti.*
6 *Si mulier compulſa fuerit obligare, vel alienare dotem pro redimendo viro ab hoſtibus, vel carceribus, non poterit reſcindere contractum prætextu metus.*
7 *Qui per metum facit id ad quod tenetur, non poteſt allegare metum.*
8 *Filii & cognati ſi negligant redimere parentes, vel conſanguineos captivos, non tantum poſſunt exhæredari, ſed & eis denegatur ſucceſſio, & defertur Eccleſiæ.*
9 *Bona Eccleſiæ alienantur pro redemptione captivorum.*
10 *Periculum corporis, vel animæ ſi ſit, privatus poteſt compelli redimere captivum.*
11 *Bona deperdita (vulgo moſtrencos) quæ ad Cameram pertinent, privilegiis Catholicorum Hiſpaniæ Regum, dantur Ordinibus ſanctiſſimæ Trinitatis, & Mercedis ad redimendos captivos.*
12 *Forma quæ eſt ſervanda in his bonis deperditis, ut efficiantur moſtrenca.*
13 *Dominus bonorum ſi claruerit tranſacto anno, & duobus menſibus, recuperat bona, ſolutis expenſis, & reſtituenda ſunt, tam in foro exteriori, quam interiori.*
14 *Servus fugitivus nunquam dicitur moſtrencus, quia à domino poſſidetur.*
15 *Dominus ſervi ſi abſuerit, nec ſciatur ubi ſit, nec ſint hæredes conjuncti, non datur redemptioni, ſed remanet liber.*
16 *Bona abſentis traduntur ſervanda proximiori cognato.*
17 *Bona majoratus abſentis an dentur ſucceſſori, an proximiori cognato.*
18 *Bona abſentis an dentur ſervanda fœminæ.*
19 *Abſens licet magis præſumatur vivus, quam mortuus qui ſe fundat in ejus vita eam probare debet, & idem ſi in morte.*
20 *Si ambæ Religiones petant bona moſtrenca, ſunt danda ei qui prævenit, cum inter habentes æquale jus, præferatur qui prævenit.*
21 *Si ambæ Religiones ſimul accedant, dividuntur bona inter eas.*
22 *Dominus vaſſallorum ſi concurrat cum Religionibus ad petenda hæc bona deperdita moſtrenca, quis præferatur, & numeris ſequentibus.*
23 *Privilegium etiam piæ cauſæ conceſſum intelligitur ſine præjudicio tertii.*
24 *Si ex duobus concurrentibus, alter habeat potentius jus, ille præfertur.*
25 *Relictum pro relaxandis carceratis, ſeu alendis, eſt opus pium, nam carcerati dicuntur perſonæ miſerabiles.*
26 *Carcer æquiparatur morti, & infernus nominatur carcer.*
27 *Sacra pagina inſtruimur liberare carceratos.*
28 *Judices qui diebus Paſchalibus compellunt creditores dimittere debitores incarceratos parva quantitate accepta, an juſtè faciant.*
29 *Judex ex officio tenetur facere, quod neutri ex partibus oneroſum ſit.*
30 *Nulli eſt permittendum facere, quod ſibi non prodeſt, & alteri nocet.*
31 *Oneroſus creditor non eſt audiendus.*

32



32 *Maritus vel alius adminiſtrator, qui humanitate ductus non exegit à debitore, toleratur, nec ei imputatur in redditione rationis, idem in tutore.*
33 *Quilibet in re ſua eſt liber, moderator, & arbiter, etiam quod ea abutatur.*
34 *De jure communi, creditores nullum jus habent in perſonas debitorum, de jure autem Regio compelluntur creditoribus ſervire.*
35 *Judices in relaxandis debitoribus carceratis diebus paſchalibus, qualiter procedere debeant.*
36 *Creditor tenetur alere debitorem incarceratum egentem.*
37 *Toleti pii advocati defendunt per hebdomadas pauperes carceratos, & annuatim ſocia exultatione celebrant mirificè feſtum ſancti Raymundi Decretalium compilatoris, cujus nomine conveniunt.*
38 *Judices debent patienter ferre ſuaſiones, quas eis advocati faciunt pro relaxandis pauperibus à carcere.*

1 *NULLI licere decernimus, ſive teſtamento hæres ſit inſtitutus, ſive ab inteſtato ſuccedat, ſive fideicommiſſarius, vel legatarius inveniatur, diſpoſitiones pii teſtatoris infringere, vel improba mente violare, aſſerendo incertum eſſe legatum, vel fideicommiſſum, quod redemptioni captivorum reliquitur, ſed modis omnibus exactum pro voluntate teſtatoris piæ rei negotio perficere.* Verba ſunt Leonis Imperatoris, relata *l. nulli* 28. *C. de Epiſcopis, & Cleric.* ex quibus ſatis colligitur, pium, & favorabile eſſe relictum pro redemptione captivorum, nam incertitudine perſonarum non vitiatur, de quo ſupra, *cap.* 10. *num.* 73. & favorabilius erit hujuſmodi legatum, ſi annuum fuerit, ut jam vidi plura annuatim relicta in redemptionem captivorum; ex eo enim animæ purgatorii
2 ſublevantur, ut dicit *text. in auth.* ut cum de appellatione cognoſcitur, §. *ſi unum*, ibi: *Aliorum redemptio procuretur, ut ipſorum quoque animæ ex hac cauſa piiſſima ſubleventur, collatione* 8. *& eſt text in l.* 5. *tit.* 10. *p.* 6. quæ ponit hæc verba: *Dexando algun home en ſu teſtamento maravedis, ò heredad, ò otra coſa cierta que mandaſſe dar por ſu anima de que ſacaſſen cautivos, &c.* ubi Gregorius affirmat piiſſimam eſſe cauſam, multaque permitti ob redemptionem captivorum, quæ aliàs non
3 permitterentur, & cauſa redemptionis captivorum, æquiparatur cauſæ alimentorum, Surdus de alimentis, *tit.* 9. *quæſt.* 3. *numero* 2.

4 Et ad redemptionis exercitium inſtruimur ſacra pagina, nam legitur Geneſis, *cap.* 14. *Quod cum audiſſet Abraham captum videlicet Loth fratrem ſuum, numeravit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem, & octo, & diviſis ſociis irruit ſuper eos nocte, percuſſitque eos reduxitque omnem ſubſtantiam, & Loth fratrem ſuum & 1. Regum cap.* 30. *habetur: Eruit David omnia, quæ tulerant Amalechitæ, & duas uxores ſuas eruit, nec defuit quiſquam à parvo uſque ad magnum, tam de filiis, quam de filiabus, & ſpoliis*; & Paulus *ad Hebræos* 13. inquit: *Memento vinctorum, tanquam ſimul vincti.*

5 Et adeo à jure pia, honeſta, & favorabilis cauſa reputatur redemptio captivorum, ut permittat, & honeſtum judicet, mulieres pro redemptione facienda alienare dotes, *leg. quamvis*, 21. *ff. ſolut. matrimonio*, ibi: *Vel ut eos ex hoſtibus redimeret, quia juſta, & honeſta cauſa eſt, non videtur male accipere*: & tradit Barboſa, *l.* 2. 2. *p. num.* 7. *in fine, ff. ſolut. matrimon.* Vincent. de Franch. *deciſ.* 273. *num.* 4. Marcus Anton. Amatis, *deciſ.* 62. *numero* 1. 7. & 28. Theſaurus *deciſ.* 223. *numero* 7. Surd. *deciſ.* 86. *num.* 4. qui idem ſentiunt pro redimendo viro à carceribus. Nec juvatur à Vellejano, & per rationem, quam tradit, I. C. in *d. l.* quamvis, ibi: *Quia juſta, & honeſta cauſa eſt*, ad eundem modum, ſi mulier obligetur pro debitis viri defuncti ad exonerationem ejus conſcientiæ non juvatur, Vellejano, ita tradit in terminis Petrus Caballus *conſ.* 2. *num.* 2. & 3. & in omni pia cauſa, Romanus authent. ſimiliter *num.* 20. *C. ad l.* Falcid. & *l. ſciendum num.* 30. *in fine.* Socinus, *reg.* 310. *verſ. privilegium* piæ cauſæ in tertio privilegio, Calcaneus, *conſ.* 13. *num.* 4. *verſic.* prima quia videtur, Tiraq. *de privileg. piæ cauſæ privileg.* 113. quemadmodum mulier juvatur, Vellejano obligans ſe pro dote, & libertate, *ut in l. ſi dotare, & l. penult. & l. fin. C.* ad Vellejanum, quia juſta, & honeſta eſt, ut dicit *d. l. quamvis*, nam à ratione ſcripta in lege licet arguere ad extenſionem legis, ut per Doctores in authent. quas actiones, præcipuè, *Jaſ. C. de ſacroſanct. Eccleſiis.*

Et quod magis eſt, quod ſi mulier compulſa 6
fuerit alienare dotem pro redimendo viro ab hoſtibus, vel carceribus, non poterit reſcindere contractum. Nam qui per metum facit, id ad quod 7
tenetur, non poteſt allegare metum *l. ſed & partus §. quæri poterit. ff.* quod metus cauſa, & filii & 8
parentes, & cognati, ſi redemptionem neglexerint, non tantum poſſunt exhæredari, ſed & legibus eis denegatur ſucceſſio, & defertur Eccleſiæ, ut redemptionem faciant, authent. ut cum de appellatione cognoſ. §. *ſi unum verſic.* ſed hæc quidem *collatione* 8.

Et minor viginti quinque annorum, major tamen octodecim abſque reſtitutionis ſpe contrahit pro redemptione captivorum, authentica ſi captivi, *verſ. qui autem, C. de Epiſcop. & Clericis*: & licet olim non liceret minoribus viginti quinque annorum manumittere, hodie in decimo octavo anno permittitur §. *fin. inſtitut.* quibus ex cauſis manumit. non licet.

Sed & bona Eccleſiæ alienantur pro redemptione 9
captivorum *c. ſicut omnino* 12. *q.* 2. ubi gloſ. quod ſi timetur periculum corporis, vel animæ; non 10
ſolum Eccleſia, ſed quilibet privatus, compellitur redimere, *cap. horum* 12. *quæſtione* 2. Redoanus de rebus Eccleſiæ, *rubrica de cauſa pietatis numero* 42.

Sed & noſtri Hiſpaniæ Reges Catholici, omnia 11
à dominis deperdita, ſi dominus ignoretur, etſi eorum Cameræ pertineant, *c.* 1. quæ ſint regalia, & per totum titulum, *C. de bonis vacantibus libr.* 10. *l.* 12. *tit.* 1. *part.* 2. pro ſua Regia magnitudine redemptionis captivorum applicant. Et ſic Ordines ſanctiſſimæ Trinitatis, & Mercedis obtinent privilegia Regalia, ut talia amiſſa bona (vulgo moſtrencos) eis dentur ad redemptionem faciendam, ſervata forma poſita *per l.* 7. *titul.* 13. *lib.* 6. *Recopil.* nec domini vaſſallorum poſſunt ea ſibi arripere, niſi privilegio, vel conſuetudine, *ex dict. l. Regia*, tradit Avendannus *lib.* 1. *de exequend. manda. c.* 7. *num.* 5. Bobadilla *in politica lib.* 2. *capit.* 16. *numero* 133.

Debent tamen ſervari per annum, & interim 12
emittere banna, ut poſſit venire in domini notitiam, amittitur jus ad moſtrencum, & petitur,

ut

ut furtiva, ut in *dict. l. 7.* quam notat Joannes Horoſcius *l. prima num.* 10. *digeſtis de rerum diviſione.*

13 Et ſi tranſacto anno apparuerit dominus, eſt illi reſtituendum, ſolutis tamen expenſis, de æquitate *ex. l. ſi me, & Titium. ff.* ſi certum petatur, Azevedus *l. 6. titul. 15. lib. 4. Recop. numero* 16. ubi quod in utroque foro ſit reſtitutio apparente domino, & quod in foro conſcientiæ teneatur inventor res tales domino reſtituere, Joannes Faber. §. *fin.* inſtituta de rerum diviſione, Federicus de Senis *conſil.* 105. ſequitur Avendannus in dictionario
14 verb. moſtrencos, ubi limitat legem Regni, ut non procedat in ſervo fugitivo qui à domino poſſidetur *l.* 1. §. *per ſervum, & l.* 3. §. Nerva *ff. de acquirend. poſſeſſione.*

15 Sed ſi non fugitivus ſit, ſed dominus ſervi ignoretur omnino, quia abfuerit, nec ſint hæredes ſeu conjuncti, quibus ſuorum bonorum adminiſtratio detur, non eſt dandus redemptioni, ne inductæ ad unum effectum contrarium operentur, nempe illius captivitatem. Sed ſi caſus contigerit, ſervus eſt relinquendus in ſtatu liberi: & hoc eſt juri conſonum, nam videtur habitus pro relicto, ut per totum titulum *ff. pro derelicto*, & cum ſit nullius, conſequitur libertatem naturalem, nec iterum in captivitatem cadere poteſt, niſi mediante bello juſto.

16 Si tamen ſint cognati abſentis, eis debent dari ſervus, & alia bona, argumento *l. 1. ff. de bonorum poſſeſ.* furioſo, Infanti, &c. ibi: *Atque utilius eſt ad eundem modum proximo cuique bonorum poſſeſſionem dari, ne bona jaceant*, quæ lex dicit, cuique, quia loquitur reſpectu bonorum furioſi Infantis, muti, ſurdi, & cæci, quibus datur curator; at in caſu abſentiæ, non cuique, ſed proximiori cognato ſunt danda bona, ne jaceant *l.* 4. *tit.* 29. *p.* 2. ibi: *y eſtos bienes maguer que todos ſean obligados a guardarlos, mayormente convienen à ſus parientes mas propinquos*, quæ lex ortum habuit *à l. 3. C. de captivis*, ubi *gloſ. fin.* Bald. & Doctores tenent, idem eſſe in bonis abſentis, quod captivi, & ita communiter ſervari in hoc regno, tradit Gomezius de Leon in ſua centuria facto 29. *num.* 2. nec ſufficiet probare ſe agnatum, ſed proximiorem, Tiberius Decianus *conſ. 1. num.* 393. *vol.* 1. Alexand, *conſ.* 82. *vol.* 1. Si tamen abſente
17 poſſeſſore majoratus concurrant ad petendam adminiſtrationem proximior cognatus non tamen ſucceſſor, & ſucceſſor, præfertur ſucceſſor ad quem bona majoratus, quæ ſunt adminiſtranda, perventura ſunt, & cujus intereſt bona conſervari, ut dicit Menochius *de arbitr. centuria* 2. *caſu.* 150. *numero* 20. *verſ. tertio*, & quia ad eum pertinent fructus caſu quo poſſeſſor mortuus ſit, & ſic audivi pronunciatum in Pinciana Cancellaria.

18 Sed etſi ſit fœmina talis ſucceſſor, ſeu alter conjunctus, dubitari poteſt, an eis concedatur adminiſtratio, & Alexand. *conſ.* 221. *numero* 6. & 7. *vol.* 6. & alii, quos refert Paz in praxi 1. *tomo* 3. *par. num.* 16. & 17. tenent, non dari fœminis *per l. cujus bonis. ff. de* curatore furioſi (quæ loquitur in curatore furioſi, qui etiam perſonæ datur) & per gloſ. verb. curatorem *in l.* 2. *ff. de curato* bonis dando (quæ non loquitur de fœmina) tamen *per l. 4. tit. 29. par.* 2. videtur ſuſtineri poſſe eorum ſententiam, poterit tamen fœmina petere, ut ſuo marito decernatur adminiſtratio, Parladorius 3. *part. quæſt.* 2. §. 1. *n.* 5. Si tamen non per adminiſtrationem bona dentur, ſed tanquam hæredi, quia tranſierit tempus lege partitæ definitum, quæ eſt, *l. 14. p. 3. tertia* probata fama, de qua in ea lege defertur proximiori etiam fœminæ, & pro hujus digreſſionis complemento adde, quod licet abſens 19
magis præſumatur vivus quam mortuus, in eo caſu qui ſe fundat in vita, vel in morte probare debet, ut tradit Gregor. *dict. l. 14. verb. abonda que prueve*, nec eſt vera ſententia dicentium, quod quilibet præſumitur vivere, uſque ad centum annos, nec id probatur *l. fin. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* imo cum ibi dicatur, quod longiſſima hominum vita eſt centum annorum, colligitur præſumptio, quod ulterius vivere non præſumatur, ita Magonius *deciſ.* 44. *num.* 12. & Maranta in repetitione *l. is poteſt*, *n.* 163. *ff. de aequi. here.*

Sed ſi accedant ambæ religiones ad petendum, 20
prius petenti dandum eſt, nam inter habentes æquale jus, præfertur qui prævenit. *l. ſi pluribus in fine ff. de legat.* 1. Barboſa *l. 1. 7. part. numero* 59. *ff. ſoluto matrimonio.* Si tamen eodem tem- 21
pore accedant, dividetur inter eas ad tradita per Philippum Franchum *cap. cum quis* §. *cum ab eo, num. 1. verſ. tertio nota de ſepultu. lib. 6. & per* Bart. *l. hoc articulo num.* 8. & 9. *ff. de hæredibus inſtituendis.*

Sed quid erit ſi concurrat dominus temporalis 22
cum monaſteriis petentibus & certè ſi jubetur, privilegium ejus præceſſit privilegium monaſteriorum, præfertur dominus, qui habebat jus quæſitum, nam privilegium Principis non operatur in præjudicium tertii, *l.* 2. §. *ſi quis à Principe ff. ne quid in loco publico.* Etiam quod privilegium 23
piæ cauſæ conceſſum ſit, nam adhuc debet intelligi ſine præjudicio tertii, tradit Felinus *cap. in præſentia, numero 34. verſic.* privilegium enim de probatio. Hieronymus Butigel. *l. quidam numero* 20. *ff. ſi cert. petatur.*

Et ſi quæras de ratione ob quam dominus loci habens jus ad moſtrenca, ex privilegio præfertur religioni, ſi prius obtinuerit privilegium, & non præferatur religio habens privilegium anterius alteri religioni, cum ambæ religiones concurrunt ad petendum, dic ideo eſſe, quod generalis conceſſio religioni facta non comprehendit id quod ſpecialiter eſt conceſſum domino loci, argumento *ll. coheredi* §. *qui patrem ff. de vulgari*: at quando, generaliter in Regno conceditur jus ad moſtrenca, & reperiuntur duo hujuſmodi privilegia, de eis judicatur, non magis quam de conceſſionibus piſcandi, vel paſcendi, quo caſu quilibet poteſt uti, & alter alterum prohibere nequit. Et ſic præfertur qui prævenerit per ſupradicta. Hoc au- 24
tem ceſſat in eo qui habet potentius, nam præfertur etiam alteri cum quo concurrit, argumento *l. contra pupillum ff. de re judicata*, per quem text. ita tradit Barboſa *l. 1. 7. par. numero 39. ff. ſolut. matrimonio*, potentius enim eſt jus ſpeciale, & anterius domini terræ: ſed an domini temporales poſſint præſcribere jus ad moſtrenca, & bona vacantia, dubitari poteſt, cum ſit de Regalibus, quæ inpræſcriptibilia ſunt ex communi ſententia, ſed intellige tu eam privative: ſecus autem accumulativè, ut tradit Silvanus conſilio 96. *num.* 17. *libr.* 2. Et ſic Conſilium ſanctæ Cruciatæ accumulativè utitur eo Regali jure, ſinendo privilegiarios uti ſuo privilegio ſumendi bona moſtrenca, & inteſtatorum, quando ipſi præveniunt, ſin autem concurrant, cedere debent religiones ſanctæ Cruciatæ cum accipiat nomine Regio, cui jure proprio pertinent talia bona, ut ſupra, *num.* 11. & accedit Bulla Pii Quinti Rom. Ponti. de qua fit mentio *l. 9. tit. 10. libr.* 1. Recop. & cum alii habeant à domino noſtro Rege, & cauſa potentius operetur in ſe ipſa, quam in cauſato, authent. multo magis. *C. de ſacroſ. Eccleſ Clem.* ſi dominum de reliquiis, & venerat. ſanct. tanquam habens potentius jus, præfertur, & quidquid talium bonorum ſancta Cruciata exigit, omne id redemptioni applicat, & tribuit alicui ex religionibus ad affectum redimendi. Et licet hucuſque ſubdelegati judices non accuratè, ſed perfunctoriè in exactione horum bonorum verſati fuerint, nunc video, quod illuſtriſſimus dominus don Martinus Cordova è Conſilio Catholicæ Majeſtatis, Prior, ac dominus villæ de Yunquera, utriuſque ſignaturæ Rom Pont. Referendarius, ac Commiſſarius Generalis, & meritiſſimus Præſul Regii Conſilii ſanctæ Cruciatæ (motus piiſſima redemptionis cauſa, in qua ea bona expetuntur, & defenſionis fidelium qui toties mari à barbaris capiuntur, ac vincti præferuntur in Africam, & fervore ſanguinis alterius ſui cognati, & famigerati domini Martini de Cordova Comitis de Alcaudete qui magnanimiter liberavit civitatem Oram, & fideles ejus à captivitate, & nece) novæ juſſit apponi in titulis, quæ dantur judicibus ab eo ſubdelegatis tam Hiſpaniæ, quam Siciliæ, & inſularum, ac novi Orbis clauſulam, qua excitantur ad exercitium juriſdictionis ſuper his bonis moſtrencis, & inteſtatorum eis competentibus.

25 Simile eſt relicto pro redemptione captivorum, relictum annuatim pro redimendis, & liberandis carceratis, ſeu eis interim alendis. Opus quidem pietatis eſt. Nam carcerati dicuntur perſonæ miſerabiles, Bart. tract. de carcere in fine, Hyppolitus in practica §. *nunc videndum n.* 11. & §. *attingam n.* 75. Didacus Perez, *l. 1. tit. 1. lib. 3. Ordinam. pag.* 730. *verſ.* item incarcerari, & eis benefacere pium vocatur, Tiraq. *de cauſa pia in perfectione, pag.* 10. *verſ. relictum per gloſſam in cap. ſacrorum.* 17. *quæſt.* 2. & multa tradit Bobadilla *in Politica, lib.* 3, *tit.* 15. *ex numer.* 134. & Deus retribuet benefacientibus, ut habetur Matthæi. *cap.* 25. ibi: In carcere eram, & veniſtis ad me, ubi Dominus tribuit præmium talia facientibus, & Paul. Apoſtol. 21. *ad Timotheum. cap.* 1. *Dei miſericordiam Dominus Oneſiphori domui, quia ſæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit.* Marceſcit enim caro humana in carceribus, & ſic legitur Hieremiæ *cap.* 38. quod Sedecias Rex dixit Abdemelech Æthiopi: *Tolle tecum hinc triginta viros, & leva Hieremiam Prophetam de lacu, antequam moriar, erat lacus ille non leonum, ſed in veſtibulo carceris, in quo non erat aqua, ſed lutum.* Et carcer æqui-
26 paratur morti, ut habetur Lucæ *cap.* 22. (de Petro dicente domino) *Tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortem ire.* Et infernus nomine carceris appellatur ab Eſaia *cap.* 24. ubi dum loquitur de dæmonibus in die judicii inquit: *Et claudentur ibi in carcere.*

27 Sed & Dominus noſter nos inſtruit alere, & liberare; carceratos nam habetur Daniel. *cap.* 14. *Dixitque Angelus domini ad Abacuc, fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli qui eſt in lacu leonum &c.* & *Actorum* 5. *Angelus Domini per noctem aperiens januas carceris, & educens eos, dixit: Ite, &c.* & *Actorum* 14. *Et Petrus quidem*





*ſervabatur in carcere: Et ecce Angelus Domini excitavit eum dicens, ſurge velociter, & ceciderunt catena de manibus ejus, & exiens ſequebatur eum. Et iterum Actorum cap.* 16. *Media autem nocte Paulus & Silas orantes laudabant Dominum, & audiebant eos qui in cuſtodia erant, ſubito terræ motus factus eſt magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris: & ſtatim aperta ſunt omnia oſtia, & univerſorum vincula ſoluta ſunt.*

Et eſt miſerendum carceratorum, licet juſte patiantur, & eis bene faciendum, quare laudandi ſunt Chriſti fideles, qui ſuis teſtamentis, & aliis diſpoſitionibus relinquunt annuatim aliquam pecuniæ quantitatem erogandam diebus Paſchalibus in relaxandis carceratis ob æs alienum.

Sed quia ſæpiſſime vidi his diebus Paſchalibus 28
judices compellere creditores recipere parvam quantitatem pro univerſo debito, & eis inviris, & reluctantibus, relaxare à carcere debitores: videndum eſt, ſitne licitum talia facere? & videtur licere; nam cum eo caſu creditori detur aliqua quantitas eleemoſynæ, quam à debitore non acciperet, licet perpetuo in carcere maneret, utrique parti conſulitur. Quod pertinet ad officium judi- 29
cis, *l. 1. ff. ſi quis cautio.* Deinde quod uni non 30
prodeſt, & alteri nocet, non eſt permittendum *l. in fundo ff. de reivendicatione*, ibi: *Neque enim malitiis indulgendum eſt, ſi tectorium puta, quod induxerit picturas, quæ corradere velit, nihil laturus, niſi ut officiat, l. 2. in princip. ubi* Barboſa 2. *part. numero* 35. quem ſemper vide ad hanc regulam. *ff. ſoluto matrimonio*, Covarr. practicarum *quæſt.* 37. *numero* 2. Sylvanus *conſ.* 74. *num.* 18. *l.* 2. cum ergo nulla utilitas ſit creditoris in carceratione pauperis debitoris, imo damnum ſentiet non recipiendo, quod illi offertur, non eſt ferendus, ut nec 31
audiendus onerosus creditor *l. ſi ſervos* 25. *de pignor actione.* Et potius toleratur humanitas admi- 32
niſtratoris creditoris, qui dimiſit debitorem, nec exegit humanitate ductus, ut ex aliis tradit Vincentius de Franchis *deciſion.* 424. *numero tertio*, quod eſt notandum, ne tutori dimittenti egenum ſui pupilli debitorem imputetur, quidquid ſentiat rigoroſè Avenda. *l. 2. tit. de las excepciones, numero* 12. Tamen in quæſtione principali, quia nemini jus ſuum detrahi debet, cum in re ſua ſit 33
moderator, & arbiter *l. in re mandata, C. mandati*, etiam quod abutatur illa *l. ſed ſi lege* §. *conſuluit. ff. de pet. hære.* ibi: *Sive quid dilapidaverunt dum re ſua ſe abuti putant, non præſtabunt.* Et ſic poſſidentes qui negligunt culturam fundorum, & reparationem domorum, non tenentur, nec ille qui bona fide credidit fructus ad ſe pertinere, & fuit negligens in colendo fundo, tradit Barboſa, *l. ſi mora num.* 90. & 93. *ff. ſoluto matrimonio*, & eſt text. *in l. videamus in princip. ff. de uſuris*, ibi: *Licuerat ei negligere fundum.* Et poteſt creditor dicere, quod ſi velit debitor ſe à carceribus liberare, utatur remedio ceſſionis bonorum à jure inducto. Quo caſu ei traditur cum torque ferreo, ut ei ſerviat, *l. 5. & 6. tit. 16. lib. 5.* Recop. vel ſecundum loci conſuetudinem, ut dicit Covarruvias *lib. 2. variar. cap. 1. num.* 5. in quo majorem poteſt conſequi utilitatem, quam in illa quantitate parva, quæ ei offertur. Quod ſi debitor nolit ceſſionem facere, & catenæ renuntiare, tranſactis ſex menſibus ad id compellatur, ut poteſt per judicem, *l. 7. tit. 16. lib. 5. Recopil.* licet nunquam viderim ejus

deciſionem ſervatam : & contrarium ſit de jure communi *l. ob as*, cum authent. ibi poſita, *C. de actio. & obligat.* eo enim jure nullum jus habebant creditores in perſona debitoris, *l. fin. in fine ff. de libero homine exhibendo, l. de jure ff. ad municipal.* Olanus in antinomiis, *litera D. numero* 17. & ſic cedendo bonis liber remanebat per text. quem ſic intelligit Bart. *l. imo magis, ff. de libero hom. exhib.* Jaſ. §. *fin.* inſtituta de actio. Rodericus Suarez. *l. 1. tit. de los goviernos, libr. 2. fori.* Avendannus *ad l. 4. tit. de las excepciones, numero* 12. ubi infert, quod ſtante debitore vivo, dicitur ſolvendo, ſi poteſt commodè ſervire, illibatam ergo oportet ſervare creditoribus hanc poteſtatem in perſonas debitorum, argumento §. *ſed & major aſperitas*, inſtituto de his qui ſunt ſui, vel alieni juris.

35 Quare prudentis judicis arbitrio eſt relinquendum eo caſu faciendum procedendo cum grano ſalis, ita ut nec vi compellat creditores remittere jus ſuum, nec ſtatim renitentibus illis accipere, quod de eleemoſyna illis offertur, carceratos deſerant, & vinctos ſinant, ſed & precibus inſtent, alliciantque prius blando ſermone creditorum animos, quorum ſi corda indurentur, minentur eos cum decreto, ut præbeant alimoniam carceratis debitoribus, nam creditor tenetur alere debitorem carceratum, non habentem unde ſe alat. gloſ. *verb. agnoſcere in l. fin. C.* de erogatione milita. annonæ *lib.* 12. quam dicit Bart. non eſſe alibi, *l. ſanctum, num.* 3. *ff. de rerum diviſione*, dicit notabilem, Paris de Puteo tract. ſindicatus, *c. an carcerarius teneatur, numer.* 1. plures refert Surdus de alimentis *tit.* 1. *quæſt.* 71. *num.* 2. Gama *deciſ.* 261. *num.* 1. *ubi numero* 2. addit, procedere, licet confraternitas miſericordiæ eleemoſynis pauperes carceratos aleret : & ita dicit fuiſſe judicatum, & eſt text. *in l. 4. tit. 16. lib. 5 Recopil.* ubi Matienço *gloſſ.* 1. *num.* 1. Et ſic mediis juridicis, & per legitimos tramires poterit ſenſatus judex debitorem relaxare, cui à Deo tribuetur, in cujus ſervitium, & ſui Paſchatis honore talia facit.

37 Sed & dominos advocatos ſuaviſſimæ patriæ meæ ( quorum confraternitati olim aſſociatus fui dum advocationis honorabile officium Toleti exercebam ) deprecor ne frigerentur in ferventi charitate, qua pauperum carceratorum cauſas tuentur, ſe deſtinando ſingulis hebdomadis ad ſiſtendum in judicum Audientiis pro eorum defenſione, nec ea ſocia exultatione qua omnes conveniunt in templo Ordinis Dominicani poſt diem Epiphaniæ ſub nomine, & protectione ſancti Raymundi ( Decretalium compilatoris ) cujus feſtivitatem extremis muſicis, & voce cornuæ, laudibus jubilationis concelebrant, ac omnes humiliter, & devotè ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumunt, cum quibus judices Eccleſiaſtici, & ſæculares illius Imperialis civitatis ſemper adſiſtunt. Quos velim patientes eſſe circa advocatos in carceratorum cauſis, nam etſi in omnibus tales eſſe oporteat, ut dicit text. *in l. nec quicquam, §. circa advocatos, ff. de officio Proconſulis*, præcipuè tamen in his cauſis, ut tradit, & commendat Bobadilla, *in ſua Politica lib. 3. c. 15. num.* 133.

## CAPUT XXIII.

### De anniverſario relicto pro Monte pietatis ad mutuandum frumentum, aliamve ſpeciem, ſeu quantitatem egenis.

*SUMMARIUM.*

1 *Montes pietatis relinquere, prodeſt ſaluti animarum, & de eis, ut de piis Epiſcopus cognoſcit.*
2 *Montis pietatis diffinitio.*
3 *Mutuum neceſſario debet eſſe de his rebus, quæ pondere, numero, & menſura conſiſtunt, quæ in genere functionem recipiunt.*
4 *Differentia mutui, & commodati.*
5 *Montes pietatis liciti ſunt ex ſui natura, tamen aliquo extrinſecus accedente, poſſunt in perniciem transferri, & uſurariam pravitatem ſapere.*
6 *Conditio montis pietatis, ut recipientes mutuum, aliquid exiguum ultra ſortem ſolvant pro expenſis montis, an ſit licita, & numeris ſequentibus.*
7 *Cajetani, & Dominici Soti opinio circa montes pietatis, contraria eſt Lateranenſi Concilio, & rejicienda.*
8 *Montes pietatis relinquentes, conſultiùs facient, ſi aliquam annuam quantitatem reliquerint pro expenſis, & adminiſtratione montis.*
9 *Mons pietatis coacervatur, & ſuſtinetur gratia pauperum, quibus mutuum fit.*
10 *Pignus cuſtodire, eſt maximum periculum.*
11 *Pietatis officium non debet eſſe venale.*
12 *Obligatio mutuandi eſt appreciabilis pecunia.*
13 *Uſura eſt obligare recipientem mutuum, ut ipſe remutuet.*
14 *Epiſcopus tenetur quot annis viſitare montes pietatis.*
15 *Papa determinando an aliquid ſit peccatum, non poteſt errare.*
16 *Pignus datum pro ſecuritate mutui monti pietatis, ſi amittatur, ſeu deterioretur, poſſitne ad alia bona debitoris recurri.*
17 *Hypotheca ſpecialis debet excuti, prius quam perveniatur ad alia bona debitoris, niſi adſit clauſula quod ſpecialitas non deroget generalitati.*
18 *Specialis obligatio unius rei non excludit generalem obligationem.*
19 *Hypotheca non requirit ſcripturam, & probatur duobus teſtibus.*
20 *Hypotheca ſeu obligatio bonorum probata teſtibus eſt ſufficiens ad prælationem, licet poſterior creditor habeat inſtrumentum.*
21 *Intelligitur* l. ſcripturas, C. qui poſteriores in pig. hab. & l. 31. tit. 13. part. 5.
22 *In tantum eſt juſtior lex, in quantum eſt conformior juri naturali, vel divino.*
23 *Privata ſcriptura, ſine teſtibus, etiam à debitore recognita, non ſufficiet ad prælationem propter periculum antedatæ etiam in favorem piæ cauſæ.*





24 *Scriptura ſine teſtibus valet favore piæ cauſæ.*
25 *Privata ſcriptura ſine die valet, ſine aliquo favore de jure communi.*
26 *Contrahens cum monte pietatis, cenſetur contrahere ſecundum capitula montis.*
27 *Contrahentes in certa negotiatione obligantur ſtatutis ejus, & ſubſunt judicibus illius profeſſionis.*
28 *Actus præſumitur geſtus ſecundum qualitatem rei ſuper qua conficitur.*

1 Concilium Tridentinum, *ſeſſione* 22. *cap.* 8. *de reformatione*, dum diſponit, & ordinat, quod Epiſcopi ſint tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati piarumque cauſarum executores, ponit hæc verba, *Eleemoſynas montis pietatis, ſive charitatis, & pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiam ſi prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio ſint munita, ac omnia, quæ ad Dei cultum, & animarum ſalutem, ſeu ad pauperes ſuſtentandos inſtituta ſunt, ipſi ex officio, juxta ſacrorum Canonum ſtatuta, cognoſcant, & exequantur.* Ex quibus ſatis colligitur, relictum ad montes pietatis eſſe religioni conſentaneum, prodeſſeque ſaluti animarum, & tanquam opus pium, eadem œcumenica Synodus *in Canone* 9. *ejuſdem ſeſſionis* 22. jubet adminiſtratoribus, quot annis Epiſcopo reddere rationem eleemoſynæ montis pietatis.

2 Eſt namque mons pietatis certa pecunia, ſeu frumentum, vel quodcumque mutuabile congregatum à republica, vel aliis, ex quo datur pauperibus mutuo gratis, ita communiter diffinitur, & eam diffinitionem ponit Ludovicus Carbo, *tracta-*
3 *tu de reſtitutione, quæſt.* 55. Et dixi, vel quodcumque mutuabile, nam mutuum neceſſario debet eſſe de his rebus, quæ pendere numero, menſurave conſiſtunt, quæ in genere ſuo functionem recipiunt, & in quibus aliud pro alio ſolvi poteſt, ut dicit *tex. in lib.* 2. §. *mutui datio, ff. ſi cert. petatur*, de quo Conânus, *libro* 7. *capitul.* 3. *in princip.* Navarrus, *cap.* 1. 24. *quæſtione* 3. Alciatus, *lib* 2. *Paradoxorum, cap.* 20. Zaſſius, *lib.* 1. *reſponſorum cap.* 1. *numero* 17. Hothomanus, *de uſuris lib.* 1. *cap.* 2. Gutierrez, *de juramento confirm.* 1. *p. cap.* 24. Socin. *regul.* 377. Dueñas, *regul.* 159. *& eſt lib.* 1. *tit.* 1. *par.* 5. ubi ponit pro differentia mutui, & commodati, quod mutuum
4 fit genericè, & poteſt reddi aliud ejuſdem generis, ut pecunia triticum, vinum : commodatum vero ſpeciei, & proprii individui, in quo reddi debet idem per idem ut liber, equus menſa vel quid ſimile, de quibus non transfertur dominium, ut in mutuo, *ex dict. l.* 2. §. *appellata, &* §. *creditum*, de quo Anton. Gomez. 2. *tomo de contractibus, cap.* 11. *numero* 1.

5 Et hujuſmodi pietatis mons, ſive fiat à republica, ſive ab uno, vel pluribus particularibus, de ſe liciti ſſimus, & meritorius eſt, & à ſacra pagina laudatus, *Pſalmo* 111. ibi : *Jucundus homo qui miſeretur, & commodat*, dum tamen fiat, ut habetur, *Luc.* 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes.*

Enimvero aliquo extrinſecus accedente, poteſt juſti montis natura alterari, & in perniciem transferri, uſurariamque pravitatem ſapere, puta ſi adjiciatur conditio, ut recipientes pecuniam mutuo, ſeu aliam ſpeciem, quid amplius pecuniæ,



vel ſpeciei receptæ reddant, ut tradit Cajetanus in opuſculo montis pietatis, quem refert, & ſequitur frater Dominicus Soto, *libr.* 6. *de juſtitia, & jure, quæſtione* 1. *articulo* 6. qui tenent, nullatenus 6
admittendam conditionem recipiendi aliquid ultra ſortem, in quo eis aſſentior : diſſentior tamen ab eorum opinione, in quantum negant in eis montibus poſſe aliquid minimum ultra ſortem recipi, cauſa expenſarum adminiſtrationis, licet ipſi fateantur poſſe aliquid recipi ratione obligationis mutuandi, ſed adeo exiguum, ut ferè non ſit conſiderabile. Nam video, quod in Lateranenſi Concilio, celebrato ſub Leone 10. *ſeſſ.* 10. ex Bulla Leonis Papæ, traditur hunc pietatis montem approbatum à Pontificibus, Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. Alexandro VI. Julio II. ubi etiam aſſeritur, hunc montem eſſe licitum, ſi nihil recipiatur præter id quod pertinet ad montis indemnitatem, & conſervationem, & poſtea ſubdit, hoc opus eſſe laudabile, & concionatores debere fideles ad illud hortari. Cujus rei cauſa etiam indulgentias conceſſit, licet Concilium addat, melius eſſe ſi ultra ſortem nihil reciperetur, ſed aliquis conſtitueretur cenſus, qui miniſtrorum labori ſatisfaceret : & inſuper ſacro eo Concilio excommunicantur, qui contra docere, diſputare verbo, vel ſcriptis auſi fuerint.

Quod cum ita ſit, miror Cajetanum contra- 7
rium tenuiſſe dicto loco, qui ( ut ipſe inquit ) 2. 2. *quæſt.* 1. *artic* 10. interfuit dicto Concilio : ſed & de eo, & Soto dicit ſe mirari Cardinalis Toletus, *in ſumma lib.* 5. *cap.* 38. Ex quo contra iſtum montem invehunt, & dixit melius ſenſiſſe Navarrum, *qui cap.* 114. *quæſt.* 3. ipſum approbat. Et 8
ſi optarem, rogaremque ſummopere relinquentes aliquam pecuniam, aliamve ſpeciem ad montem pietatis, ut ſimul aliquid annuum reliquiſſent pro expenſis miniſtrorum, & ſemper hujus ero opinionis, ut ita conſtituatur, vel quid minimum percipiatur ratione expenſarum, taliter quod nullo modo poſſit prorumpi in uſuræ labem, omni jure prohibitam : libet tamen hîc adjungere rationes, quæ videntur juſtificare receptionem illius exiguæ quantitatis pro limitatis expenſis montis.

Et primo conſidera, quod mutuum fit gratia re- 9
cipientis, & ſic mons pietatis conſtituitur favore pauperum, quibus mutuum dandum eſt, & nihil quærit ſuperlucrari, nihilque prætendit ultra mutuam pecuniam, ſpeciemve ſibi aſſumere, ſed ut tantundem, & ejuſdem bonitatis ſibi reddatur, quod eſt proprium mutui, ita ut expreſſione non egeat, *leg. cum quid, ff. ſi cert. petatur*, veruntamen mons deſiderat ſuam conſervationem, & perpetuitatem, ut ſemper poſſit in illa quantitate, ſpecieve coacervata egentibus mutui auxilium præbere : & quia ſi ejus adminiſtratoribus, & miniſtris neceſſariis pro dandis, & recipiendis pecuniis, & ſcribendis libris, ſalaria ſolverentur ex capitali, mons deſtrueretur in dies, ita ut finiretur exhauſtus his expenſis & ſalariis, admittitur ad omnibus illud plus percipi pro expenſis. Nam ſecundum naturam ujuſque rei, eſt eum ſequi commoda, quem ſequuntur incommoda, *leg. ſecundum naturam, ff. de regulis juris.* Si ergo pecunia coacervata ſuſtentatur ſolum, ut poſſit egentibus mutuo dari, & in eorum commodum, non videtur contrarium rationi, & æquitati naturali eos ſentire onus expenſarum limitatè factarum pro montis cuſtodia, & regimine, præcipue cum mons pietatis dicatur Societas, ut tra-

dit Cerola in praxi Epiſcopali, 2. *part.* verbo mons pietatis. Quod maximè procedit, cum communiter conditio ponatur in his montibus pietatis, quod recipientes mutuum, teneantur relinquere pignora
10 pro ſecuritate rependendarum pecuniarum, in quorum cuſtodia miniſter occupatur. Et eſt maximum periculum cuſtodire pignus, ut dicit *gloſſ. leg. in eo* 111. §. *nemo aliena*, *ff. de regulis juris*, & tradit Barboſa, *l. divortio*, §. *interdum*, *numero* 21. *ff. ſoluto matrimonio*, tam quia tenebitur ſolvere ſi ſibi furetur extra caſum violentiæ, qui pro fortuito reputatur à Jureconſulto, *leg. quæ fortuitis*, *C. de pignor. actione*, quàm quia tenetur, ſi attritum reſtituat *leg. quemadmodum*, §. *magiſtratus*, *ff. ad l. Aquiliam:* itidem ſi culpa creditoris adminiſtratorisvè pereat pignus *l. quæſitum*, *ff. de diſtractione pignorum*. Si ergo omne ſtudium, quod ponitur in adminiſtratione montis pietatis eſt, in utilitatem eorum quibus ſit mutuum, non videtur extra rationem eos ſolvere aliquid minimum pro expenſa facienda.

Nec oblivioni tradam, quod acute inquit Dominicus Sotus, ubi ſupra, ad ea incommoda ſe obligare qui mutuat, cum omnino debeat eſſe gratuitum: cui adde pietatis officium non debere eſſe venale, *text.* & ibi Baldus, *l. ſancimus*, *C. de*
11 *infant. expoſ.* Nam reſpondetur, gratuitum eſſe hujuſmodi mutuum, nec illud minimum quod percipitur pro expenſis cuſtodiæ rerum mutuandarum, & pignorum efficere contrarium: non magis quam ea expenſa, quàm facit recipiens frumentum in monte pietatis, pro eo portando domui ſuæ, totum enim eſt in ſui commodum; nec obeſt illud, *Luca* 6. *Mutuum date, nihil inde ſperantes*, & *Levit. capit.* 25 *Pecuniam non dabis fratri tuo ad uſuram & frugum ſuper abundantiam non exiges*, nam reſpublica ſivè particularis quiqueve montem exponit ad mutuandum pecuniam, vel triticum annuatim pro alimonia, vel ad ſeminandum, nihil inde ſperat commodi, nec quod aliquid monti accedit, ſed ſolum mutuatum ſibi reddi ſine detrimento, nec ſuper lucrandi eſt ejus voluntas, ſed favendi annuatim egentibus perpetuò per ſubrogationem
12 ejuſdem quantitatis pecuniæ vel ſpeciei. Et facit etiam, quia obligatio mutuandi eſt appretiabilis pecunia, ut fatentur Cajetanus, & Sotus ubi ſupra.
13 Ex quo eſt quod uſura judicat mutuare alicui obligando recipientem, ut ipſe remutuet. Panorm. *cap. conſuluit*, *numero.* 8. *de uſuris.* Sylveſter, *in ſumma*, *verb. uſura*, 2. §. 2. *gloſſ. in cap. ſi fæneravit*, 14. *quæſt.* 3. ſequitur Toletus in ſumma, *lib.* 5. *cap.* 38. Itaque poterit quid parvum, & pro obligatione mutuandi, & expenſis ultra ſortem ſolvi, & exigi. Nec me latet, aliquos dixiſſe poſſe in uſu hujus montis ignorantia, vel malitia miniſtrorum contingere aliquam injuſtitiam. Nam licet fateamur, ex hoc capite montem hunc expoſitum eſſe periculo, quod etiam uſu evenire ſolet in rerum ſacrarum adminiſtratione, non propterea eſt damnandus uſus pius montis, ut dicit Ludovicus Carbo, *dict. quæſt.* 55. *verſ. primum dictum:* imo nec omittendus, idem namque contingere poteſt dolo miniſtrorum, & ſi nihil ratione expenſarum ſit recipiendum, cùm ipſi miniſtri poſſint injuſte petere, & ſibi percipere, non tamen ex hoc detrahitur juſtitiæ & pietati montis, cui nihil additur.

14 Maxime cum provida ac Sancta Concilii Tridentini ordinatione, *dict. ſeſſione* 22. *cap.* 9. Epiſcopus teneatur quotannis viſitare montem, ad ejuſque exercitium animadvertere, & punire perperam utentes illo, quod autem ſolum percipitur ex inſtitutione montis, quantum ſatis eſt pro expenſis & oneribus officii non eſt damnandum, ita ut Ludovicus Carbo ubi *ſupra*, *verſic. quartum dictum*, audeat affirmare omnino eſſe periculoſum contrarium aſſerere, dicitque non defendendam Cajetani & Soti opinionem: inquit namque hunc montem quo aliquid ultra ſortem recipitur pro expenſis ex determinatione Leonis X. & aliorum Romanorum Pontificum, quos idem Pontifex citat in Bulla eſſe approbatum, & ſic nequiviſſe Cajetanum aſſerere, Pontificem in hoc potuiſſe errare, cum non ſit
materia de fide. Nam cum pertineat ad decernen- 15
dum an aliquid ſit peccatum necne, errare Pontifex non poteſt, ut eſt communis Theologorum Schola, de qua ipſe in introductione ad Theologiam, *libr.* 5.

Sed ſi contingat, quod pignus datum monti pie- 16
tatis amittatur aliquo ex caſibus poſitis, *l. contractus* 24. *de regulis juris*, vel deterioretur ſine culpa miniſtrorum, quo caſu periit Domino, quia in ejus dominio remanet pignus, *l. pignus*, *C. de pign. actione*, vel ſi ſit impar ſatisfactioni debiti poteſt ad alia bona debitoris recurri, per text. *in l. creditor*, qui non idoneum, *ff. de rebus creditis*, *l. adverſus*. *C. de actio*, *& obligationibus*, *leg. vetuſtiſſimam ad fin verſ. ſin autem*, *C. de jure dominii impetr.* ibi: *In reſiduum habeat integram actionem.*
Nam licet verum ſit, quod quandiu creditor poteſt 17
univerſum redigere debitum ex pignoribus ſibi ſpecialiter obligatis, nequeat ad alia debitoris bona recurri, maximè ſtantibus aliis creditoribus, *l.* 2. *C. de Pignoribus*, Covar. *lib.* 3. *variarum*, *c.* 18. *num.* 6. *& cap.* 7. *num.* 6. Molina, *lib.* 2. *de primog. cap.* 7. *num.* 21. Parladorius, *lib.* 2. *rerum quotid. cap. fin.* 5. *part.* §. 1. *numero fin.* ſi non ſit clauſula, quod ſpecialitas non deroget generalitati Puteus, *deciſ.* 38. *lib.* 1. Maſa, *de forma obligationis* Cameralis, 1. *p. quæſt.* 3 Miſingerius, *centuria* 6. *obſervatione* 94. Vincentius de Franchis, *deciſ.* 5. tamen ſi bona obligata non ſufficiant, po-
teſt recurri ad alia: nam ſpecialis obligatio unius 18
rei, non excludit generalem obligationem, Tiberius Decianus, *conſ.* 2. *num.* 142. *volum.* 1. Et ſic licet recipiens mutuum ex monte pietatis relinquat pignus pro ſecuritate, ſemper obligatur per omnia ſua bona, quæ etiam generaliter remanent hypothecata pro mutui ſolutione.

Sed ſi forte ſcriptura non ſit facta teſtibus ſuffi- 19
cit probare, nam & teſtibus ſine ſcriptura probatur hypotheca ſeu obligatio bonorum, *l.* 1. *ff. de pignoratitia actione*, *l. contrahitur*, *ff. de pignoribus*, ibi: *Et ideo, & ſine ſcriptura ſi convenit, ut hypothecata ſit, & probari poterit, res obligata erit de qua convenit.* Tradit Sfortia Oddus, *conſ.* 100. *num.* 86. quem & alios refert Petrus Caballus, *conſ.* 121. *numero* 2. Fulgoſius, 132. *numero* 1. *verſ.* Quid enim refert, & quod duo teſtes ſufficiant tradit
Paulus Caſtren. *conſ.* 134. *num.* 1. *volum.* 1. Et idem 20
videtur ſentire Vincentius de Franchis, *deciſ.* 95. *num.* 6. *&* 7. Et hæc hypotheca ſeu obligatio bonorum facta in modum contractus probata teſtibus erit ſufficiens ad prælationem licet poſterior creditor habeat inſtrumentum, Petrus Surdus, *deciſ.* 61. *num.* 4. ubi alios refert Gratianus, *deciſ.* 94. *num* 5. qui etiam alios refert, eandem ſententiam plures referens tenet Petrus Caballus, *conſ.* 121. *num.* 1. Sfortia Oddus, *conſ.* 100. *num.* 67. *&* 68.

Vincen



Vincentius de Franchis, *deciſ.* 95. *num.* 6. *&* 7. & aſſentitur Gregorius, *l.* 31. *tit.* 13. *p.* 5. *verb. Como dicho es*, ubi intelligit illam legem partitæ, ſ ne huic ſententiæ repugnet, ut procedat quoties duo teſtes deponerent de confeſſione facta per debitorem; ſecus autem ſi deponerent de veritate facti, tunc duo ſufficiunt, *leg. ubi numerus*, *ff. de teſtibus*, nec obſtat, quod illa lex Regia, & *l. ſcripturas*, *C. qui potiores in pignor. hab.* requirant ad prælationem trium teſtium ſubſcriptiones: nam ea jura
21 non loquuntur quando adſunt teſtes præſentes & viva voce teſtificantes, ſed quando eorum ſubſcriptiones ſunt in ſcriptura privata continente pignoris obligationem, licet abfuerint, vel mortui ſint teſtes, ergo cum oporteat jura juribus concordare, *c. cum expediat*, *de electione*, *libr.* 6. non ſunt ſumenda extra caſum, quo loquuntur, ut excludant probationem duorum teſtium admiſſam à jure divino, *Matth.* 18. ibi: *Ut in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum*, Relata, *c. novit ille*, de judiciis, in tantum enim eſt Sanctior, & juſtior
22 lex in quantum eſt conformior juri naturali & divino, Ant. Gom. *lib.* 45. *Tauri*, *numero* 32. Tamen privata ſcriptura ſine teſtibus, etiam à debitore
23 recognita non valebit ad prælationem, ex quo poteſt fieri cum retroacta die, Petrus Surdus, *conſ.* 479. *numero* 8. *& conſil.* 547. *numero* 8. *&* 9. *volum.* 4. Vincentius de Franchis, *deciſ.* 95. *num.* 5. plures refert Petrus Caballus, *conſ.* 121. *numero* 1. 4. *&* 8. ubi, *numero* 7. inquit, hoc procedere, etiam quod hæc privata ſcriptura ſit in favorem hoſpitalis, licet aliàs ſcriptura, ſine teſtibus valeat favore piæ cauſæ, de communi teſtatur Covar. *cap. relatum*, *el* 1. *num.* 12. *in fine*, *de teſtam.* Tiraq. *de privil. piæ cauſæ*, *privil.* 4. Tiberius, *conſ.* 158.
24 *numero* 3. Gratianus, *deciſ.* 207. *num.* 6. & de jure communi ob favorem piæ cauſæ valet ſcriptura privata ſine die, Alex. *conſ.* 105. *num* 5. *vol.*
25 3. *lib. cum tabernam in fine*, *ff. de pignoribus.*

Sed ſi teſtes non ſint, tamen ſint capitula & conſtitutiones montis pietatis, ut bona recipientium mutuum ſint obligata, ut communiter contingit,
26 ſufficiet. cum unuſquiſque cenſeatur contrahere ſecundum capitula illius, ad tradita per Surdum, *deciſ.* 70. Bald. *lib. ſi duo*, *ff. de acquir. hæred.* Menochius, *de adipiſcend. poſſ. rem.* 4. *num.* 135. Mieres, *de majorat.* 1. *par. quæſt.* 60. *numero* 9. Cum ipſo enim monte contrahit, non cum miniſtris, *argum. text. in lib. procuratoris*, §. *ſi plures*, *ff. de tributoria actione*, ibi: *Unuſquiſque eorum merci magnis quam ipſi credidit:* Et conducit bonus *text. in l. fin. C. de juriſdictione omnium judicum*, ubi contrahentes in certa negotiatione obligantur
27 illius ſtatutis, & ſubſunt judicibus illius profeſſionis ſeu negotiationis. Et facit pro hoc, quod actus
28 præſumitur geſtus ſecundum qualitatem rei ſuper qua conficitur, *l. ſemper in ſtipulationibus* 35. *ff. de reg. jur* Meno. *lib.* 6. *præſumptione* 10. *num.* 8. & faciens actum cenſetur ſe obligare legibus loquentibus de illo actu, Franciſ. Beccius, *conſ.* 35. *num.* 11. Surdus, *conſil.* 198. *num.* 11. *lib.* 2. *conſ.* 407. *num.* 6. *vol.* 1. Aymon *conſ.* 30. *in fine.*

## CAPUT XXIV.

### De anniverſario pro celebranda feſtivitate Sacramenti Corporis Chriſti, & de præcedentiis in proceſſione.

*SUMMARIUM.*

1 *Expenditur textus in Clementina, ſi Dominum, de reliquiis, & veneratione Sanctorum.*
2 *Omne jus potentius operatur in cauſa, quàm in cauſato.*
3 *Quando quid eſt propter aliud, potius conſideratur illud propter quod eſt.*
4 *Cauſa plus influit in ſe ipſa, quàm in cauſato, & potius attenditur quam exercitium actus.*
5 *Differentia ponitur inter anniverſaria feſta, quæ Sancta Eccleſia celebrat in hororem Dei, & hoc anniverſarium Sacramenti.*
6 *Sanctus Joannes Baptiſta, quare dicatur plus quàm Propheta.*
7 *Pridie Veneris Sancti, quare ſeparetur Sacramentum Corporis Chriſti ab altari majori, & ponatur loco ornato, qui vulgariter dicitur monumentum.*
8 *Sacramentum Corporis, & ſanguinis Chriſti eſt Sanctorum omnium gloria & corona.*
9 *Quare non celebretur feſtum Corporis Chriſti in die Cœnæ Domini.*
10 *Si in Scenam prodierit, quis in honorem feſti Sacramenti, nulla notatur infamia, imo honore afficitur, ut facit David coram archa Domini.*
11 *Deſervientes ludis ſacris, nullo afficiuntur damno.*
12 *Habitatores villæ de Yepes, mirificè celebrant hanc feſtivitatem, & primates populi Scenis, & comediis inſerviunt.*
13 *Bona propria locorum debent expendi pro celebrando feſto Corporis Chriſti.*
14 *Ordines poſſunt compelli ab Epiſcopo accedere ad proceſſionem Sacramenti, etiam per excommunicationem.*
15 *Ordines ſi abſint à civitate ſeu loco, ubi ſit proceſſio ultra dimidium milliare, non tenentur accedere ad proceſſionem.*
16 *Confraternitates laicorum nequeunt compelli, ſed invitari ad accedendum ad proceſſionem.*
17 *Confraternitates laicorum poſſunt per Eccleſiaſticum judicem compelli ad obſervantiam voti.*
18 *Ordines & confraternitates in proceſſione debent conſuetum locum ſervare, quia in honorariis attenditur conſuetudo, & nu. ſequenti.*
19 *Conſuetudo, ſignat loca ſedendi, eundi, & ſtandi.*
20 *Prælatio etiam in rebus ſpiritualibus, & eis annexis, acquiritur ut offerendi prius in Eccleſia ſacerdoti, & recipiendi pacem, & ſimilia.*
21 *Acquirere poteſt quis habere ſcamnum in Eccleſia.*
22 *Mulieres licet non poſſint inducere conſuetudinem, poſſunt tamen conſuetudine acquirere jus ſedendi in Eccleſia, & offerendi prius.*
23 *Prioritas ſedendi vel eundi in excelſiori loco, &*

*alia*

*aliæ ſimiles præcedentiæ, poſtquam fuerint acquiſitæ, adeò ſunt debitæ acquirentibus, ut & armis poſſint defendi.*

24 *Locum indebitum ſibi uſurpans, ſacrilegus judicatur.*

25 *Confraternitates & religiones, quæ ſunt in quaſi poſſeſſione præcedentiæ in proceſſionibus, debent præcedere tam in publicis quam in privatis.*

26 *Ex unico actu acquirit quaſi poſſeſſio eundi & ſedendi digniori loco.*

27 *Antiquiores debent præcedere, ubi nullus eſt in quaſi poſſeſſione præcedentiæ.*

28 *Digniores debent præcedere, ubi non apparet de prioritate temporis, & ſic confraternitates habentes ſtatuta puritatis ſanguinis, & collegia.*

29 *Controverſiæ, quæ ſolent oriri inter confraternitates laicorum ſuper præcedentie, diffiniuntur ab Epiſcopo, cum modus & ordo incedendi in proceſſionibus ſint actiones ſpirituales.*

30 *Limita ſi lis ſit ſuper jure, ſecus ſi ſuper facto, quia laicus cognoſcit de mero poſſeſſorio ſpirituali.*

31 *Appellatio non admittitur à ſententia Epiſcopi diffinientis ſuper modo incedendi in proceſſionibus.*

1 *SI Dominum in Sanctis ejus laudare jubemur,*
*dignum profectò, juſtum & ſalutare nobis*
*exiſtit, ut ſibi in ſui, quo nos quotidie ſpi-*
*ritualiter reficit memoriam, corporis laudes feſtivæ*
*venerationis & gratias referamus*: Verba ſunt Cle-
mentis Papæ Quinti, relata Clementina 1. de reli-
quiis & veneratione Sanctorum. Ex quibus deduci-
tur commune illud axioma: propter quod unum-
quodque tale & illud magis, quod probatur *in au-*
2 *then. multo magis, C. de Sacroſanctis Eccleſiis* Omne
enim jus potentius operatur in cauſa, quam in
cauſato, Paulus Caſtrenſ. *conſ.* 129. *vol.* 1. ubi
3 ad id allegat. *l. digna vox, C. de legibus.* Nam
quando quid eſt propter aliud, potius conſidera-
tur illud propter quod eſt, *l. & ſi non ſunt clavi*
21. §. *perveniamus, ff. de auro, & arg. leg.* &
magis cauſæ ſervitium præſtatur, *l. tempus* 29. *ff.*
4 *de re jud.* Plus enim influit cauſa in ſeipſa, quam
in cauſato, & attenditur potius, quam exercitium
actus, Felinus, *c. auditis, num.* 20. *de præſcrip.*
& Deciſio Genuæ, 128. *n.* 2. *& eſt text. in l. navis*
*onuſtæ, in* 1. *reſponſ. ff. ad l. Rodiam, de jactu.*
Si ergo propter Deum ultra commemorationes, quæ
fiunt per anni curſum, in litaniis & Miſſis) feſta
anniverſaria Sanctorum celebramus eorum natali-
tiis, multo magis celebrare debemus anniverſa-
rium feſtum ſacramenti corporis Chriſti, ut argu-
mentatur *d. clem.* 1. ibi. *Licet igitur hoc memoriale*
*ſacramentum in quotidianis Miſſarum ſolemniis fre-*
*quentetur, conveniens tamen arbitramur & dignum,*
*ut de ipſo ſemel ſaltem in anno ad confundendam ſpe-*
*cialiter hæreticorum perfidiam, & inſaniam, memo-*
*ria ſolemnior & celebrior habeatur.*

5 Et ſi multa alia anniverſaria in honorem Dei
Sancta Eccleſia celebret, quæ enumerantur, *cap.*
*illa* 12. *diſtinctione*, ibi. *Sicuti Domini paſſio, &*
*reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & adventus de*
*cœlo Spiritus Sancti, anniverſaria celebrantur ſolem-*
*nitate*: hoc autem anniverſarium eſt plus quam
anniverſaria memoria. In aliis namque quorum
memoriam agimus, ſpiritu menteque complecti-
mur, ſed non propter hoc realem eorum præſen-
tiam obtinemus, in hac verò ſacramentali Chriſti
commemoratione Jeſus Chriſtus præſens, ſub alia
quidem forma, in propria verò ſubſtantia, eſt
nobiſcum: qui aſcenſurus in cœlum dixit Apoſto-
lis, & eorum ſequacibus: Ecce enim vobiſcum
ſum omnibus diebus, uſque ad conſummationem
ſæculi, benigna ipſos promiſſione confortans, quod
remaneret, & eſſet cum eis etiam præſentia cor-
porali, ut inquit Urbanus Pontifex, *dict. clem.* 1.
*verſ.* alia namque. Et cum anniverſarium ſit memo-
ria, quæ fit anno revoluto à morte defuncti, ut
dicit *gloſſ. in cap.* cum creatura, de celebratione
Miſſarum, fiatque in abſentia defuncti, hic contin-
git, quòd dum memoriam agimus paſſionis & mor-
tis Chriſti Redemptoris noſtri, ipſum corporali
præſentia habeamus. Bene ergo diximus pluſquàm
anniverſaria memoria, uti dixit Dominus de Joan-
ne Baptiſta, pluſquàm Propheta, quia vidit cor-
poralem Chriſti præſentiam, juxta omnium inter-
pretationem ſuper Matth. *c.* 11. *& Luc. c.* 7. licet 6
Guillermus Benedictus, *c. Rainuntius verb. & ſo-*
*bolem*, quam geſtabat *numero* 22. aliter explicet,
dicendo rationem eſſe, quia alii prophetarunt de
ipſo, Malachiæ 3. & Lucæ 1.

Et ſic dum Sancta Eccleſia in die Veneris Sancti 7
celebrat mortem Chriſti, nedum memoria Chriſti
mortui recolitur, hoſtia conſecretur, quæ eſt figu-
ra Dominicæ paſſionis. Et ne Eccleſia ſit ſine fructu
ſacramenti pro infirmis & aliis, quæ accidere poſ-
ſunt, pridie ſeparatur ab altari majori, & depo-
nitur in loco decenti ſeorſum, ut tradit Guiller-
mus Durandus *in rationali divinorum officiorum lib.*
6. *c.* 75. *numero* 9. unde ſumpta fuit occaſio dicendi
illo die celebrari ab Eccleſia monumentum, &
ſepulchrum Chriſti cum non expiraverit niſi ſequen-
ti die ſero, ita frater Dominicus à Soto *in* 4. *ſenten-*
*tiarum, diſtinctione* 13. *quæſt.* 2. *art.* 2. *verſ.* ſecun-
do arguitur, & verſ. Hic primum adnotato.

*O digna, & nunquam intermittenda memoria,*
inquit Pontifex, *d. clem.* 1. *in qua mortem noſtram*
*recolimus mortuam noſtrumque interitum interiiſſe, ac*
*lignum vivificum ligno crucis affixum fructum nobis*
*attuliſſe ſalutis*: & poſtea ſubdit: *O memoriale no-*
*biliſſimum intimis commendandum præcordiis, firmi-*
*ter animo alligandum, & meditatione ac celebratio-*
*ne ſedula recenſendum.* Potiſſime igitur exequendum
eſt feſtum anniverſariorum erga hoc vivificum ſa-
cramentum corporis & ſanguinis Jeſu Chriſti, qui
eſt ſanctorum omnium gloria & corona, ut dicit
Paulus ad Philippenſes. 4. Et ſic dum Sancta Eccle- 8
ſia jubet, memoriam hanc annuatim celebrari feria
quinta poſt octavam Pentecoſtes *in dict. Clem.* 1.
ponuntur hæc verba: *Ut in ipſa quinta feria devota*
*turbæ fidelium propter hoc ad Eccleſias affectuoſe*
*concurrant, & tam Clerici, quàm populi gaudentes*
*in cantica laudum ſurgant, tunc enim omnium corda*
*& vota, ora & labia hymnos perſolvant lætitiæ ſa-*
*lutaris, tunc pſallat fides, ſpes tripudiet, exultet*
*charitas, devotio plaudat, jubilet chorus, puritas*
*jucundetur, tunc ſinguli alacri animo, pronaque*
*voluntate conveniant, ſua ſtudia laudabiliter exe-*
*quendo, tanti feſti ſolemnia celebrantes.*

Et licet inſtitutio hujus ſacramenti fuerit in die 9
Cœnæ, non eo tempore celebratur feſtivitas, eo
quod Eccleſia tunc ſit plurimum occupata pro pœ-
nitentium reconciliatione, ſacri Chriſmatis confe-
ctione, impletione mandati circa lotionem pedum,
nec plenè vacare poſſit celebrationi hujus maximi
ſacramenti, ut inquit *d. clem. verſ. licet igit.* Non
enim



enim perfunctorie eſt ſolemnitas hæc celebranda,
ſed magna deliberatione & apparatu, & nihil
poteſt fieri, quod exuberet, nihilque in obſe-
quium hujus feſti, quod damnum afferat, imo in
10 ſcœnam prodire, ob quod alias infamia incurritur,
*l.* 1. *ff. de his qui notant. infam.* ſi fiat pro hoc feſto
celebrando, ut fecit David coram archa, ubi erat
manna figura hujus ſacramenti, non infamiam
ſed honorem affert, gloſſa *in lib.* 2. §. *ait Prætor.*
*verbo, diffinit ff. de his qui not. infam.* Et ſic ſaltato-
res, (vulgo dançantes) qui voluntarie tali Sanctiſ-
ſimo inſerviunt feſto nullam timebunt infamiam,
11 quia deſervientes ludis ſacris, nullo afficiuntur
damno, *l.* 2. *C. de ſpectaculis & ſcœnicis, libr.* 11.
12 In quo laudandi ſunt habitatores villæ de Yepes,
Archiepiſcopatus Toletani, qui mirifice hoc feſtum
celebrant, & primates populi ſcœnis, & comediis
inſerviunt. In quo expenditur relictum pro eo feſto
annuatim celebrando, à quibuſdam devotis illius
oppidi.

13 Sed & propria locorum debent in hoc expendi,
ſecundum conſuetudinem, quam quiſque populus
ſervaverit, ut tradit Avendaño de exequendis man-
datis, 2. *part. cap.* 10. *numero* 18. *argum. l.* 4. *C.*
*de paganis*, quem ſequitur Bobadilla *in ſua poli-*
14 *tica, libr.* 5. *cap.* 4. *num.* 16. Et propter honorem
tanti feſti, ordines poſſunt compelli per Epiſcopum
accedere ad proceſſionem, *Conſil. Trid. ſeſſione* 25.
*cap.* 1. *de reformatione*, etiam de excommunicatio-
15 ne, Gratianus, *deciſ.* 232. *numero* 15. Niſi ab-
ſint à civitate ultra dimidium milliare, ut declara-
16 vit ſacra Congregatio, teſte Gratiano, ibi, *numero*
9. Confraternitates tamen laicorum, nequeunt
compelli, ſed allici & incitari, ut tradit Gratia-
nus *d. deciſ.* 232. *num.* 13. ubi dicit ſic reſolutum à
ſacra Cardinalium Congregatione, ſed ſi fecerint
votum eundi, poſſunt compelli ad obſervantiam
17 voti, ut ad quamlibet proceſſionem votivam Sancti,
ſub cujus nomine fuerint congregati, *l. prophanos,*
*C. de paganis, l.* 2. §. *ſi decimam, ff. de pollicita-*
*tionibus, cap. ex parte, de cenſibus.*

18 Debent tamen hæ confraternitates & Religiones
conſuetum locum in proceſſione ſervare, nàm in
honorariis attenditur conſuetudo Bald. *cap. licet*
*cauſam, de probation. num.* 6. Franchis *deciſ.* 153.
*num.* 2. *& eſt text. in c. cum olim, de conſuetud.*
19 ubi Bald. *notabili* 1. dicit, quòd conſuetudo ſignat
loca ſedendi, eundi & ſtandi, plures cumulat,
Tiraq. *de nobilitate, cap.* 2. *num.* 55. *verſ. ſed in*
*hoc*, Franchis *deciſ.* 388. *num.* 4. & quod in præce-
dentiis conſuetudo attendatur, tradit Tiberius De-
cianus *conſ.* 21. *num.* 6. *vol.* 1.

20 Poteſt namque acquiri talis prælatio, etiam in
rebus ſpiritualibus, & eis annexis ut offerendi pri-
us in Eccleſia ſacerdoti, & recipiendi pacem, &
ſedendi excelſiori loco Lara *l. ſi quis à liberis, in*
*principio numero* 32. *ff. de liberis agnoſcend.* Joannes
Garcia *de expenſis cap.* 8. *numero* 5. *verſ.* adeoque,
Franciſcus Marcus *deciſion.* 275. Guillermus Bene-
dictus, *cap. Rainuntius, verb. duas habens filias,*
*num* 21. *de teſtamentis.*

21 Sed & poteſt acquiri habere ſcamnum *in Eccle-*
*ſia. Pariſius conſi.* 149. *vol. quarto* Rebuff. *tractatu*
*in quibus cauſis ſæcula cogn. poſſ. numero* 33.

22 Et licet mulieres nequeant inducere conſuetudi-
nem, ut notat Bart. *l.* 1. *ff. de legibus*, quem refert
& ſequitur Socinus *conſ.* 7 *numero* 8. *vol.* 1. Abb.
*conſ.* 53. *numero* 1. 2. *part. & idem cap. fin. numero*
7. *de conſuetudine.* Tamen poſſunt conſuetudine
acquirere jus ſedendi in Eccleſia, & offerendi
prius, Joannes Faber. *in* §. *aliam verò, inſtituta*
*de bonorum poſſeſſio.* Nec obſtat concluſio ſuperius
tradita: nam id procedit in generali conſuetudine,
quæ habet vim legis, quam mulieres condere ne-
queunt, ut dicunt Doctores ſupra relati. Et poſt
quam prioritas ſedendi in Eccleſia, vel eundi in
proceſſionibus digniori loco fuerit acquiſita, adeo
eſt ſervanda acquirenti, & ei debetur, ut & ar-
mis poſſit defendere locum, Gerardus *ſingulari* 33.
ubi optime, ſed & reſiſtere volentibus ab eo eji-
cere, dicit, licet Avenda. de exequendis mandatis,
2. *part. c.* 10. *num.* 20. & idem in aliis præceden-
tiis. Et qui ſibi indebitum locum uſurpat, ſacrilegus 24
judicatur, *l.* 1. *C. ut dignitatum ordo ſervetur*, Me-
nochius *de arbitrariis lib.* 2. *centuria* 4. *caſu* 320.
*num.* 15. ubi alios refert.

Et quod in proceſſionibus confraternitates & 25
Religiones, quæ ſunt in quaſi poſſeſſione præceden-
tiæ, debeant præcedere tam in publicis quàm in
privatis, traditur conſtitutione Gregorii Papæ 13.
ſuper præcedentia in proceſſionibus. Et ſufficiet
unicus actus, ut acquiratur quaſi poſſeſſio eundi
vel ſedendi in digniori loco, Bart. *l.* 1. §. *hoc inter-*
*dicto, ff. de itinere actuque privato, & per tradita* 26
*infra lib.* 2. *cap.* 1. *numero* 55. *&* 56.

Sin autem nullus fuerit in quaſi poſſeſſione præ- 27
cedentiæ antiquiores confraternitates præferendæ
ſunt, & qui prius ſacris uſæ fuerint Gratianus,
*deciſ.* 232. *num.* 2. *& eſt text. in l.* 1. *ff. de albo*
*ſcribendo*, ibi: *Antiquiſſimus quiſque prior.*

Sed ſi non appareat de prioritate & poſterioritate, 28
tunc digniores debent præcedere, *gloſ. in* §. *aliam,*
*inſtituta de bonororum poſſeſſion.* & ſic confraterni-
tates habentes ſtatuta nobilitatis & puritatis ſangui-
nis, quia etiam in ſpiritualibus habetur ratio nobi-
litatis, ut dicemus *infra, lib.* 2. *cap.* 4. & condu-
cunt tradita per Marçarium *conſ.* 25. ubi aliàs cau-
ſas præcedentiæ affert, & Menchaca controverſia-
rum illuſtrium, in præfatione, Tiberius Decianus
*conſ.* 21. *per totum volum.* 1. Boherius *tractatu de*
*auctoritate conſilii magni Parlamenti,* Caſſaneus *in*
*catalogo gloriæ mundi,* 4. *part. conſideratione* 7. *cum*
*ſequentibus.*

Et orta controverſia ſuper præcedentia inter con- 29
fraternitates laïcorum Epiſcopus diffiniet, Gratia-
nus *deciſ.* 232. *num.* 3. 4. *&* 5. Ex quo modus, &
ordo incedendi in proceſſionibus deferendi crucem
& ſimilia, ſunt actiones ſpirituales, Navarrus
*conſ.* 3. *num.* 6. *de foro compet. lib.* 2. & ſic in eis
laici ſubſunt judicio Epiſcopi, quia judices laici
nullam habent poteſtatem in rebus & actibus ſpiri-
tualibus, *cap. ſecundo, & tertio, de judiciis, cap.*
*benè quidem* 96. diſtinctione, & hoc ſi ſuper jure
incedendi, ſecus ſi ſuper facto, quia nunc ſecula-
ris poterit cognoſcere, Peregrinus *conſ.* 1. *num.*
30. *vol.* 3. Nam poteſt cognoſcere ſuper mero poſ- 30
ſeſſorio ſpirituali, *cap. fin. de judiciis*, modò lis ſit
inter laïcos, Covarr. *quæſt.* 35. *practicarum num.*
1. de quo Grammaticus *deciſ.* 78. Rolandus *conſ.*
32. *volum.* 2. Cavalcanus *deciſ.* 45. *numero* 75. Avi-
leſius, *c.* 1. *prætorum, verbo Mandamientos, num.*
11. Mieres *de majoratibus*, 3. *p. q.* 11. *numero* 11.
*& q.* 15. *numero* 19. *&* 20. Joannes Garcia *de nobi-*
*litate, gloſ.* 1. *num.* 27. *& gloſ.* 9. *num.* 46. Joannes
Guterreus *in quæſt. Canon. q.* 34. *num.* 16. Valaſcus
*conſultatione* 11. Barboſa, *l. Titia* 35. *num.* 21. *&*
22. *ff. ſolut. matr.* Raud. *conſ.* 11. *num.* 11. The-
ſaurus *deciſ.* 82. *&* 117. *&* 131. Treviſianus,
*deciſ.*

*deciſ.* 17. *lib.* 1. Parlado. 3. *part. differentia* 9. §. 2. *numer.* 2.

Et quod Epiſcopus diffinierit appellatione remota, exequendum eſt, ut determinat Concil. Trident. *ſeſſione* 25. *cap.* 13. *de reformatione*, & in terminis confraternitatum, tradit Gratianus, *deciſ.* 232. *numero* 1.

## CAPUT XXV.

Sitne licitum aliquid præcipere ratione tributi Pontagii ſeu paſſagii, cum mortuorum cadavera transferuntur de uno loco ad alium ad funerandum, & ſepeliendum ea in locis à defunctis electis, ubi eſt celebrandum anniverſarium, vel Capellania, & an quarta funeralis, quæ eo caſu debetur Parochiæ deducatur de relictis pro anniverſario.

### SUMMARIUM.

1 *Cum tributum ſolvatur in ſignum ſubjectionis, corpus inanimatum, quod non eſt capax ſubjectionis, non tenetur ſolvere.*

2 *Uxor licet ſit ſubjecta viro lege divina, poteſt eligere ſepulturam invito viro, quia in tempus, quo ceſſat ſubjectio.*

3 *Paria ſunt aliquid facere tempore habili vel inhabili, ſi ejus effectus conferatur in tempus habile.*

4 *Sepultura naturaliter debetur homini, maximè in loco à ſe deſtinato, & num.* 10.

5 *Juri naturæ contraveniri non poteſt per ſtatutum.*

6 *Publice intereſt, quod cadavera ſepulturæ tradantur.*

7 *Publicæ utilitati nullus poteſt contravenire.*

8 *Bonum publicum dicuntur reſpicere, quæ afferunt commodum communitati conſideratis hominibus, ſimul & conjunctim, ſive ſeparatim & particulariter.*

9 *Corporis humatio ſi detineatur, & tranſlatio ad ſepulturam, quia non ſolvatur tributum fiet detrimentum omnibus conjunctim, & diviſim propter fœtorem.*

10 *Æquitas naturalis, & publica utilitas conſiſtit in ſepeliendo cadavere loco per defunctum electo.*

11 *Publice intereſt ultima hominum elogia exitum habere.*

12 *Ultima voluntas non debet eſſe in pendenti, maximè in funeralibus.*

13 *Non minus expedit reipublicæ mortuos ſepeliri, quam vivos conſervare.*

14 *Inſpicienda eſt cauſa facti, & quare aliquid fiat.*

15 *Illud dicitur principaliter intendi, ad quod finis intentionis dirigitur.*

16 *Finis prius eſt intentione, licet ſit poſterior in exequutione.*

17 *Sepultura non poteſt vendi, licet aliqui contrarium certo modo, teneant, tamen eleemoſyna pro ea datur à fidelibus de conſuetudine.*

18 *Declaratur locus Geneſis*, cap. 23. & l. ſi quis Sepulchrum, ff. de religioſ. & ſump. fun.

19 *Quilibet tenetur permittere fieri illud quòd ſibi non nocet, & alteri prodeſt.*

20 *Funus corporis non impeditur ob æs alienum.*

21 *Impenſa neceſſaria pro ſepultura prius ſolvitur, quam alia defuncti debita.*

22 *Veſtes mortuorum (vulgo mortaias,) quàm habeant ſignificationem.*

23 *Impenſa funeris non ſolum præfertur creditoribus perſonalibus, ſed & hypothecariis, & quid hodie jure Regio, & numero ſequenti.*

24 *Si quintum non ſufficiat pro funeris impenſa, an liceat ultra progredi.*

25 *Expenſæ factæ in medicinis an deducantur de quinto, vel de acervo.*

26 *Animalia aliqua utuntur ſepultura, nam formicæ ſepeliunt mortuas, & delphini.*

27 *Pœnæ ſunt in jure ſtatutæ contra impedientes ſepulturam cadaveris, & cauſa funeris & exequiarum præbet juſtam excuſationem.*

28 *Loca ſacræ ſcripturæ, quibus monemur ſepelire mortuos.*

29 *A ſacra Pagina inſtruimur adſportare cadavera ad locum à defuncto deſtinatum.*

30 *Angeli dignantur exequi munus ſepeliendi, & etiam Sancti Dei.*

31 *Refertur deſcenſus divorum Stephani, & Auguſtini ad Parochialem Eccleſiam Sancti Thomæ civitatis Toletanæ, pro ſepeliendo nobili viro.*

32 *Hiſtoriis & Chronicis eſt credendum, & probant in deciſionibus cauſarum.*

33 *Scriptis in lapidibus antiquis Eccleſiæ creditur.*

34 *Laudatur Civitas Toletana, quæ honoratur defenſione Deiparæ Virginis Mariæ, & divorum Stephani & Auguſtini.*

35 *Laudatur illuſtriſſima familia Comitum de Orgaz, & referuntur viri illuſtres illius.*

36 *Natura nos admonet ſepelire mortuos.*

37 *Exulati non poſſunt funerari eo loco à quo fuerunt facti exules.*

38 *Funera olim fiebant ſumptibus Eccleſiæ, non defunctorum.*

39 *Olim diſtrahebantur vaſa ſacra in ſepulturam defunctorum, pro animabus Purgatorii.*

40 *Gentilitas ut ſuos ſepeliret eleemoſynas aggregare curabant.*

41 *Africanus tam pauper mortuus eſt, ut neceſſum fuerit eleemoſynam petere ad exequias funerales, Autore Plutarcho de ejus vita.*

42 *Expendens in funere alicujus non debet in aliquo lædi, ſed omnia debent ei ſolvi.*

43 *Nec ſi filius funera faciat, cenſetur ſe immiſcere.*

44 *Nulla lege eſt diſpoſitum, quod ſolvatur tributum pro transferendo cadavere, de uno loco ad alium pro ſepultura, & ſic non eſt novis inventionibus inducendum.*

45 *Licitum eſt abſque alicujus licentia portare cadaver de loco ad locum.*

46 *Traditur Ethymologia nominis cadaver.*

47 *Electio ſepulturæ eſt actus ultimæ voluntatis.*

48 *Pacto non poteſt quis aſtringi ad eligendam, vel non mutandam electam ſepulturam.*

49 *Electio ſepulturæ facta ad inſtantiam religioſorum, etiam jurata annullatur.*

50



50 *Electio ſepulturæ liberè facta cum juramento tenet, & obligat niſi nova cauſa intervenerit.*

51 *Libera conceditur facultas ordinibus ſepeliendi in ſuis Eccleſiis, quarta tamen funeralis eſt danda Eccleſiæ Parochiali.*

52 *Operarii non debent debita mercede fraudari.*

53 *Deciſio Clementinæ, dudum, de ſepulturis, procedit in datis in mortis articulo, ex quibus deducitur quarta funeralis: ſecus in datis ab incolumi & ſano.*

54 *Expenditur textus* in c. fin. de teſtamentis, *ut de relictis pro anniverſario non debeatur quarta.*

55 *Declaratur ex quibus ſolvatur quarta Epiſcopalis & Parochialis & traditur cujuſque natura.*

56 *Ponitur differentia inter has quartas portiones.*

57 *Conſuetudine eſt obtentum, quod ſolvatur Eccleſiæ Parochiali quarta pars de his tantum, quæ offeruntur tempore quo funus aut exequiæ defuncti celebrantur, & ſic non ſolvitur de relictis pro anniverſario.*

*OMNIS anima ſublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit*, & infra, *& vos ſubditi eſſe debetis, ideo enim tributa præſtatis, quia hæc eſt probatio ſubjectionis.* Verba ſunt Auguſtini ſuper Epiſtola ad Romanos relata, c. omnis anima, de cenſibus. Si ergo ideo tributa præſtantur ab hominibus, quia ſignum eſt ſubjectionis, à ceſſante ratione ſequitur corpus inanimatum & cadaver non debere aliquod tributum, pontagium ſeu paſſagium ſolvere, cum non ſit capax ſubjectionis. Atque ita optime text. inquit omnis anima, loquitur namque de exiſtentibus in carne.

2 Sic licet uxor ſit viro ſubjecta lege divina, *Geneſ. cap.* 3. ibi: *Et ſub viri poteſtate eris*, poteſt
eligere ſepulturam invito & reluctante viro. Ex
quo electio iſta ad eum ſtatum pertinet in quo mu-
lier ſolvitur à lege viri, & ceſſat ſubjectio, ut
3 inquit text. *in capit. uxore, de ſepulturis*, quia
paria ſunt aliquid facere tempore habili, vel inhabili, ſi ejus effectus conferatur in tempus habile, *l. in tempus, ff. de hæred. inſtit. l. quod ſponſa, C. de donatio ante nupt.* de quo axioma ultra Abbatem, *d. cap. uxore, num.* 7. vide Valaſcum *conſultatione* 77. *num.* 4. Gregor. *l.* 19. *tit.* 13. *part.* 6. Suarez *allegatione* 27. *pag. fin. in fine*, Anton. Gom. *l.* 9. *Tauri. num.* 21. Covarr. *in* 4. *de ſponſa.* 2. *part. cap.* 4. *numero* 3. Peralta, *l. ſi Titio* & ei, *num.* 2. *de legat.* 2. Gutierr. *allegatione* 22. Mieres *de majorat.* 1. *part. quæſt.* 50. *num.* 2. *& idem*, 2. *part. quæſt.* 2. *num.* 8. Barboſa, *l.* 1. 5. *part. num.* 40. *ſolut. matrim.* Molina, *lib.* 2. *de primog. cap.* 13. *num.* 7. & poſt librum primogeniorum *num.* 14. Matienço, *l.* 1. *tit.* 4. *gloſſ.* 1. *numero fin. lib.* 5. *recop.* Navarrus de ſponſalibus *conſ.* 25. *n.* 2. Thomas Sanchez *de matrimonio, lib.* 5. *diſputatione* 5. *quæſt.* 3. *numero* 26. Jaſ. *l. fin. numero* 8. *C. de pactis*, Aymon. *conſ.* 197. qui limitant quando lex reſiſtit initio, ut in conjugata contrahente ſine viri licentia prohibita, *l.* 55. *Tauri* cum ergo ceſſet ſubjectio morte, itidem ceſſare debet ſignum ſubjectionis, quod eſt tributum.

4 Deinde ſepultura naturaliter debetur homini, maxime in loco à ſe deſtinato, *l. ſcriptus hæres* 4. *ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* in illis verbis: *Naturaliter enim videtur ad mortuum pertinere locus in quem infertur, præſertim ſi in eum locum inferatur in quem ipſe deſtinavit*, & ſi prætextu non ſoluti tributi pontagii, ſeu paſſagii, impediatur illatio cadaveris ad ſepulturam, non immeritò dicemus
juri naturæ contra veniri, cui juri derogari non
poteſt aliquo ſtatuto ſeu lege poſitiva, §. *ſed agna-* 5
*tionis*, inſtituta de capitis diminutione.

Facit etiam, quia publice intereſt, quod cada- 6
vera ſepulturæ tradantur, *l. ſunt perſonæ, ff. de religioſ.* & ſumptibus funerum, ibi: *Nam propter publicam utilitatem, ne inſepulta cadavera jacerent,*
*&c.* At nullus valet publicæ utilitati contravenire, 7
*l. jus publicum, ff. de pactis*, Roland. *conſ.* 25. *lib.* 2. *num.* 5. Gamma *deciſ.* 386. *numero* 11. Covarr. *c. quamvis pactum.* 2. *par.* §. 1. *in princip. & §.* 6. *n.* 1. Tiraq. *l. ſi unquam in præfatione, n.* 54. etiam à publicis perſonis, *l.* 2. §. *jus reipub. ff. de adminiſtratione rerum ad civitat. pertinen. & l.* 2. *C. de convenien. fiſci debito*
*lib.* 10. de quo per Jaſ. *dict. l. jus publicum.* Et cum 8
dicantur reſpicere bonum publicum, quæ afferunt commodum communitati, conſideratis hominibus ſimul & conjunctim, ſive conſideratis ſingulariter, & particulariter de per ſe, *l. pupillus*, 238. §. *munus, de verborum ſignificatione*, ubi Alciatus, *num.* 2. *& l.* 1. §. *hujus ſtudii, ff. de juſtitia & jure*, de quo Barboſa, *l.* 1. 7. *part. numero* 5.
*ff. ſolut. matrim.* quem videas. Et ſi detineatur cor- 9
poris humatio & tranſlatio ad ſepulturam, quia non ſolvatur tributum, fiet detrimentum omnibus conjunctim, & diviſim propter fætorem, ut dicit Grammaticus, *deciſ.* 82. ergo tale non eſt ferendum. Sed ſi dicas, quod alio in loco poteſt ſepeliri abſque eo quod transferatur extra civitatem. Reſpondeo etiam, conſideraſſe Jureconſultum in eſſe æquitatem naturalem, & publicam utilitatem in ſepeliendo corpore loco à teſtatore deſignato,
ut videre poteris, *l.* 4. & *l. ſunt perſonæ, ff. de* 10
*religioſ. & ſumpt. fun.* Ad quod etiam junge, quod 11
publice etiam intereſt hominum elogia exitum habere, *l. vel negare, ff. quemadmodum teſtament. aperiant.* Didacus Perez, *l.* 4. *tit. de teſtamentis*,
*lib.* 5. *ordinam. pag.* 141. & Meneſius, *l.* 1. *numero* 12
16. *de lega.* 2. debent enim ſtatim executioni mandari, nec debent detineri, & eſſe impendenti, *l. fin. in fine, ff. communia prædiorum*, tradit Molina, *lib.* 3. *primogen. cap.* 10. *numero* 4. & Burgos de Paz, *conſ.* 32. *numero* 18. & in terminis quod in funeralibus illicò procedendum ſit, ne inficiantur homines fætore, tradit Rebuff. *tit. de ſententiis proviſionalibus, num.* 39. quia, ut inquit Bald. *l.*
*fin. C. de negotiis geſtis*, non minus expedit Reipu- 13
blicæ mortuos ſepeliri, quàm vivos conſervare.

Deinde facit, quod talis illatio ſeu adportatio 14
cadaveris fit ad humationem, & ſepulturam illius, & inſpici debet cauſa facti, & quare aliquid fiat, *l. ſi quis nec cauſam, ff. ſi certum petatur, l. verum ff. de furtis*, quia illud dicitur principaliter intendi,
ad quod finis intentionis dirigitur, Bart. *l. ambi-* 15
*tioſa, num.* 19. *ff.* de decretis ab ordine faciendis, Aymon *conſ.* 304. *num.* 3. *& conſ.* 137. *numero* 14.
cum ſecundum Philoſophum finis prius ſit in inten- 16
tione, licet poſterior in executione. Sed pro ſepul- 17
tura non eſt pecunia recipienda, *c. abolendæ*, de ſepulturis, ubi Doctores, Molina, *lib.* 1. *primog. cap.* 24. *num.* 40. ubi optimè Gregor. *l.* 1. *tit.* 13. *par.* 1. *verb. vender.* & tradit Cabedo de patronat. Regiæ Coronæ, *cap.* 32. *num.* 2. licet id fieri poſſit, & fiat communiter quando honorabilio, locus petitur

tur in Eccleſia, nam datur pretium fabricæ ad ejus ſuſtentationem, vel quando venditur capella non neceſſaria ad ſepulturam, Arago ſuper Thom. 2. 2. *quæſt.* 100. *art.* 4, Humada in additio. *ad ll. partitæ*, *l.* 55. *tit.* 6. *part.* 2. *gloſ.* 5. & Sotus, *de juſtitia & jure*, *lib.* 9. *quæſt.* 7. *art.* 1. *pag. mihi.* 775. *col.* 1. & Petrus Salazar, de uſu & conſuetudine, *cap.* 10. *numero* 24. qui loquuntur de conſuetudine, introducta à piis fidelibus dandi aliquam pecuniam Eccleſiæ pro ſepulturis, quod ego intelligo ſecundum conſtitutionem Synodalem Illuſtriſſimi Cardinalis de Sandoval Archiepiſcopi Toletani, *tit. de ſepulturis conſt.* 4. §. *fin. Del libro de los difuntos*, ibi: *Y la limoſna, que ſe diere por la ſepultura*, non autem, ut pretium atque ita intellige, quod tradit Gratianus, *deciſ.* 26. *numero* 14. & 15. ubi ex Belamera, *conſ.* 31. & Paul. Caſtr. *conſ.* 369. *alias*, 363. *lib.* 1. defendit eam conſuetudinem.

18 Neque obſtat quod legitur Geneſis *cap.* 23. quod Abraham emit ab Ephron ſpeluncam duplicem in ſepulturam: nam reſpondetur cum divo Thoma, quem refert Sotus ubi ſupra *verſ. tertium* verò argumentum, quod illa terra nondum erat in ſepulchrum dedicata, atque ita non fuit Symonia illam emere. Cadaver autem non poteſt ſepeliri, ſi non adſportetur, quare ergo pro via ad ſepulturam eſt recipienda pecunia contra regulam legis oratio, *ff. de Sponſalibus.*

Neque obſtat *l. ſi quis ſepulchrum in princ. ff. de religioſ. & ſumpt.* ubi in caſu quo quis ſepulchrum non habeat, inquit impetrandam eſſe à vicino, & ſtatim ponit hæc verba: *Præſes etiam compellere debet juſto pretio iter ei præſtari, ita tamen ut judex etiam de opportunitate loci proſpiciat, ne vicinus magnum patiatur detrimentum:* Nam reſpondetur ibi ſolum admitti ſolvendum damnum, quod vicino infertur ad aperiendam viam, quia forſan paries rumpenda erat, vel aliud damnum allatura via prædio: & ſic non ſolum non repugnat deciſio illa noſtræ ſententiæ, imo ſuffragatur, ei ſumendo argumentum à contrario ſenſu, quod eſt fortiſſimum, *in jure*, *l.* 1. *ff. de officio ejus cui mandata eſt*: nam ſi Jureconſultus jubet ſolvere damnum vicini prædii, per quod datur via ad ſepulchrum, ſequitur, quod ceſſante damno, nihil
eſt ſolvendum. Pro quo etiam facit, quod quis te-
19 netur permittere fieri illud, quod ſibi non nocet,
& alteri prodeſt, *l.* 2. §. *Neratius*, *ff. de aqua pluv. arc. l.* 1. *in princip. ff. ſoluto matrimonio*, ubi Barboſa, 2. *part. num.* 35. Sylvanus, *conſ.* 74. *lib.* 2. *num.* 18. & cum tranſlatio cadaveris per quælibet loca fiat, ſine aliquo præjudicio, non eſt cur aliquid ſolvi debeat, nec prætextu tributi non ſoluti impediri illatio corporis ad ſepulturam, quod
perinhumanum cenſeri debet, ob quod non per-
20 mittitur corporis funus impediri ob æs alienum, *l.* 15.
*tit.* 13. *partita* 1. tradit Covar. *cap. Raynaldus*, §. 3. *num.* 3. de teſtamentis, quod procedit etiam ſi defunctus in inſtrumento dediſſet facultatem expreſſe, quod ejus corpus inhumatum jaceret, donec ſolutum eſſet debitum, ex quo juri publico derogari non poteſt, ita tradit Thomas Grammaticus, *deciſ.* 82. *num.* 2. ubi invehit contra Angelum, qui contrarium tenuit ſtante inſtrumento, per quod debitor capi poſſet ad inſtantiam creditoris, idem tenet Covarr. *dict. cap. Raynaldus*, §. 3. *num.* 3. contra Angelum, & Didacum de Segura, Et ſic pactum pro detinendo corpore mortuo non valet, *l. fin.* *cum authent.* ibi poſita, *C. de ſepulchro violato*, tradit Queſada, *diverſarum quæſtionum cap.* 7. *numero* 2.

Et non ſolum corporis humatio non detinetur 21
ob æs alienum, imo neceſſaria impenſa pro ſepultura prius ſolvitur quam alia defuncti debita, *l. impenſa*, 45. *ff. de religioſ. & ſumpt fun. l.* 12. *tit. partita* 1. & dicitur impenſa funeris neceſſaria ad ſepeliendum corpus defuncti, *l. at ſi impediat verſ. funeris*, *& funeris ſumptus, ff. de religioſ. & ſumpt. funerum*, ubi de veſtibus quibus mortui induuntur ( vulgo mortajas ) talibus enim utimur ad oſten-
dendum, quod in indumento virtutum, & bono- 22
rum operum mortui ſunt repræſentandi Domino, ut dicit Archidiaconus, *in cap. nemo per ignorantiam, de conſecratione diſt.* 1. & tales impenſæ præcedunt debitum, tanquam neceſſariæ pro ſepe-
liendo cadavere, quod ei naturaliter debetur, & 23
ſic deducuntur in præjudicium creditorum, Covarru. *cap. Raynaldus*, §. 3. *num.* 2. *de teſtamentis*, Gregor. *lib.* 30. *tit.* 13. *part.* 5. *num.* 6. Joſephus Ludovicus, *deciſ.* 78. Anton. Gama, *deciſ.* 308. *ex numero* 1. & non ſolum talis impenſa præfertur creditoribus perſonalibus, ſed etiam hypothecariis, tacitas, & expreſſas hypothecas habentibus, ut tradit Greg. *verb. deudas, l.* 12. *tit.* 13. *p.* 1. Anton. Gom. *l.* 30. *Taur. num.* 2. ubi ejus additionator contra Rippam: & etiam uxori pro dote, tradit Bart. *l.* 1. *oppoſitione* 4. *ff. ſoluto matrimonio.* Anton. Gomez. *dict. l.* 30. *Taur. num.* 2. ubi ejus additionator refert Rolandum, Petrum Dueñas, Joan. Garcia, Rebuf. Angelum, Azevedum, & alios ita tenentes, quem ſequitur Matienço, *l. fin. tit.* 6. *gloſſ.* 3. *num.* 2. *lib.* 5. *Recop.* licet ibi, *num.* 3. ſentiat hodiè per illam, *l. imitatum*, & quod hodie non præferatur creditoribus funeris impenſa, ex quo illa, *l. non vult præjudicare filiis in legitima*, neque expendi in funus ultra quintum, quia ut ipſe argumentatur, ſi lex non patitur præjudicari filiis in legitima, in qua non ſunt verè creditores, ſed quaſi, quare ferendum eſt præjudicari veris creditoribus, ſed ſalva ejus pace lex illa eſt intelligenda in terminis habilibus, argumento, *l. qui teſtamento, ff. de teſtament.* & ſic quod loquatur eo caſu quo quintum ſit ſufficiens ad funeris impenſam, etiam
modicam, ſi tamen facultates defuncti ita tenues 24
ſint, quod quintum non ſufficiat huic modicæ impenſæ, licebit, ultra progredi, ita tenet Covarr. *cap. Rainaldus*, §. 3. *numero* 2. *de teſtamentis.* Hoc enim non fuit juſſu teſtatoris, ſed neceſſitate naturæ, quæ nos compellit talia facere. Atque ita quemadmodum non detinetur humatio cadaveris ob æs alienum, jure optimo impenſa ad ipſum funus neceſſaria erit præferenda æri alieno, ut argumentatur Covarr. *dict.* §. 3. *num.* 3. atque ita intelligit, *dict. l.* 30. *Taur.* additionator ad Anton. Gom ibi, *num.* 2. *ver. hodie vero*, & idem videtur ſentire Azevedus *l.* 13. *titul.* 6. *lib.* 5. *Recop. numero* 10. & 11. ubi invehit contra Matiençum.

Quod autem inquit Matiençus ubi ſupra, & Avendaños, *dict. l.* 50. *Taur. num.* 7. & 8. immutatum eſſe, intelligendum eſt de aliis latioribus impenſis, quæ erogantur in funus, ut in obſequiis amplis, & veſtibus de quibus latè omnes, *dict l.* 30. Ayora, *de partitio. ſecunda parte, quæſtione* 12. Alvarado, *de conjecturata mente defuncti lib.* 2. *cap.* 1. §. 2. & Joſephus Ludovicus *deciſione Peruſiana*, 78. Rebuff. *de ſententiis proviſionalibus*, *ex num.* 39.

Unum



25 Unum tamen adverte quod licet expenſæ factæ in medicinis ad curandum defunctum enumerentur inter funeralia, *l. in reſtituenda*, *C. de petitione hæreditatis*, Mantica, *lib.* 12. *de conjecturata mente*, *tit.* 10. *n.* 9. & tradunt omnes ſupra allegati, & relati ab additionatore Anton. Gomezii, *dict. n.* 2. non tamen deducitur dequinto, ſed ſine modicæ, ſive magnæ ſint, deducitur de quinto, ſed ſive modicæ ſive magnæ ſint, deducentur ex acervo eum privilegio prælationis, ut tradit Azeved. *l.* 13. *tit.* 6. *l.* 5. *Recop. n.* 4. poſt Ayoram. *de partitionibus*, 2. *part. cap.* 12. *num.* 25. & 26.

26 Sed redeundo à quo digreſſi fuimus, quod ſepultura non ſit impedienda, ſed præſtanda cadaveri, quia duriores nobis eſſemus quàm animalia, nam formicæ ſepeliunt mortuas, ut tradit Plinius, *lib.* 11. *c.* 30. & idem tradit de Delphinibus Elianus, *lib.* 12. *de anima*, *cap.* 6. quos refert Joannes Solorzanus, *lib.* 1. *de parricidii crimine*, *cap.* 22. ubi de honore ſepulturæ. Abſit ergo ab humanis mentibus aliquid admittere impeditivum funeris: imo cauſa funeris, & exequiarum cenſetur legitimum impedimentum, & præbet juſtam excuſationem. Mauritius de in integrum reſtitutione *cap.* 402. *num.* 2.

27 Sicque jure optimo decretum fuit, quod impediens mortuum ſepeliri etiam prætextu debiti 50. librarum auri pœna multaretur, quæ poſtea aucta fuit ad debiti amiſſionem, ſimul cum tertiæ bonorum partis confiſcatione, & infamia, in auth. ut defuncti, ſeu funera eorum non afficiantur à creditoribus *collatione* 5. ubi *text. appellat. injuriam*, hanc contra naturam.

28 Quod autem à ſacra pagina moneamur ſepelire mortuos, ſatis conſtat Geneſis, *c.* 23. 25. 47. 49. & 50. Deuteronom. *cap.* 21. & 2. *Regum cap.* 2. & 3. & *lib.* 4. *c.* 13. & *lib.* 2. Machab. *cap.* 12. & Eccleſiaſt. *cap.* 7. Tobiæ, 1. & 2. Actuum Apoſtolorum *cap.* 8.

29 Et etiam inſtruimur adſportare cadavera ad locum deſtinatum pro eorum ſepultura, nam habetur Geneſis, *cap.* 50. quod mortuo Jacob, Joſeph, & fratres ſui, portaverunt corpus ejus in Chanaan in ſepulturam Hœbreæ, & legitur *Reg. c.* 31. *Habitores labe Cala adambulaverunt tota nocte, & tulerunt cadaver Saul, & cadavera filiorum ejus de muro Bethſam: veneruntque Jabes Galaad, & combuſſerunt ea ibi igne, & tulerunt oſſa eorum & ſepelierunt in nemore Jabes, &c.* & 3. *Reg. c.* 13. *habetur: Invenit Prophetes cadaver viri Dei, projectum in via, & aſinum, & lenem ſtantem juxta cadaver, & intulit eum in civitatem, & poſuit in ſepulchro ſuo,*
30 *&c.* Eſt namque officium, quod Angeli non dedignantur facere, ut tradit Alphonſus à Sancoles, 3.
31 *Epiſtola defunctorum*, *conſideracione* 16. Et in hac civitate Toletana, jam deſcenderunt de cœlo Sanctus Auguſtinus, & Sanctus Stephanus ad ſepeliendum nobilem virum Gondiſalvum Ruyz de Toledo Dominum de Orgaz, de domo, & aſcendentia Illuſtriſſimi Comitis de Orgaz, quem ſepelierunt ſancti in Eccleſia parochiali Divi Thomæ Apoſtoli, ut refert, Alcocer in hiſtoria Toleti, *lib.* 2. *cap.* 21. & Villegas in vitis ſanctorum, 3. *p. fol.* 31. in additione & frater Hieronymus Roman. in Chronicis Ordinis Sancti Auguſtini *centuria* 10. qui probant, cum
hiſtoriis ſit credendum *l.* 1. ibi: *A quibuſdam ſcrip-*
32 *toribus traditum eſt, ff. de offic.* Conſulis, & quod hiſtoriis, & Chronicis ſit credendum tradunt Felinus, *cap.* 2. *de reſcriptis in fine*, Abbas, & Felinus, & *Perez de Lara de Anniverſ.* Decius, *cap. cum cauſam de probationibus*, Bart. & omnes, *l.* 1. *ff. ſi cert. petatur* Joannes Garcia, *de nobilitate gloſſ.* 18. *num.* 10. & Caputaquen. *deciſ.* 190. 2. *part.* Cerola *in praxi Epiſcop.* 1. *part. verb. arma*, *verſ. ſecundo*, & Rodericus Suarez, *allegatione* 8. *num.* 21. Tirberius Decius, *conſ.* 21. *num.* 29. *vol.* 1. ( quem vide) & Hieronymus de Monte Brixiano de finibus regundis *cap.* 62. *num.* 6. Bacaona in additioni. ad Palacium Rub. *in rubric. de donat. in introductione num.* 2. *litera A*, Faber. §. *item pretium*, *numer.* 5. inſtituta de emptione, & venditione, Aviles in capitulis Prætor. in procemio, *verb. y Reyna*, *numerò* 9. Maſcardus, *concluſ.* 287. Laſſarte, *de gabellis in præfatione num.* 23. & 25. dominus Molina de Madrano olim Regii Indiarum Senatus, & Cameræ, nunc ſupremi Caſtellæ in allegatione Viceregis extranei in Regno de Aragon. *num.* 168. ubi de hiſtoriis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus. Adduco etiam in comprobationem, quod reperiuntur ſcripta in lapide dicti templi Sancti Thomæ ſequentia.

Divis beneficis, & pietati. S.

Tametſi properas, ſiſte paululum viator, & antiquam urbis noſtræ hiſtoriam paucis accipe.

D. *Gonſalvus Ruyz à Toleto, Orgaci oppidi dominus, Caſtellæ major notarius, inter cætera ſuæ pietatis monumenta, Thomæ Apoſtoli, quam vides ædem ubi ſe teſtamento juſſit condi, olim anguſtam, & malè ſartam laxiori ſpatio pecunia ſua inſtaurandam curavit, additis multis, tum argenteis, tum aureis denariis, dum enm humare ſacerdotes parant, ecce res admiranda, & inſolita, Divus Stephanus, & Auguſtinus, cælo delapſi propriis manibus hic ſepelierunt, quæ cauſa hos divos impulerit, quoniam longum eſt, Auguſtinianos Sodales non longa eſt via, ſi vacat, roga. Obiit anno Chriſti. M. CCC. XII. Cæleſtium gratum animum audiſti, audi jam mortalium inconſtantiam. Eccleſiæ hujus Curioni, & miniſtris, tum etiam Parochiæ pauperibus arietes,* 11. gallinas, 16. *vini utres.* 11. *lignorum vecturas.* 11. *nummos, quos noſtri marapetinos vocant.* 800. *ab Orgaciis quotannis percipiendos, idem Gonſalvus teſtamento legavit, illi ob temporis diuturnitatem rem obſcuram fore ſperantes, cum duobus abhinc annis pium pendere tributum recuſarent, Pinciani Conventus ſententia convicti ſunt. Ann. Chriſti M. D. LXX.*

Et his ſcriptis in lapidibus antiquis adhibetur fi-
des, tradit Brixianus de finibus regundis, *cap.* 63. 33
*numero* 2. ubi loquitur in lapidibus Eccleſiæ, Baldus *conſ.* 319. *vol.* 5. Bart *conſ.* 135. Guido Papæ. *quæſt.* 341. *num.* 3. Cerola in praxi Epiſcop. 1. *part. verb. arma*, *verſ.* 2. Glorietur itaque nobiliſſima, & Chriſtianiſſima Civitas Toletana ( unde mihi

 materna

materna origo eſt dulciſſima patria , ſerie ſæculo-
rum antiquiſſima ( ut utar verbis Ulpiani , *l.* 1. *ff. de cenſibus* ) deſcenſione Deiparæ ſemperque Vir-
ginis Mariæ , ut Divum Illephonſum ſacris de cœ-
lo delapſis indueret veſtimentis in alma Eccleſia,
& horum ſanctorum ad templum Divi Thomæ,
35 pro ſepeliendo hoc nobili viro. Peculiariter tamen
glorietur nobiliſſima familia Comitum de Orgaz,
ſiquidem uterque deſcenſus ſanctiſſimæ Virginis,
& Divorum Stephani , & Auguſtini fuit ad hono-
randum viros egregios , & ſanctos ſuæ tam clariſ-
ſimæ , quam antiquiſſimæ domus , & familiæ , ex
qua plures viros inſignes poſſem recenſere , & re-
cenſerem , ſed conſulto omitto , quia omnibus li-
quet , cum clariſſimi , & notiſſimi ſint , & rei
ſatis demonſtratæ addere , fruſtra eſt , ut dicit text.
*in l.* 1. §. *fin. ff. de dote prælegata*. Sed non omittam
illuſtriſſimum hujus egregiæ familiæ virum domi-
num Stephanum Yllam , qui liberavit civitatem à
tributis quibus gravari ſperabatur , in quo ita ſa-
gaciter , & magnanimiter verſatus fuit , ut & ci-
vitatem liberaverit , & Regi non diſplicuerit , ob
quod grata civitas , & ſancta Eccleſia depictum po-
ſuerunt in tecto almæ Eccleſiæ circa illam partem,
qua conditur Sacramentum corporis domini noſtri
Jeſu Chriſti à tergo chori , & ante capellam ſancti
Illephonſi ſuæ cognationis , & familiæ.

36 Et ultra ſanctorum exempla natura etiam nos
admonet , ut quem vivum fame , ac ſiti enectum
recreare , nudum operire , captivum liberare , ſeu
redimere conabamur , aut hoſpitio indigentem re-
cipere , aut ægrotantem viſere ſolebamus , nunc
ſenſibus omnibus deſtitutum , miſericordia proſe-
quamur , ſepulchroque communi omnium domi-
cilio depoſitario , ita ut convenit , inferamus , hæc
namque eſt gratia quam Salomon dicebat mortuo
non eſſe prohibendam , Eccleſiaſti. *cap.* 7. *ad fin. & text. in cap. non æſtimemus*, 13 *quæſtione* 2. ibi : *Un-
de oportet , ut quam quiſque poteſt , pro carne proxi-
mi curam gerat , cum ille receſſit qui gerebat.*

Facit etiam quod nulla lege invenitur prohibi-
tum adſportari cadavera de uno loco ad alium pro
ſepultura , imo liberè poſſunt transferri , *l.* 3. *ff. divus tamen* , Marcus , *ff. de ſepulch. viola.* ( ex-
ceptis corporibus eorum qui erant exulati , ta-
les enim ex quo vivi morari non poterant ,
non poſſunt eorum corpora humari , textus,
37 *in l.* 2. *ff. de cadaver. punitorum* , ubi Bart. *num.* 1.
Decius , *l. Neratius* , *ff. de regul. juris* , Gigas. *ti. de pœnis committent. crimen læſæ Majeſtatis*, 2. *part. ſui operis* , *quæſtione* 34. quos refert , & ſequitur
38 Peregrinus de privilegiis fiſci , *lib.* 4. *titul.* 5. *num.*
5. Tiberius Decianus , *lib.* 6. *criminalium quæſtione*
44. *num.* 16. eandem ſententiam tenet plures re-
ferens Covarr. *lib.* 2. *variarum cap.* 1. *num.* 11.
ubi quod non ſolum cadavera , ſed nec oſſa , nec
cineres quidquid tenuerint Ananias , *cap.* 2. *de furtis* , & Hypolitus , *l. final. num.* 58. *ff. de quæ-
ſtionibus* ) imo olim funera fiebant ſumptibus Ec-
cleſiæ non defunctorum , ut tradit Cujacius de di-
verſis , & *tempor præſcriptio. & terminis* , *cap.* 18.
refert , & ſequitur Anaſtaſius Germonius de ſacro-
rum immunit. *lib.* 2. *cap.* 28. *num.* 25. in primiti-
va Eccleſia teſte Tertulliano in Apologia , *cap.* 19.
Chriſtiani contribuebant , & fiebant collectæ pro
humandis corporibus.

39 Et Divus Ambroſius, *lib.* 2. *officio. cap.* 23. dicit,
quod tunc vaſa ſacra , & calices conflari , & di-
ſtrahi licebat in ſepulturam defunctorum , & pro
animabus purgatorii, & augere debet hunc affectum, 40
quod nihil eſt commune omnibus , ac mori. Gen-
tilitas etiam , ut ſuos ſepeliret , eleemoſynas aggre-
gare curabat , ut refert Plinius , *lib.* 33. *cap.* 10.
& Plutarchus in vita Scipionis Africani , inquit, 41
quod tam pauper mortuus eſt , ut neceſſum fuerit
eleemoſynas petere ad celebrandas exequias. Et qui 42
exercet hujuſmodi pietatis officium in nullo lædi
debet , & ei ſolvitur impenſa funeris , ſi eo animo
fecit , *l. at ſi quis impediat* , *ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* Nec ſi filius faciat præjudicatur in eo , quod 43
cenſeatur ſe immiſcere hæreditati , vel eam adire,
*d. l. at ſi quis* , § *plerique* , *l. pro hærede poſt prin-
cipium* , *ubi gloſſ.* & Bart. *ff. de acquir. hæredit.*
Corneus , *conſ.* 310. *circa fin. verſic. multo autem clarius* , *vol.* 3. ſequitur Mantica , *lib.* 12. *de con-
jecturata mente tit.* 10. *numero* 9.

Et pro complemento dico , quod cum nulla le- 44
ge inveniatur diſpoſitum , quod talia tributa ſolvan-
tur , ut teſtatur Navarr. *conſilio final. num.* 1. non
debent tolerari , *argum. text. in auth. de non eligen-
do ſecundo nubentes* , §. *optimum* , ibi : *Nec quælibet
eſt lex tale aliquid dicens* , *l. ſi ſervum* , 70. §.
*non dixit Prætor. ff. de acquir. hæred. l. ſi vero* , §.
*de viro* , *ff. ſoluto matrimonio* , ibi : *Nihil in lege
ſcriptum eſt* , & quid lex non dicit , non eſt novis
inventionibus inducendum, juxta tradita per Burſa-
tum , *conſilio* 163. *num.* 8. *& conſ.* 183. *numero* 15.
*& conſ.* 219. *num.* 21. Maximè quia licet portare 45
cadaver pro ſepultura de loco ad locum ſine alicujus
licentia,cum non ſit prohibitum,tradit Cerola in pra-
xi Epiſcopali, 1. *p. verſ. corpora ſanctor. n.* 4. & Plinius,
*lib.* 10. Epiſtolarum in Epiſtola ad Trajanum , quæ
intitulatur de Reliquiis ſepultorum transferendis ,
cum referret Trajano , uſitatum eſſe ea in Provin-
cia adire Collegium Proconſulum , ut permitte-
rent transferre reliquias defunctorum. Reſponſum
accepit à Trajano , Durum eſſe neceſſitatem impo-
nere adeundorum Pontificum pro tranſferendis re-
liquiis. Et quia de tranſferendis cadaveribus agimus, 46
congruit ſcire etymologiam nominis. Cadaver dici-
tur enim non quia caro vermibus ſit data , prout
aliquibus placet, ſed à cadendo , quia jam ſtare non
poteſt , ut tradit Joannes Fungerus in etymologico,
verbo cadaver , & Lucanus qui ad finem *lib.* 6. po-
nit hæc verba : *Carminibus magicis opus eſt herbiſ-
que cadaver ut cadat.*

Poteſt itaque quis ſuo arbitrio eligere ſepultu- 47
ram , nam cum ſit actus ultimæ voluntatis , ut tra-
dit Aymon , *conſ.* 10. *num.* 1. electio libera debet
cuique remanere *l.* 1. *C. de ſacroſanct. Eccleſiis.*
Et ſic pacto non poteſt adſtringi ad eligendum vel 48
non mutandam electam ſepulturam *cap.* 1. *de ſepul-
turis lib.* 6. ubi ſi fuerit electio facta ad inſtantiam
clericorum , ſeu religioſorum etiam jurata annulla- 49
tur , liberè tamen facta cum juramento tenet , ni-
ſi nova cauſa ſuperveniat , ut reſolvit Joannes Gu- 50
tierrez de juramento confirmatorio , 2. *p. cap.* 4.
*numero* 13.

Et ſic libera conceditur facultas ordinibus ſepe- 51
liendi in ſuis Eccleſiis cadavera eorum qui ibidem
elegerint ſepulturam, Clementina, Dudum verſicu-
lo hujuſmodi de ſepulturis , modo tamen , quarta
pars Eccleſiæ parochiali tribuatur de omnibus ob-
ventionibus tam funeralibus , quam quibuſcumque
& quomodocumque relictis ipſis Monaſteriis per
ſepeliendum , & in infirmitate , & mortis articulo
donatis ad quoſcumque certos , & determinatos
uſus.





52 Et hoc ea ratione , quòd operarii debita ſibi
mercede non fraudentur , qua digni ſunt , Lucæ
10. ut fieret ſi præsbyteris parochialibus , quibus
ex officio injunctum eſt prædicare , confeſſiones
audire , & ſacramenta miniſtrare , nihil tribuere-
tur , contra id quod dicit Apoſtolus 1. ad Theſſa-
lonicenſes , *cap.* 5. & ad Corinthios , 2. *cap.* 1. ibi :
*Scientes , quod ſicut paſſionum eſtis , ſic eritis , & conſolationis.*

53 Sed an ex relicto pro anniverſario Eccleſiæ , qua
teſtatur , ſeu alter relinquens , ſepulturam elege-
rit , ſit parochiali quarta hujuſmodi præſtanda, &
ne immoremur primitus ſcias , diſpoſitionem dictæ
Clementinæ , Dudum , quartam parochiæ tribuen-
tem , ſolum habere locum in relictis in mortis ar-
ticulo , vel durante infirmitate ex qua relinquens
deceſſerit : quod autem ab eo incolumi , & ſano
relictum fuerit non defalcatur hujuſmodi quarta,
niſi id , quod in morte erat dandum fraude à reli-
gioſis , & aliis quorum Eccleſiis ſepulturam ele-
gerint , fuerit procuratum ſibi dari , vel donari
in ſanitate , ut innuit ſeries dictæ Clementinæ : ſa-
nus namque & nulla ægritudine correptus , non
ſolum Eccleſiæ , ſed & cuilibet privato bona ſua
poteſt ad libitum conferre , *cap. donare* , 88. *di-
ſtinctione.*

54 Sed an caſus excepti quibus quarta hæc non de-
betur inter quos eſt anniverſarium relati , *cap. fin. de teſtamentis* ( in quo ponuntur hæc verba : *De
his quæ in ornamentis , vel pro eis , ſeu fabrica , lu-
minaribus anniverſario ſeptimo vigeſimo , trigeſimo
die , ſive aliis ad perpetuum cultum divinum legan-
tur Eccleſiis , vel reliquis piis locis Canonica portio* )
*dummodo in fraudem non fiat, ut ea Epiſcopus ſeu pa-
rochialis Eccleſia debeat defraudari( deduci non debet)*
alteri , ſequitur Capitius , *dicta deciſione* 23. *n.* 2.
ſint excepti etiam poſt deciſionem Clementinæ, Du-
dum , & quod ſint excepti , ſentit Daniel Benato-
rius *in Analypſi Juriſpontificii lib.* 3. *tit.* 28. *verſ.
ut quis adverſa valetudine* : ſed contrarium, & quod
per dictam Clementinam derogetur deciſioni , *cap. final.* de teſtamentis tenet Covarruvias , ibi , *num.*
6. *verſ.* 3. *quarta funeralis* , Cerola , *in praxi* , 1.
*p. verb. legatam ad* 3. *verſ. tertia concluſ.* de quo
inferius dicemus.

Sed quia deciſio dicti *cap. fin.* videtur idem ſen-
tire reſpectu portionis Epiſcopalis , quod etiam diſ-
ponitur ab Honorio Papa in cap. ex parte de verbo-
rum ſignificatione, ubi ferè per eundem ſermonem,
55 & formalia verba aſſerit , non deducendam Epiſco-
palem portionem de anniverſariis , congruit diſtin-
guere has portiones , ut ſciatur , quæ propria ,
& genuina ſit cujuſque natura , quia ab auctoribus
ſæpe confunduntur , & jura ad Epiſcopalem portio-
nem pertinenria parochiali accommodant , & è
contra.

Eſt itaque Epiſcopalis quarta , quæ debetur Epiſ-
copis de omnibus legatis relictis Eccleſiis exiſtenti-
bus in ſua diœceſi , propter onus Epiſcopale , quod
ei incumbit , & ibi gloſſ. verb. mortuariorum , *in
capite conquerente de officio ordinarii* , *& cap. officii,
& in cap. requiſiſti de teſtamentis* , ubi Doctores ,
& Hoſtienſis , *titul. de ſepulturis* , §. *de quibus* ,
& Sylveſter , *in ſumma verb. Canonica portio* , §.
4. Cerola in praxi , *verb. legatum ad tertium.*

Quarta autem parochialis non debetur , niſi ſo-
lum de his , quæ obveniunt ratione funeris , &
de legatis factis Eccleſiæ , qua defunctus elegerit
ſepulturam ex dicta Clement. Dudum de ſepulturis,
& tradit Cerola , ubi *ſupra verſ. undecima con-
cluſ.*

Differt autem hæc quarta parochialis ab Epiſco-
pali in multis; nam portionem Epiſcopalem, nequit E-
piſcopus petere ab hærede, ſed ab Eccleſia legataria,
quæ cum Epiſcopo communicat legatum, *cap. requiſi-
ſti de teſtamentis* , Covarr. *cap. officii n.* 1. *eo tit.* at
parochus percipit quartam parochialem directè ab
hærede , gloſſa verbo largiri in Clement. Dudum
de ſepult. quam ſequitur ibi Cardinalis , Anchar-
ranus , & Imola , & eam differentiam ſequitur Abb.
*cap. de his* , *num.* 9. *verſ.* ego admitterem hoc di-
ctum de ſepulturis , Capitius *deciſione* 23. *num.* 3.

Deinde Epiſcopalis quarta non detrahitur de his,
quæ ad perpetuum cultum relinquuntur Valaſcus
*conſult.* 105. *num.* 12. *ut in dict. cap. fin. de teſtament.* 56
cujus deciſioni quoad hanc portionem Epiſcopalem
non eſt derogatum per dict. Clementinam Dudum,
quæ ſolum diſponit de parochiali , & ſic Abb. *d. cap. fin. de teſtament.* exemplificat in eo , quod le-
gatum fuit , ut die quolibet celebraretur in certo
altari , ſequitur Capitius , *dicta deciſione* 23. *num.* 2.
ubi invehit contra Angelum , qui in ſumma, *verb. Canonica portio* , §. 1. *verſicul. tertius* , caſus æqui-
parat in hoc quartam Epiſcopalem , & Parochia-
lem.

Sed quamvis in puncto juris ſcripti , Angeli 57
opinio ſuſtineri nequeat , ſtante deciſione dictæ
Clementinæ , Dudum, tamen de conſuetudine re-
cepta ſervatur , per quam ſolum ſolvitur Eccleſiæ
parochiali , quarta pars de his tantum , quæ offe-
runtur eo tempore quo funus , aut exequiæ defun-
cti celebrantur , ut tradit Cardinalis dict. Clement.
Dudum , §. *verum* , quod dicit maximè notandum
Covarr. *dict. capit. fin. numero* 6. *de teſtament.* &
ſic hodiè ex generali conſuetudine ſervatur , quod
de relictis pro anniverſario celebrando quarta pa-
rochialis non ſolvatur , & in hunc ſenſum acci-
piendum eſt , quod tradit Daniel Benatorius in
Analyſi Juriſpontificii *lib.* 3. *tit.* 28. *verſ.* ut quis
adverſa valetudine , ubi quod non ſolvitur quarta
de anniverſariis.

*Finis Libri primi.*

# ILLUSTRISSIMO
## DOMINO DOMINO
# RODERICO
# DE CASTRO,
# ET BOVADILLA,

E' CONSILIO CATHOLICÆ MAJESTATIS, ac Sanctæ Generalis, & Supremæ Inquiſitionis, Archidiacono de Alcaraz, Dignitati, & Canonico almæ Eccleſiæ Toletanæ, Excellentiſſimi Comitis de Lemos filio, Licenciatus Illephonſus Perez de Lara Regius Conſiliarius. S.

*POSTQUAM ſub nomine Excellentiſſimi Comitis de Lemos nepotis tui ex fratre majore, anniverſariorum ſimulque majoratuum materiam prodiderim, præclariſſime Domine, tractaturus, Capellaniarum, non tamen effugiens à me ſemper venerandum nomen de Caſtro, tu qui ejus nominis, & Excellentiſſimæ familiæ ſacerdotali Ordine es inſignitus, & qui (ut adeſt magna, & certa ſpes) ad partem non mediocrem ſolicitudinis & ponderis univerſalis Eccleſiæ es quia profuturus, aſſumendus, obviam occurris ut ſis noſtri operis auxiliator, & defenſor continũans, & Excellentiſſimi Comitis favorem, & quo à te ſum ſemper affectus, nec non ab Illuſtriſſimo Domino D. Didaco Fernandez de Cabrera & Bovadilla Comite de Chinchon à conſiliis, ſtatus & belli, ac præclariſſima ejus ſorore Domina D. Mencia de la Zerda Marchioniſſa del Valle avunculis tuis, ac dominis meis colendiſſimis, quorum ſi in me, & agnotos beneficia collata recenſerem deficeret me tempus enarrantem, ſed ita omnibus patent, ut ſi hoc opere (parvo quidem illo) grati animi teſtimonium non exhiberem, me ipſum omnes inofficioſæ voluntatis nota graviter increparent, multos jam annos te colo nobiliſſime vir, & quidem merito, nam ultra ſingularem benevolentïam, qua me amplecteris, literatos quorum veſtigia me legere profiteor grato animo, halarique vultu complecteris: has ergo ſtudiorum meorum vigilias benignè ſuſcipe, & ſub tua protectione tuere, ut detractores terreantur. Vale.*

DE



# DE ANNIVERSARIIS ET CAPELLANIIS,
## *LIBER SECUNDUS.*

IN QUO BREVITER DISSERITUR DE UNIVERSA Capellaniarum materia, ad praxim reducta, judicibus, & advocatis utiliſſima.

## CAPUT I.

Traditur etymologia, & diffinitio Capellaniæ, & diſcutitur, an Capellaniæ anniverſarium poſſit relinqui ſub conditione, ne Epiſcopus ſe intromittat, & quando toleretur, quandoque vitietur talis conditio.

1 *Ponitur etymologia, & diffinitio nominis Capellaniæ.*
2 *Expenditur* text. in cap. noverint 10. quæſt. 1. *qui partem negativam juvat, ſed auctor diſtinguit,* num. 3.
3 *Quando bona temporalia à laico relinquuntur, etiam laico, cum onere miſſarum remanent in ſua temporalitate, & in poteſtate, & regimine laici,* & nu. 5. 6. & 7. 10. & 12. & num. 34. & 40. & 41.
4 *Poterit tamen Epiſcopus inquirere, an adimpleatur anniverſarium.*
5 *Si bona pro anniverſario relinquantur confraternitati laicorum poſſidentur ut temporalia.*
6 *Idem ſi relinquantur hoſpitali laicorum, fundato ſine authoritate Epiſcopi, quia non eſt locus religioſus, nec gaudet privilegiis piæ domus, & ejus bona alienantur ſine ſolemnibus.*
7 *Confratres laici ſeu ſocii qui opera pietatis exercent in hoſpitali ab eis fundato ſine authoritate Epiſcopi, non ſunt de juriſdictione Epiſcopi.*
8 *Licet bona relicta pro anniverſario prædictis confratribus non ſint in gubernio Epiſcopi, poterit tamen Epiſcopus videre, an adimpleatur relictum.*
9 *Epiſcopus non poteſt viſitare dicta hoſpitalia laicorum, nec eos compellere ad reddendum rationem bonorum.*
10 *Relinquens bona pro anniverſario adimplendo per clericum nominandum à patrono relicto poteſt diſponere, quod Epiſcopus ſe non intromittat ad conferendum, & quod non ſolvatur ſubſidium.*
11 *Quilibet poteſt, in traditione rei ſuæ apponere onus, & conditiones quas voluerit.*
12 *Si bona relinquantur Eccleſiæ certis conditionibus, eo addito, quod ſi non ſerventur, laicus apprehendat bona, valet relictum.*
13 *Poteſt quis ad libitum relinquere anniverſarium, & memoriam miſſarum, ſine aliqua Epiſcopi licentia.*
14 *Iniquum eſſet tollere libertatem ingenuis hominibus diſponendi de rebus ſuis, & poteſt agi injuriarum contra turbantem in uſu rei ſua etiam quod abutatur.*
15 *Quando bona relinquuntur Eccleſiæ, ſeu clericis cum onere anniverſarii, fruſtratur conditio ne Epiſcopus ſe intromittat.*
16 *Si relinquatur anniverſarium Capellania, cum ſit beneficium Eccleſiaſticum, non poteſt teſtator apponere conditionem, quod Epiſcopus non conferat.*
17 *Si Capellaniæ relictæ adjiciatur conditio, ne Epiſcopus ſe intromittat annullando Capellaniam, ſi contrarium fiat pœna vitiabitur, & Capellauia firma remanebit.*
18 *Quod jure non tenet, vinculo pœna, nequit alligari.*
19 *Poſtquam bona deſtinata pro Capellania ſunt facta patrimonium Eccleſiæ, debent eſſe in poteſtate Epiſcopi, & conditio contraria rejicitur ſecundum communem ſententiam.*
10 *Menchaca, & Humada nituntur defendere ſuſtineri conditionem illam, quod Epiſcopus ſe non intromittat quando teſtator transfert bona in aliud opus pium, Epiſcopo ſe intromittente.*
21 *Qualiter intelligatur regula, quæ habet licitum eſſe relinquenti, vel donanti, apponere conditiones quas voluerit.*
22 *Quid ſi fundans anniverſarium, nominet Capellaniam, & adjiciat verba ex quibus colligatur, ejus mentem fuiſſe facere anniverſarium non Capellaniam.*
23 *Quando conſtat de voluntate teſtatoris, receditur à proprietate vocabuli.*
24 *Expenditur,* l. cum delanionis, §. aſinam, ff. de fund. inſtruct.
25 *Actus agentium non debent operari ultra eorum intentionem.*
26 *Verba non debent ſumi captioſe in damnum proferentis.*
27 *Teſtator nihil facit in ſui præjudicium.*

28 *Verba teſtatoris ſunt ſubtiliter conſideranda.*
29 *Propter nimiam ſubtilitatem ſæpe erramus.*
30 *Verba teſtatoris ſunt conſideranda juxta opinionem fruentium intellectu.*
31 *Fundans anniverſarium miſſarum, non videtur facere beneficium, licet nominet Capellaniam.*
32 *Imperiti ſæpe confundunt nomina, & terminos.*
33 *Refertur reſponſio ſacræ congregationis Cardinalium ſuper hoc, an debeat judicari Capellania, ſeu anniverſarium.*
34 *Capellania ſæcularis, & profana dicitur, quæ non eſt ſpiritualizata, nec ejus bona erecta in ſpiritualibus, & quæ talis ſit.*
35 *Non dicitur Capellanus qui non habet titulum, ſed ſtipendiarius.*
36 *Anniverſaria non computantur in valore beneficii.*
37 *Anniverſaria non veniunt in locatione beneficiorum.*
38 *Anniverſaria non comprehenduntur in generali obligatione.*
39 *His anniverſariis, & ſimilibus dotationibus non conveniunt requiſita beneficii Eccleſiaſtici.*
40 *Capellania fundata à teſtatore non ſpiritualizata, tantum dicitur legatum pium, computaturque inter bona temporalia.*
41 *Et ſic talia bona collectantur ſicut bona temporalia aliorum civium deducto onere.*
42 *Clericus poteſt deſervire pluribus miſſarum memoriis ſub eodem tecto.*
43 *Verba ſunt intelligenda in eo ſenſu in quo magis principaliter verborum conceptio operatur, & ad quem intentio principaliter dirigitur.*
44 *Quando in uno contractu interveniunt duo proportionabilia diverſis contractibus, actus judicatur à principali intentione contrahentium.*
45 *Illud dicitur principaliter intendi, ad quod finis intentionis dirigitur.*
46 *Si non conſtiterit manifeſtè, quod teſtator voluit facere anniverſarium, & Capellaniam, ſtandum eſt propriè verborum ſignificationi.*
47 *Talis præſumitur mens teſtatoris qualis verba demonſtrant.*
48 *De licentia Romani Pontificis poteſt fundans Capellaniam apponere conditionem, quod Epiſcopus non ſe intromittat, idem de licentia Epiſcopi.*
49 *Capellæ fundatæ à Regibus Hiſpaniæ ſunt ſub eorum immediata protectione, & non viſitantur ab Ordinariis, aliquæ tamen ab eis conferuntur.*
50 *Si memoriam miſſarum Epiſcopus, ter, quaterque, vel etiam bis, ut Capellaniam conferat ſpatio longi temporis, erit in poſterum collativa.*
51 *Memoria miſſarum, quæ ſua origine, & inſtitutione non eſt Capellania, progreſſu temporis fit Capellania collativa.*
52 *Conditiones appoſitæ in fundatione Capellaniæ poſſunt præſcriptione tolli.*
53 *Longum tempus requiritur in præſcriptione, ubi conſtat, teſtatorem ſeu alium fundatorem noluiſſe eſſe Capellaniam collativam, quia ultimus ſtatus beneficii non attenditur, ſi non ſit præſcriptus, quando conſtat de proprietate.*
54 *Si dubitatur, an fundator voluerit vel ne, quod Capellania eſſet collativa, ſufficiunt duo, vel tres actus collationis etiam minori tempore decem annorum, ut habeatur pro beneficio collativo.*
55 *Ex unica collatione acquiritur quaſi poſſeſſio conferendi Capellaniam.*
56 *Quod procedit, modo collatio ſortita eſſet effectum.*
57 *Quaſi poſſeſſio conferendi, ut acquiratur ab aliquo, plura requiruntur.*
58 *Si Epiſcopus ſit in quaſi poſſeſſione conferendi, præſumitur Capellaniam eſſe collativam.*
59 *Capellania in dubio præſumitur fundata cum Epiſcopi approbatione.*
60 *Capella ſeu Capellania, licet habeat aliquod ſignum, per quod videatur fundata cum Epiſcopi conſenſu, ſi conſtiterit de contrario, erit profana.*

CApellania ita nuncupata à Capella, & an- 1
no, ex quo in Capella annuatim celebratur per Capellanum, ſic vocatus ſacerdos, qui aliàs à ſacello in quo ſacra fiebant, & ab eo dabantur, dicebatur, differt autem Capella à ſacello in eo, quod ſacellum erat olim locus diis ſacratus ſine recto ad ſacrificandum (quo hodie non licet celebrare, niſi in caſu neceſſitatis, & itinere, *c. concedimus*, *juncta gloſſ. verb. ſubdio de conſecratione*, *diſtinctione* 1. licet promiſcuè utamur his vocabulis.) Capella autem eſt locus coopertus ad divina celebrandum, & dicitur (non à capiendo, eo quod populum capiat, ut placuit Fungero in etymologico Latino, verb. Capella, & aliis) ſed à capa, quæ tegumentum ſignificat veluti tentorium, ut tradit Cæſar Baronius in martyrologio Romano die undecima Junii, ubi quod poteſt dici à Capa ſancti Martini quo nomine Hiſpani utimur pro pallio, quod ſecundum Fungerum in dicto etymologico, verb. pallium dicitur à pellibus, quia prius ſuper indumenta pellicea veteres induebantur, & habetur Geneſ. *cap.* 3. *Fecit quoque Dominus Deus Adæ, & uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos*, & ſic hodie ea ſuperindumenta, & exteriora veſtimenta quibus clerici, & Capellani utuntur in officiis Eccleſiaſticis vocantur ſuperpellicea noſtro ſermone (ſobrepellices) & illud præcioſum ornamentum ſericum auro intextum, quo clerici utuntur in proceſſionibus, & feſtis ſolemnibus dicitur Capa, Durandus in rationale divinorum officiorum *lib.* 3. *cap.* 1. *numero* 13. ſumpta denominatione à tegumento, quod pellibus caprarum fiebat, & etiam vernaculo ſermone vocatur, Capa & ferè omne tegumentum ad eundem modum appellamus, ut capote, caperuça, capuz, capilla, & hinc Capellæ appellantur oratoria, quæ fiunt ad celebrandum de licentia ſuperioris *dict. cap. concedimus de conſecratione*, *diſtinctione* 1. ubi *gloſſ. verb. celebrari*, & Cardinalis Turrecremata, ibi *num.* 4. inquiunt, dici Capellas, quia antiquitus pellibus caprarum cooperiebantur earum tecta, & quia frequentiùs anniverſarium miſſarum relinquitur celebrandum in aliqua Capella, dicitur Capellania, & Capellanus eam celebrans in Capella, quæ aliàs cubiculum appellatur, juxta illud Matthæi, *cap.* 6. intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora, & ſic cubicularii Romani Pontificis dicuntur Capellani, ſecundùm Cæſarem Baronium, ubi ſupra,

Eſt itaque Capellania onus celebrandi miſſam in Capella,



ſeu altari, ut dicit Cerola in praxi, 1. *p. verb. beneficia ad primum*, *verſ.* 3. Capellaniæ, cui diffinitioni debes addere annuatim, ut totaliter conveniat diffinito, & ſit bona, ſi quidem tunc dicit Capellania miſſarum celebratio, quando fit anniverſariè, verſo anno, iterum atque iterum modo quo prius, erit itaque diffinitio hæc, Capellania eſt onus celebrandi annuatim miſſam in Ca-
2 pella, ſeu altari. Hæc autem Capellania, & bona, quæ pro ejus dote fuerint relicta, ſunt in gubernio Epiſcopi, *cap. noverint*, 10. *quæſt.* 1. *Noverint* (inquit text.) *conditores baſilicarum in rebus quas eiſdem Eccleſiis conferunt, nullam poteſtatem habere, ſed juxta Canonum inſtituta ſicut Eccleſiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Epiſcopi pertinere.*

3 Sed quia multipliciter conſtituitur anniverſarium, diſtingue, nam aut bona temporalia à laico relinquuntur etiam laico cum onere miſſarum, vel eleemoſynarum, ſeu alterius pii operis, & tunc cum bona remaneant in ſua temporalitate, ut diximus ſupra, *lib.* 1. *cap.* 5. *numero* 61. non ſunt in gubernio Epicopi, & ſive teſtator juſſerit, quod ſe non intromittat, vel nihil de eo loquatur, talia bona affecta anniverſario, poſſidentur à laico, & ſub ejus regimine, ut ſua reputantur inter cætera bona, neque ex eo, quod ſint hypothecata pro oneribus piis adimplendis cenſetur eſſe in dominio operarum piarum, Gama *deciſ.* 288 *numero* 4. *in principio*, de quo infra, *num.* 5. 6. & 7. 10. 12. 34. 40. &
4 41. Poterit tamen Epiſcopus ſe intromittere, non obſtante clauſula ad agnoſcendum, an adimpleatur anniverſarium ſecundum defuncti voluntatem cum ſit piarum cauſarum executor, *c. nos quidem de teſtament.* & *Concil. Trident. ſeſſione* 22. *de reformatione*, *cap.* 8. traditur in ſpecie Rochus de Curte de jure Patronatus verbo pro eo quod, *num.* 28. præcipuè, ſi malè executores impleverint, Valaſcus *conſultatione* 105. *num.* 55. & 61.

5 Aut relinquuntur bona cum onere anniverſarii confraternitati laicorum, aut hoſpitali fundato à laico, ſine Epiſcopi authoritate, qui non eſt locus religioſus, ut dicit Joannes Faber. §. *nullius*, *num.* 1. *in fine inſtituta de rerum diviſione*, Valaſcus, *conſultatione* 105. *num.* 7. ubi plures refert, & Meneſius, *leg. ſi aquam*, *num.* 46. *C. de ſervitut. & aqua*, nec gaudet privilegii piæ domus, Baldus *auth. hoc jus porrectum*, *C. de Sacroſanctis Eccleſ.* Valaſcus ubi ſupra, *num.* 44. & poteſt deſtitui gloſ. verb. altare, Clementina, quia contingit de religioſis domibus, & reduci ad uſus profanos, Abb. *conſil.* 31. *num.* 2. 1. *part.* Valaſcus, *dict. conſultatione* 105. *num.* 8. & 26. & ibi, *num.* 34. quod alienantur ejus bona ſolemnitatibus, Pariſius *conſil.* 34. *n.* 19. *vol.* 4. Alexand. *conſil.* 4. *volum.* 3.
6 Et tunc erit idem, quod in præcedenti cum talià bona ab eis confratribus poſſideantur, ut temporalia, ex quo hujuſmodi confratres, ſeu ſocii
7 (qui ſolum conveniunt ut opera pietatis exerceant in hoſpitali taliter ab eis fundato) non ſunt de juriſdictione Epiſcopi, ſed de juriſdictione judicis ſæcularis, Abb. ubi ſupra, tradit Valaſcus *dicta conſultatione* 105. *num.* 32. maxime, quia nullo jure probatur, quod ſint de Epiſcopi juriſdictione, ut dicit Abb. *dict. conſ.* 31. *num.* 1. ibi: *Nec per iſtam fraternitatem deſinunt iſti eſſe de juriſdictione judicis ſæcularis, cum hoc nullo jure probetur, ſed potius notatur oppoſitum in Clement.* 1. *de religioſis domibus*, & Parladorius, 3. *part. differentia* 9. §. 1. *num.* 9. Verallus Caputaq. *deciſ.* 328. 1. *p.* Cabedus *deciſ.* 51. Cerola in practica Epiſcopali, 1. *part. verb.*
*confraternitas*, *verſ.* 4. Poterit tamen Epiſcopus in- 8
quirere, an adimpleatur anniverſarium relictum, ut tradit Rochus, ubi ſupra, non tamen poterit eos compellere ad reddendam rationem bonorum, nec viſitare, tradit Valaſcus, *dict. conſultatione* 105. 9
*num.* 49, & 51.

Aut non relinquuntur anniverſarii bona hoſpi- 10
tali, nec alteri, ſed jubet teſtator, quod ex fructibus bonorum relictorum celebrentur annuatim miſſæ pro ejus anima per clericum nominandum à certo patrono à ſe relicto, & tunc bene poteſt addere conditionem, quod Epiſcopus ſe non intromittat ad conferendum clerico nominato per patronum, & quod hoc ſervitium non ſit Capellania collativa,
ſed memoria, & anniverſarium miſſarum: Ita 11
quod non ſolvatur ſubſidium, ut non ſolvitur ex his memoriis quarum bona non ſunt ſpiritualizata, ut infra *cap* 6. *num.* 15. Nam quilibet poteſt in traditione rei ſuæ onus, & conditionem apponere, quam voluerit, *l. in traditionibus*, *ff. de pactis*, *l.* 1. §. *ſi convenerit ff. depoſiti*, *l. ſervus ea lege*, *ff. de ſerv. ex porta*, *l. ob res ff. de pactis dotalibus*, *l.* 1. *ff. de ſolutio.* Anch. *conſil* 197. *num.* 6. ubi quod procedit etiam in traditione Eccleſiæ facta, & quod conditione Eccleſiæ facta, & quod con- 12
ditio ſic appoſita eſt ſervanda, *cap. Eleutherius*, 18. *quæſt.* 2. *cap. verum de conditio. appoſitis*, Anchar. *conſil.* 217. *num.* 3. ubi quod ſi apponatur conditio, & adjiciatur, quod ſi Eccleſia non ſervaverit, laicus apprehendat bona, propria authoritate, poteſt ea apprehendere, quod notat Joannes Andreas poſt Hoſtienſ. *cap. verum de foro competenti*, ea enim bona ſunt profana Joannes Faber. §. *ſi quis autem*, *num.* 2. inſtituta de rerum diviſione, & ſic judices ſæculares de his cognoſcunt non Eccleſiaſtici, ut tradit Cabedus de patronatibus Regiæ Coronæ, *cap.* 38. *num.* 6. ubi inquit, ſic pluries pronuntiatum Senatu Luſitano, & ponit decreta ad literam quæ loquuntur in bonis Capellarum, & Capellaniarum profanarum, quæ perlegas.

Et cum bona non efficiantur ſpiritualia, ſed ma- 13
neant in ſua temporalitate, nec ſit neceſſaria authoritas Epiſcopi ad condendum hujuſmodi anniverſarium miſſarum, cum poſſit quiſque ad libitum relinquere, ut poſt Decium, *cap. ex parte num.* 10. *de reſcriptis*, Guido, *Pap. quæſt.* 187. Bellamera, *c. ſuper hoc*, *quæſt.* 15. *de renunciation.* & Rebuff. de pacificis poſſeſſoribus, *num.* 287. tradit Spino, *de teſtament. gloſſ.* 4. *princip. tit. de patronis*, *num.* 42. conſequens eſt, ut hæc conditio, quod Epiſcopus ſe non intromittat in conferendo, ſuſtineatur, Valaſcus, *conſultatione* 105. *num.* 1. & 6. & 55. licet ut diximus ſupra, *num.* 4. poſſit 14
inquirere, an adimpleatur anniverſarium, juxta defuncti voluntatem, iniquum namque eſſet tollere liberam facultatem ingenuis hominibus diſponendi ad libitum de rebus ſuis, *l.* 2. *in fin. ff. ſi quis à parente fuerit manumiſſus*, etiam quod abutatur eis, Cabedus de patronat. Regiæ Coronæ, *cap.* 31. *n.* 1. & 2. de quo ſupra, *lib.* 1. *cap.* 22. *n.* 29. & iſta privatio facultatis dicitur contra bonos mores, *l. penultima*, ubi DD. *ff. de pact. l. nemo exterus*, *C. de Judæis*, *l. dudum*, *C. de contrahenda emptione*, Aymon. *conſ.* 217 *num.* 2. ubi quod poteſt 15
agere injuriarum contra turbantem in uſu rei ſuæ per *l. injuriarum*, §. *ſi quis me prohibeat verſ. at ſi quis ff. de injuriis.*

Quod maximè procedit in relictis in ultima voluntate

*Perez de Lara de Anniverſ.*

luntate, quæ libera debet cuique relinqui, *l.* 1.
*C. de Sacroſanct. Eccleſ. ob quod lex.*12. tabularum
vocitabat: *Uti legaſſet quiſque de ſua re ita juſto*
quæ verba referuntur in authentico de nuptiis, §,
*diſponat collat.* 4.

Aut relinquuntur bona cum onere anniverſarii
Eccleſiæ, ſeu clericis, quod eſt idem, *l. annua,*
*§. Atrita, ff. de annuis legat.* & tunc fruſtratoria
eſt adjectio illa, ne Epiſcopus ſe intromittat, nam
quemadmodum Eccleſia, & clerici, ita eis datum,
ſeu relictum eſt in patrimonio, & regimine Eccle-
ſiæ, *dict. cap. noverint* 10. *quæſtione* 1.

16 Aut teſtator, ſeu alter diſponens relinquit bona,
ut ex eorum redditibus fiat anniverſarium Capella-
niæ cum Epiſcopi authoritate, quam hæres debet
fundare intra annum, aliàs tenetur ſolvere reddi-
tus à morte teſtatoris authent. *de Eccleſ. tit. §. ſi*
*autem, verſ. ſi autem diſtulerit, collat.* 9. Covar-
ruv. *cap. ſi hæredes num.* 5. *de teſtamentis*, ubi alios
refert, ( & eo caſu cum ſit beneficium Eccleſia-
ſticum ) ut tenet *gloſſ. in Clement. finali de decimis,*
Lambertinus, *de jure patron. lib.* 2. 1. *part. quæſt.*7.
*art.* 30. *num.* 23. & tradit Rebuff. in praxi benefi-
ciorum, *in princ. num.* 11. Salzedo in additioni-
bus ad Bernardum Diaz, *cap.* 62. *numero* 12. Aze-
vedo, *lib.* 1. *cum.* 7. *tit.* 4. *lib.* 1 *Recopil.* Solis
de cenſibus *lib.* 2. *cap. fin. num.* 15. Guid. Pap. *quæſt.*
187. ubi dicit communiter eſſe receptum ſequitur
concivis Cevallos, *quæſt.* 693. *numero* 19. ). & be-
neficium non poſſit ſine inſtitutione Canonica obti-
neri juxta regulam, beneficium *de reg. jur lib.* 6.
*& text. in auth.* ut clerici qui recedunt, *collat.* 5.
conſequens eſt, quod teſtator, ſeu alter Capella-
niæ conditor non poſſit apponere conditionem,
quod Epiſcopus ſe non intromittat ad conferendum
jure obviante, *in cap. ſic quidam,* 10. *quæſt.* 1. *in*
*hæc verb. Sic quidam contra omnem authoritatem, Ec-*
*cleſias, quas ædificaverint poſtulant conſecrare, ut*
*dotem, quam eidem Eccleſiæ contulerint cenſeant ad*
*Epiſcopi ordinationem non pertinere, quod factum ta-*
*liter in præterito corrigatur, ut & in futuro, ne*
*fiat, prohibeatur, ſed omnia ſecundum conſtitutionem*
*antiquam ad Epiſcopi ordinationem, & poteſtatem*
*pertineant*, nam licet talium jurium ſpiritualium
patronatus poſſit cadere in laicum, ipſa tamen in-
ſtitutio ad Epiſcopum pertinet, ut tradit deciſio
Rotæ 10. *de teſtament. in antiquis, num.* 1. ubi
quod talis conditio tanquam juri contraria non eſt
ſervanda, argumento text. *in authent. de Eccleſiaſt.*
*titulis, §. ſi autem pro redemptione captivorum*, ibi:
*Licet præcipue à teſtatoribus, aut donatoribus inter-*
*dictum ſit eis, l. 1. in fin. C. de his quæ pœnæ nomi-*
*ne rel.*

17 Quod adeò verum eſſe aſſerit dicta Rotæ deci-
ſio, ut etiam ſi teſtator addat, quod ſi Epiſcopus
ſe intromittat, caſſat, & annullat dictam Capella-
niam, & vult, quod ex bonis pro ejus dote aſſi-
gnatis fiant, & celebrentur duo anniverſaria, ad-
18 huc Capellania firma remanebit, & adjectio pœnè
vitiabitur, nam quod non tenet de jure, vinculo
pœnæ nequit alligari, *l. non dubium in fin. C. de*
19 *leg. lib. quod de bonis.* §. 1. *ff. ad leg. Falcid.* Poſt-
quam enim bona deſtinata pro Capellania transfe-
runtur in patrimonium Eccleſiæ, & dominium
Chriſti, & facta ( ut utar verbis deciſionis ) San-
cta ſanctorum, impoſſibile eſt, quod per diſpo-
ſitionem teſtatoris talia eſſe deſinant, cum ea diſ-
poſitio teſtantis, vel alterius fundantis Capella-
niam, ſit collata in tempus quo bona deſinant eſſe
ſua, uti dicimus de libertate data à domino in tem-
pus, quo ſervus futurus eſt alienus, quæ non va-
let, *l. Stichus ſervus, ff. de manu* miſſis teſtamen-
to, & faciunt tradita à nobis ſupra *primo libro cap.*
5. *numero* 3. atque ita, quod hujuſmodi conditio
rejiciatur, tradit Abb *cap. requiſiti, de teſtament.*
*& cap. nobis num.* 5. *de jure patron.* Innocent. *cap.*
*in Lateranenſi, numero* 5. *de præbend.* Felinus, *c. cum*
*venerabilis, numero* 33 *de exceptio.* Anton. de
Butrio, *cap. cum dilectus de conſuetudine, num.* 24.
& ibi Joan. de Imola *num.* 2. Lambertin. *de jure*
*patron. lib.* 1. 1. *part. quæſt.* 9. *principali, numero*
68. & 74. Palatius Rubeus, *rubr. de donatio.* §.
61. *num.*14. Bernardus Diaz *reg.* 240. *ampliatione*
2. Sarmiento *lib.*1. Selectarum *cap.* 11. *num.* 10.
qui loquitur in Capellania, & aliis relictis piis,
quorum executio ad Epiſcopum de jure pertinet, &
Covarr. *in* 4. *de ſponſalibus,* 2. *part. cap.* 3. §. 1.
*num.* 20. *& cap. tua, de teſtamentis num.*6. & 8. ubi
alios refert Spino de teſtamentis, *gloſſ.* 4. *principali,*
*titul. de patronis num.* 40. Gratian. *regul.* 156. *n.*17.
Guterreus, *l. nemo poteſt, num.* 449. *de legat.* 1.
Azevedus, *l.* 9. *titul.* 6. *lib.* 1. *Recopil. num.* 5. Men-
chaca *lib.* 1. *de ſucceſſio. progreſſu cap.* 7. *num.*16. &
17. licet ipſe ibi nitatur defendere, quod eo caſu
quo teſtator non annullet omnino relictum in Ca-
pellaniam, Epiſcopo ſe intromittente, ſed trans- 20
ferat in aliud opus pium, valeat ejus diſpoſitio,
cujus ſententiæ aſſentitur Humada ad Gregorium,
*l.* 1. *tit.* 15. *part.* 1. *gloſſ.* 6. *num.* 2. cum diſtinctione,
de qua ibi, ut procedat quando Capellania nondum
eſt facta, de quo nemo dubitat: veritas tamen eſt,
quod vitiatur adjectio pœnalis, etiam ſi fuerit
tranſlationis in anniverſarium, vel aliud opus pium,
ut habet communis ſententia, à qua periculoſum
eſt recedere.

Neque obſtat, quod licitum eſt relinquenti, vel 21
donanti res Eccleſiæ apponere conditiones quas vo-
luerit, & quod Eccleſia eas ſervare tenetur, ut
tradunt omnes *in cap. verum, per text.* ibi de condi-
tio. appoſitis, Nigris in extravaganti unica de vita, &
honeſtate clericorum, *n.*253. & diximus ſupra, *n.*11.
nam ea regula quæ habet, quod quilibet poteſt in tra-
ditione rei ſuæ apponere conditiones, quas voluerit,
& diſponere de eis ad libitum, inteligenda eſt ſi
diſponat *ſegun Dios, y ſegun fuero, l.* 1. *titul.* 28.
*partita* 3. ibi: *Señorio es, poder que home ha en ſu*
*coſa de fazer della, è en ella lo que quiſiere, ſegun*
*Dios, y ſegun fuero.*

Sed velim advertas lector, quod ſæpiſſimè con- 22
tingit fieri ab omnibus imperitis literarum maximè
fœminis anniverſarium miſſarum, & vocant illud
Capellaniam, diſponendo, quod patronus faciat
miſſas dicere per clericum, ſeu clericos, adjicien-
doque alia verba, ex quibus clarè colligitur, quod
mens relinquentis non fuit inſtituere Capellaniam,
ſed anniverſarium miſſarum nam eo caſu, licet
teſtator, ſeu relinquens utatur Verbo Capellaniæ,
non debet Capellania judicari, nec bona erigi in
ſpiritualibus, ſed relinqui in ſua temporalitate pro
anniverſario miſſarum, & perperam facient ordi-
narii Epiſcoporum, ſi eam ut Capellaniam confe- 23
rant, tum quia quando conſtat de voluntate te-
ſtatoris receditur à proprietate vocabuli *l. non ali-*
*ter*, ubi omnes *de legat.* 3. *l. cum de lanionis,* §. 24
*aſinam de fundo inſtruct.* ibi: *Et non propriam ver-*
*borum ſignificationem ſervari, ſed in primis, quod*
*teſtator demonſtrare voluerit, l.* 3. §. *conditio. ff. de*
*alimen. legat.* ibi: *Sed melius eſt ſenſum magis, quam*
*verba*



*verba amplecti*, cum verba debeant ſervire inten-
tioni, Tiberius Decian. *conſ.* 1. *num.* 176. ubi
refert pulchra, verba Ciceronis, & *conſ.* 3. *num.*
25 45. *volum.* 1. Nec actus agentium debet operari
ultra eorum intentionem, *l. non omnis, ff. ſi cert.*
*petat.* Aymon. *conſil.* 304. *num.*7. *deciſ. Genuæ* 63.
26 *num.* 3. tum etiam quia verba non debent ſumi
captiosè in damnum proferentis, *l. fin. ff. ad exhi-*
27 *bendum*, Aymon. *conſil.* 9. *numer.* 23. maximè ver-
ba teſtantis, quæ intelligi debent in ejus favorem,
cum nihil faciat in ſui præjudicium, gloſſ. *in l. ſi*
*quis teſtamentum, verbo pœnæ chirographa, ff. ad*
28 *legem Aquil.* Et ſunt ſubtiliter conſideranda, ut
exequatur ejus voluntas, ut *in authentico de reſti-*
29 *tut. fideicommiſſ. §. nos igitur, collatione* 9. non
tamen nimia ſubtilitate, nam propter nimiam ſub-
tilitatem ſæpè erramus, quia animum teſtatoris
non videmus, poſt Baldum, *leg. precibus, num.*37.
*C. de impub.* & aliis, & Jaſ. *per text.* ibi: *l. ſi ſer-*
*vum*, Stichum, *§. ſequitur, ff. de verborum oblig.*
Simon de Prætis, *lib.* 1. *de interpretanda ultima*
*voluntate interpretatione* 1. *dubitatione* 4. *ſolutio-*
30 *ne* 6. *num.*7. *pag. mihi* 51. *columna* 1. Sunt ergo
conſideranda verba teſtatoris, juxta opinionem
fruentium intellectu, ut dicit Alex. Raudenſis,
*conſilio* 10. *numero* 138. & eo reſpectu quo prolata
ſunt, Marcus Anton. Peregrinus, *conſilio* 88. *num.*
3. *volum.* 3. quia non à ſolo uno nomine, ſed à
toto ſermone, phraſi, ac ductu orationis pendere
debet diſpoſitio, *l. nominis, §. verbum ex legibus,*
*ff. de verbor. ſignif.* Alexand. Raudenſis *de Analogis*
*lib.* 1. *cap.* 4. *num.*17.

31 Et ſic quod fundans anniverſarium miſſarum,
licet nominet Capellaniam non videatur facere be-
neficium, ſed memoriam miſſarum, tradit Cero-
la, *in practica Epiſcop.* 2. *part. verbo beneficium,*
32 *verſiculo decimo folio mihi* 11. Imperiti namque
ſæpe confundunt nomina, & terminos, ut tradit
33 Peregrinus, *conſilio* 32. *num.*21. ubi in Capellaniis
loquitur, veritas namque & rerum ſubſtantia ho-
minum denominatione mutari non debet, ut dicit
Guterreus, *libro* 3. *practicarum, quæſt.* 84. *num.*2.
*per l. non Epiſtolis, C. de probationibus, & l. ſi*
*fortè, ff. de Caſtrenſi peculio*, & eo caſu ſufficiet,
quod patronus eligat unum ſacerdotem ex approba-
tis ab ordinario pro dicendis miſſis, ita reſpondit
ſacra Congregatio Cardinalium in hæc verba: *Du-*
*bitatum fuit quid juris de illis qui nullum habeant*
*beneficium, ſed ſolum jure legati relictum fuit à qui-*
*buſdam, ut certæ miſſæ in hebdomada celebrentur,*
*& hæredes eorum fecerunt electionem ſacerdotis, qui*
*hujuſmodi legato ſatisfaciat, reſponſum fuit ab ea-*
*dem congregatione, ſatis eſſe, quod dicti hæredes*
*unum ſacerdotem ex approbatis ab ordinario elege-*
*rint*, refert Cerola, *in praxi* 1. *p. verbo beneficia*
*ante verſiculum ad ſecundum fol. mihi* 20. *aliàs pag.*
37. tradit Petrus Gregorius Toloſanus, *de benefic.*
*cap.* 11. *n.*10. *in fin.* poſt Joan. Fabrum, & Gui-
donem, quos ibi allegat.

34 Et dicetur illa Capellania ſæcularis, & profana,
ex quo non eſt ſpiritualizata, & ejus bona erecta
in ſpiritualibus, juxta diſtinctionem, quem tradit
Petrus Gregor. *in ſyntagmat. juris,* 2. *p. c.* 29 *n.*5.
cum ſequentibus, ubi eas inquit, dici profanas,
quæ per laicos ſine authoritate Epiſcopi fundantur,
& deſtinantur alicui ſacerdoti, ut miſſas celebret,
& ſtipendia aliqua percipiat, nam talis fundatio
legatum pium cenſetur, & refert Fabrum, quem
omnes ad id allegant, *in §. nullius*, inſtituta de
rerum diviſione, & Guidonem, *dicta deciſione* 178.
idem tradit Azor. *lib.* 10. *inſtit. moralium, cap.* 3.
*verſ. hoc, ut clarius explicem, &* 2. *p. lib.*3. *c.*8.
*verſ.* 3. *quæritur.* Pro quo eſt ſingularis *gloſſ. in ex-*
*travag.* execrabilis de præbendis inter communes, 35
verbo, quæ alia, ubi ponit hæc verba: *Aut quis*
*beneficia poſſidet, ut titulata, quo caſu propriè dici-*
*tur clericus ſeu Capellanus talis Eccleſiæ ſeu Capellæ*
*in qua titulatus eſt, cap. clericos* 21. *diſtinct. cap.* 1.
& 1. *quæſt.* 1. *c. Epiſcopum,* 7. *quæſt.* 1. *Aut autem*
*ea quis tenet, ut non intitulata, quo caſu non cenſe-*
*tur clericus, ſeu Capellanus Eccleſiæ qua intitulatus*
*non eſt*, & dicit gloſſa illa: *Beneficiatum voco, ſine*
*titulo, iſtos aſſiſios portionarios, habentes altaria ſeu*
*Capellas pro miſſis defunctorum, de quibus in cap.*
*penultima,* de clericis non reſidentibus *in cap. ſigni-*
*ficatum de præbend.*

Neque ii dicuntur percipere fructus Eccleſiaſti-
cos, ſed ſtipendium ratione perſonalis operæ, &
laboris, *argum. text. in l. cum duobus, §. ſi in*
*coeundo, ff. pro ſocio, l.* 1. §. 1. *ff.* ſi menſor falſum
modium dixerit, ita tradit Covarruv. *lib.* 3. *varia-*
*rum cap.* 13. *num.* 1. Redoanus, *de reb. Eccleſiæ,*
*quæſt.* 1. an Prælatus poſſit diſponere de rebus Ec-
cleſiæ, *in §. in hac igitur materia, numero* 16.
*& ſequent. pag. mihi* 296. Nec hæc anniverſaria, 36
computantur in valore beneficii, Stafileus de for-
mis expectativarum, *§. nona forma, num.* 45. &
Joannes Guterreus, *conſ.* 8. *numer.*1. & 2. Barbo-
ſa, *l. divortio, §. quod in anno, num.* 7. *ff. ſolut.*
*matr.* ( limita in condemnatione, ut per Moheda-
num, *deciſ.*6. *num.* 1. *de præbendis.* ) Nec veniunt 37
in locatione beneficiorum, Carrotius de locato, 3.
*p. tit. de rebus Eccleſiæ locandis concl.* 8. *verſ. am-*
*pliatur.* Nec in obligatione generali comprehendun-
tur, Afflict. *deciſ.* 191. & ibi Urſilius, *num.* 5.
Nec conveniunt his, & ſimilibus dotationibus re- 38
quiſita beneficii Eccleſiaſtici, ut notat Rebuf. de
pacificis poſſeſſoribus limitatione 10. *num.* 187. ubi 39
ex hoc infert, & dicit, quod hujuſmodi Capella-
niæ fundatæ à laicis ſi non fuerint approbatæ ab
Epiſcopo diœceſano, nec ab eo, nec à Papa con-
ferri poſſunt, *Clement.* 2. *de præbend. gloſſ. & DD.*
*in Clement. quia verb. altare de religioſ. domibus,*
Meneſ. *l.* 2. *numer.* 47. *C. de ſervit. & aqua*, Cur-
tius Junior *conſ.* 20. *num.* 1. Valaſcus *conſultatione*
105. *num.* 26. & ſic laicus fundator pleno jure da-
bit, tanquam legata pia, quia non poſſunt dici be-
neficia Eccleſiaſtica ante approbationem Epiſcopi,
*cap. nemo, cap. nullus de conſecratione diſtinctione*
1. ſed potius relicta pia pro miſſis defunctorum, 40
Rebuff. *in praxi benefic. cap.* 3. *num.* 10. *fol.* 3. &
*conſ.* 58. ubi quod dum Capellania fundata à teſta-
tore non eſt ſpiritualizata tantum dicitur legatum
pium, computaturque inter bona temporalia, ut
ex Fabro, & Guidone tradit Petrus Gregorius ubi
ſupra, & Alvarus Valaſcus, *conſultat.* 60. *numer.*12.
ubi alios refert, & nos diximus ſupra *num.* 3. &
34. & ſequentibus, quare poſſe talia bona colle-
ctari, & onerari, ſicut bona temporalia aliorum 41
civium, ex Ancharrano tradit Avendañ. *de exequent.*
*mandat.* 2. *part. cap.* 14. *num.* 32. *in fine*, intelligi
tamen deducto onere pio, ut dixi ſupra, *libro* 1.
*capite* 20. *numero finali.*

Et clericus poteſt deſervire pluribus miſſarum 42
memoriis ſub eodem tecto, Geminianus, *cap.* 1.
*num.* 14. *verſ. in eadem gloſſ. de conſuetudine lib.* 6.
Et licet quando quis nominat memoriam miſſarum
Capellaniam; utrumque poſſit comprehendi, &

Capellaniam, & anniverſarium, in eo ſenſu acci-
piendum eſt vocabulum in quem magis principali-
43 ter verborum conceptio operatur, & ad quem in-
tentio principaliter dirigitur, Abb. Panor. *conſ.* 15.
44 *num.* 1. 1. *part.* ubi quod quando in uno contractu
interveniunt duæ ſpecies contractus, ſeu duo pro-
portionabilia diverſis contractibus, actus judicandus
eſt à principali intentione contrahentium, & illud
dicitur principaliter intendi ad quod finis intentio-
45 nis dirigitur Barthol. *l. ambitioſa, num.* 19. *ff. de*
*decretis ab ordine facien.* Si ergo ex verbis teſtatoris
colligitur, quod ejus intentio fuit faciendi anniver-
ſarium miſſarum, nil refert, quod uſus fuerit no-
mine Capellaniæ per ſupradicta, nec ſunt verba
ejus captanda, ut impugnetur ejus voluntas, & ju-
dicium.

46 Si tamen manifeſtè non conſtiterit, quod teſta-
tor voluerit anniverſarium celebrari, intelligendum
47 eſt de Capellania ex vi verbi per dict. *l. non aliter*
*de legat.* 3. Et quia mens teſtatoris talis præſumitur
qualem verba demonſtrant Bartol. *l. fin. ad Trebellia-*
*num*, & quia quod eſt in nomine præſumitur in re
Curtius Junior, *conſilio* 20. *num.* 4. de quo ſupra,
*lib.* 1. *cap.* 3. *numero* 37. & eo caſu conditio,
ne Epiſcopus conferat, inutilis reddetur, quia tur-
pis, & ſacris ſanctionibus contraria, ut dictum
eſt ſupra.

48 De licentia tamen Romani Pontificis poterit te-
ſtator apponere eam conditionem, quod Epiſcopus
ſe non intromittat, Rebuff. de congrua portione,
*num.* 120. Sed & de conſenſu Epiſcopi inquit, Abb.
*capit. nobis num.* 5. de jure patronatus.

Excipiuntur tamen ab his Capellæ à regibus Hiſ-
49 paniæ fundatæ, quæ ſunt de eorum patronatu, &
ſub eorum immediata protectione; ita ut nec poſ-
ſint per ordinarios, nec viſitatores Eccleſiaſticos
viſitari, ſine eorum licentia, *ex deciſione Concil.*
*Trid. ſeſſ* 22. *cap.* 8. *de reformatio.* ibi: *Non tamen*
*quæ ſub Regum immediata protectione ſunt, ſine eo-*
*rum licentia*, & tradit Cabed. de patronatibus Re-
giæ Coronæ, *c.* 39. *num.* 3. In Regno autem Ca-
ſtellæ aliquæ Capellaniæ Regiarum Capellarum, &
præbendæ Eccleſiarum Regii patronatus conferun-
tur ab ordinariis prævia tamen præſentatione domi-
ni noſtri Regis, aliæ autem non conferuntur: in
omnibus autem ſervabitur conſuetudo, nec juri
eorum patronatuum conſuevere Romani Pontifices
derogare, Covarruvias *quæſt.* 36. *pract. num.* 6.
*verſic.* 2.

50 Si tamen per tempus 40. annorum, ter, quater-
que & etiam bis, Epiſcopus hujuſmodi miſſarum
memoriam, ut Capellaniam conferat oblato, &
præſentato per patronum, erit in poſterum Capel-
lania collativa, tradit Azor, *lib.* 10. *inſtit. Moral.*
*cap.* 3. *verſ.* hoc ut clarius in fine, ſed re vera ſuffi-
cit tempus ordinarium, quia præſcribitur contra
res laicorum non Eccleſiæ, ita defendit Meneſ. *l.*
*ſi aquam, num.* 46. *C. de ſervitut. & aqua* (quid-
quid tenuerit Fulgoſ. *l. omnes, num.* 13. *C. de ſacro-*
*ſanct. Eccleſ.*) ſequitur Valaſc. *conſult.* 105. *num.*
42. neque huic opinioni obſtat quod tradit Huma-
da ad Greg. *l.* 1. *tit.* 15. *p.* 1. *gloſſ.* 6. *num.* 3. ibi enim
agitur de præſcribenda Eccleſia patronata, & id
affirmat in favorem Eccleſiæ, hic autem verſatur
Eccleſiæ favor in præſcribendo tempore ordinario,
Curſus enim temporis 40. annorum ſolum deſide-
ratur in rebus Eccleſiæ, Meneſ. ubi ſupra, *num.* 44.
& tale tempus requiritur ad muttandum ſtatum be-
neficii, ex aliis tradit Staphileus *de literis gratiæ tit.*
*de formis expectativarum*, §. *octava forma, num.* 4.
Gabr. *conſ.* 185. *num.* 1. *& fin. vol.* 2. qua jus eligen-
di in beneficiis præſcribitur 40. annis, *text. cum*
*gloſſ. in cap. cum de benef. de præbend. lib.* 6. dicit
communem Balb. *de præſcript.* 1. *p.* 5. *p. quæſt.* 8.
*num.* 1. At ea Capellania, quæ ſua origine, & in-
ſtitutione beneficium non fuerit, progreſſu tempo- 51
ris ordinarii ad præſcriptionem rei profanæ in be-
neficium poteſt transferri, nam ex cauſis poteſt
recedi à fundatoris voluntate, ut in terminis Capel-
laniæ profanæ collatæ tradit deciſio Rotæ, 1122.
*num,* 1. *p.* 3. *lib.* 3.

Et quia conditiones appoſitæ in fundatione poſ- 52
ſunt præſcriptione tolli, Navarrus, *conſ.* 1. *de præſ-*
*criptio. num.* 1. *&* 7. Cerola *in praxi Epiſcopali* 2.
*part. verb. beneficium, num.* 14.

Et quod dicimus de longo tempore, intelligen- 53
dum eſt, caſu quo conſtet, fundatorem non feciſſe
Capellaniam collativam, nam quando conſtat de
proprietate, ultimus beneficii ſtatus non attenditur,
ſi non ſit præſcriptus, Gabr. *conſ.* 185. *vol.* 2. 54
*num. fin.* Tamen ſi dubitetur, & ter, aut bis ordi-
narius contulerit, etiam minori tempore decem an-
norum, erit ſemper collativa, quia ita eſt obſerva-
tum, ut diximus ſupra, *lib.* 1. *cap.* 7. *numero* 49.

Ex unica tamen collatione acquirit ordinarius 55
quaſi poſſeſſionem conferendi, *per gloſſ. verb. tri-*
*um in cap. cum Eccleſia Sutrina*, de cauſa poſſe, &
proprietatis. Quam ſequuntur ibi, Abb. Joan.
Andr. & communiter DD. teſte Bald. *de præſcript.*
1. *p.* 5. *p. quæſt.* 8. *numero* 2. *verſ.* & quod ſufficiat
unicus actus, dicit etiam communem opinionem
Rip. *d. cap. cum Eccleſia Sutrina, num.* 91. &
eam ſequitur plures referens Covarr. *prat. quæſt.* 14.
*num.* 2. *verſ. tertium*, alios refert Flamin. *lib.* 7.
*de reſign. benef. quæſt. fin. num.* 9. & Maſcar. *de*
*probatio. concluſ.* 1180. *numero* 12. *& vide infra*
*cap.* 5. *numero* 37.

Quod ſine dubio procedit quando unica collatio 56
ſortita fuerit effectum, tradit Afflict. *deciſion.* 282.
*num.* 2. Roland. *conſ.* 47. *num.* 27. Aym. *conſ.* 322.
*numero* 4. *verſ. ſeptimo* principaliter, & *num.* 5.
*verſ.* idem eſt in collatione, & deciſio Rotæ Ro-
manæ, 1122. *part.* 3. *lib.* 3. Joannes Guter. *conſ.* 3.
*numero* 1. Cabed. *de patron. Regiæ Corona cap.* 6.
*numero* 2. Cerola *in praxi*, 1. *p. verb. jus patrona-*
*tus ad tertium*, & in quibus requiratur binus a-
ctus, vide ſupra, *lib.* 1. *cap.* 12. *numero* 39.

Ut autem Epiſcopus ſeu alter prætendens ſe 57
eſſe in quaſi poſſeſſione liberæ collationis in ea tuea-
tur, multa ei ſunt neceſſaria, quæ requiruntur,
præſertim quod bona fide contulerit beneficium,
putans ei competere, & id fecerit, ſciente contra-
dictore, qui jus habeat, Ægid. *deciſ.* 128. *DD. d.*
*cap. cum Eccleſia Sutrina*, ubi Abb. *num.* 25. Cal-
der. *de jure patro. conſ.* 12 *&* 15. Roch. *eo tractat.*
*verb. competens, numero* 34. 35. *&* 36. ſequitur
Gabr. *conſ.* 185. *num.* 19. *vol.* 2. & tandem requi-
runtur omnia neceſſaria ad acquirendam quaſi poſ-
ſeſſionem jurium incorporalium. Et ex eo ſolo, quod 58
Epiſcopus eſt in quaſi poſſeſſione conferendi Capel-
laniam, præſumitur collativa, & per contrarium,
ſi patronus ſit in quaſi poſſeſſione præſentandi cle-
ricum, qui ſerviat ſine inſtitutione, præſumitur
profana, ad tradita per Creſc. *deciſ.* 9. *num.* 1. *de*
*jure patr.* Pute. *deciſ.* 10. *lib.* 3. Et in dubio inquit 59
Rebuff. *in praxi benef. tit.* quid ſit, & quot modis
dicatur beneficium, quod præſumitur Capellania
fundata cum Epiſcopi approbatione, cum ſit ad
ſerviendum



ſerviendum Deo, & Rochus de Curte de jure *patr.*
*verb. pro eo quod, num.* 19. *quæſt.* 7. & quod in du-
bio Capellania præſumatur collativa, tradit Me-
noch. *conſ.* 90. *num.* 123. *vol.* 1. Si tamen conſtiterit
non eſſe fundatam cum authoritate Epiſcopi, licet
habeat aliquod ſignum, per quod videatur erecta
de ejus authoritate, erit profana, Valaſc. *conſul-*
*tat.* 105. *num.* 10. Pariſ. *conſ.* 34. *num.* 15. *vol.* 4.

# CAPUT II.

## De conditione appoſita à fundatore Capellaniæ, ut præſentandus ſit de ejus genere.

### *SUMMARIUM.*

1 *Fundans Capellaniam, poteſt diſponere, quod Capellanus præſentandus ſit da ejus genere.*
2 *Chriſtus Redemptor noſter elegit ad Apoſtolatum filios Zebedei.*
3 *Epiſcopus poteſt filio ſuo legitimo, & conſanguineis conferre beneficia.*
4 *Prælatus poteſt bona Eccleſiæ ſolita infeudari, dare conſanguineis.*
5 *Meritorium eſt, conferre beneficia conſanguineis.*
6 *Capellania non eſt deferenda jure hereditario.*
7 *In cauſis Capellaniarum attenditur proximitas reſpectu fundatoris, non ultimi Capellani, quod limita ſi vocentur de familia, & nomine.*
8 *In vinculis, & majoratibus, ingreſſa una lineæ, niſi omnibus illius extinctis, non datur regreſſus ad aliam: ſecus tamen eſt in iis Capellaniis.*
9 *Si fundator vocavit deſcendentes ſuæ lineæ, ſolum veniunt deſcendentes ab ipſo fundatore. non ab ejus aſcendentibus.*
10 *Quod procedit ſive loquatur in inſtrumento fundatur in prima perſona, dicendo, de mea linea, ſive ſcriptura cantet in tertia perſona dicendo, de ſua linea.*
11 *Pronomina, meus, mea, meum, & ſuus, ſua. ſuum, important, relationem ad perſonam diſponentis, & immediatè.*
12 *Genitivus fundatoris junctus cum dictione, ex, denotat originem lineæ.*
13 *Genitivus denotat cauſam efficientem.*
14 *Dictio, ex, denotat cauſam immediatam.*
15 *Fundator eſt caput ſuæ lineæ effectivæ.*
16 *Linea contentiva fundatoris eſt in qua ipſe continetur, & ſic linea ſui patris, vel avi.*
17 *Si non adſint deſcendentes à linea effectiva fundatoris, admittentur ad Capellaniam deſcendentes ex linea contentiva; & ſic tranſverſales teſtatoris, & quare.*
18 *In favorabilibus vocatio intelligitur de linea contentiva.*
19 *Intellectus lineæ contentivæ eſt magis de mente teſtatoris.*
20 *Si teſtator ſit clericus, vel alter carens deſcendentibus actu, & ſpe, vocatio ſuæ lineæ intelligitur de contentiva.*
21 *Verba impropriantur, ne diſpoſitio reddatur inutilis.*
22 *Si fundator dixerit:* De mi linage, *admittentur tranſverſales.*
23 *Communis uſus loquendi ſemper attenditur.*
24 *Appellatione illorum de parentela veniunt omnes de parentela, ſicut appellatione familiæ, omnes de familia.*
25 *Vocabula hæc:* Linage, generacion, parentela, caſa, cepa, gente, progenie, conſanguinidad, familia, proſapia. *Synonima ſunt.*
26 *Vocatis conſanguineis à fundatore Capellaniæ veniunt agnati & cognati. Secus ſi vocati fuerint conſanguinei de familia.*
27 *Quid faciendum concurrentibus duobus alter de linea paterna, & ſic agnatus, alter cognatus ex materna, ejuſdem gradus, pietatis, morum & ſcientiæ.*
28 *Capellania non poteſt dividi, etiam pacto patronorum, cum ſit beneficium Eccleſiaſticum ex Turonenſe Concilio, quod præbendarum inhibet ſectionem.*
29 *Prohibitio ſectionis, ſicut in magnis beneficiis, ita quoque in minimis, & Capellaniis habet locum.*
30 *Publice intereſt, quod beneficia ſine diminutione conferantur.*
31 *Rxpenditur, & intelligitur ſingularis textus in capit. niſi eſſent viri providi de præbendis.*
32 *Declaratur Joannes Guterreus,* conſilio 2. numero 8. & 9. *ut loquatur in duobus Capellaniis.*
33 *Lex magis favet agnationi, quàm cognationi, ſed in Capellaniis, nulla eſt conſideranda prælatio in agnatis, cum non agatur de conſervanda familia, ſed de ſuffragiis.*
34 *Data paritate idoneitatis, locus eſt gratificationi.*
35 *Inter duos viros doctos probos, & morigeratos difficillimum eſt dignoſci, quis dignor ſit.*
36 *Dignior dicitur qui rei gerendæ aptior eſt, & ſic præferendus.*

Conditiones autem, juri conformes pote-
rit ad libitum addere fundans Capella-
niam, & ſic quod ſit de ejus genere Ca-
pellanus præſentandus, Dominicus, *capit. cum Ec-*
*cleſia, numero* 3. *de præbend. lib.* 6. Rochus de Cur- 1
te, *tract. de jure patrona. verbo honorificum, numer.* 43.
Didacus Perez, *l.* 9. *titul.* 6. *lib.* 1. Ordinam. *pa-*
*gina.* 147. *verſicul.* ex quibus infero, Gomezius
*regul. de jure quæſito non tollendo, quæſtione* 1.
*numero* 11. & Guterreus *conſilio* 2. *numero* 3. *&*
4. nam ſi aliàs digni ſint, non ex eo, quod
ſunt conſanguinei ſunt repellendi. Cum & Chriſtus 2
Redemptor noſter elegerit ad Apoſtolatum conſan-
guineos filios Zebedei. Sic & Epiſcopus poteſt filio
ſuo legitimo, & etiam conſanguineis (idoneis ta- 3
men) conferre beneficia, Abbas *cap. quia clerici*
*de jure patronat. & cap. ut ſuper de rebus Eccleſiæ*
*non alienan. & conſil.* 96. ſic & Prælatus poteſt bo-
na Eccleſiæ ſolita infeudari, dare conſanguineis,
communem dicit Burſar. *conſilio* 127. *numero* 4. *&* 4
78. *lib.* 2. ſequitur Flaminius, *lib.* 9. *de reſign.*
*quæſt.* 17. *num.* 124. poſt Cephalum *conſ.* 142. *n.* 5.
*lib.* 1. Cevallos, *quæſt.* 275. *comm. contra comm.* poſt 5
Abb. *cap.* 1. *de cohabitatione clericor.* dicit, quod
meritorium eſt conferre beneficia conſanguineis,
latè Redoanus de rebus Eccleſiæ, *quæſt.* 2. *pag. mi-*
*hi* 299. & Dominicus Soto, *de juſtitia & jure lib.*
3.

3. *quæſt.* 6. *verſic. mox alia via*, & ibi ponderat text. *in cap. Monaſterium* 17. *quæſt.* 7. ubi quod inſtituens ſeu fundans Capellaniam poteſt & cuilibet præſbytero dare, & ſubdit, ergo poteſt inſtituere ſacerdotium, ut ſuis agnatis & certæ deſignatæ
6 proſapiæ obveniat, non tamen eſt deferenda Capellania jure hæreditario, probat text. *in cap. Apoſtolica* 8. *quæſtione* 1. *Apoſtolica authoritate prohibemus* (inquit textus) *ne quis Eccleſias, & præbendas, præpoſituras, Capellanias, aut aliqua Eccleſiaſtica officia hæreditario jure valeat vendicare*,
7 ex quo ſequitur, quod in materia Capellaniarum vocatis ſimpliciter conſanguineis eſt attendenda proximitas fundatoris non ultimi Capellani, cum non ſuccedatur ei, ſed admittatur promixior fundatoris, etiam ſi teſtator non utatur pronomine, meus, mea, meum, Lambertinus *de jure patronatus lib.* 2. 3. *parte, quæſt.* 5. *artic.* 4. *num.* 15. & ſic ſæpe contingit, quod mortuo Capellano, relicto fratre, in quo concurrit illamet qualitas ſanguinis, & proximitatis reſpectu fundatoris, nihilominus excluditur ab alio tertio ſe opponente, & probante, ſe proximiorem fundatori, quod limita, ut procedat, niſi vocationes ad Capellaniam fuerint ad inſtar majoratuum, & vocentur per verba de futuro poſteri de familia, & nomine fundatoris, Lambertinus, ubi ſupra, & Cabedus *deciſ.* 51. *numer.* 4. 2. *part.* qui in terminis loquuntur, & conducunt tradita à Petro Caballo, *conſil.* 60. *num.* 8. nam qua ratione Capellanus defunctus, fuit prælatus eadem & ejus frater, vel alter ei proximior eſt præferendus, Caballus, *dicto conſilio* 60. *numero* 16.

8 Et licet in aliis vinculis, & majoratibus, ingreſſa una linea, non ſit regreſſus ad aliam, quouſque omnes de illa linea deficiant. *cap. unico in fine de natura ſucceſſio. feudi.* Covarruvias, *quæſt.* 38. *practicarum numero* 6. in medio Cacheranus *deciſ.* 23. *num.* 34. Gama, *deciſ.* 93. *num.* 1. *& deciſ.* 354. *n.* 5. *& deciſ.* 7. *num.* 4. Molina, *lib.* 3. *primog. cap.* 4. *num.* 14. Gregor. *l.* 3. *quæſt.* 18. *titul.* 13. *partita* 6. Burgoz de Paz, *conſilio* 29. *num.* 27. *&* 48. Salazar de uſu, *& conſuetu. cap.* 14. *num.* 29. *&* 35. Alvaradus, *libro* 2. *de conjecturata mente cap.* 3. §. 3. *numero* 45. hoc tamen ceſſat in his Capellaniis, nam admittetur proximior alterius lineæ, ſtante ſimplici conſanguineorum vocatione: ſecus ſi vocaverit eum de familia, & nomine per lineam majoratus, ut numero præcedenti.

9 Scias tamen, quod ſi fundator vocavit deſcendentes ſuæ lineæ, ſolum veniunt deſcendentes ab ipſo fundatore, non tamen ab ejus aſcendentibus, Bart. *conſilio* 55. *volum.* 1. quem ſequitur, & melius declarat Ruinus, *conſ.* 149. *num.* 6. *&* 7. *volumine* 2.

10 Et hoc ſive loquatur in inſtrumento fundator in prima perſona, dicendo, de mea linea, ſive ſcriptura cantet in tertia perſona dicendo de ſua linea.
11 Nam hæc pronomina, meus, mea, meum, & ſuus, ſua, ſuum important relationem ad perſonam diſponentis, Simon de Prætis, *de interpretat. ultim. volunt. lib.* 2. *interpretation* 3. *dubitatione* 2. *ſolut.* 3. *num.* 52. *fol. mihi* 277. Et hæc relatio ad perſonam fit immediate, *l. qui liberis §. hæc verba ff. de vulgari, cap. ſi pater de teſtament. lib.* 6. & conducit, *l. argentum verſicul. ſi quis addiderit veſtem meam, ff. de auro, & argento leg.* & tradit Collegium Bononienſe in conſilio pro Tribultiis, *num.* 53. *pag. mihi* 67.

12 Et idem erit ſi non utatur ſcriptura his pronominibus, ſed dicatur, quod Capellanus præſentandus ſit ex linea fundatoris, quia genitivus fundatoris, junctus cum dictione, ex, denotat originem lineæ, ut *in l.* 1. *§. nunc videamus, ff. de conjungen. cum emancipat libe.* per quem text. ita tenet Ruynus *conſ.* 149. *num.* 7. *volum.* 2. & cum genitivus importet cauſam efficientem (ut ſentit, gloſſ. *l. quoties de verborum obligatio.* dum loquitur de libro 13
Ariſtotelis, & Salicetus in prœmio Codicis, Alexand. in rubrica de novi operis nuntia.) & dictio, 14
ex, cauſam immediatam (ut tradit Menochius, *conſil.* 233. *num.* 12. *volumine* 3.) fit quod origo, & linea incipiat ab ipſo fundatore, Ruinus ubi ſupra.

Si tamen non adeſſent deſcendentes ex linea effe- 15
ctiva fundatoris, cujus ipſe eſt caput, & eſſent deſcendentes ex linea fundatoris contentiva, in qua ipſe continetur, quia eſt patris, vel avi ſui, juxta 16
diſtinctionem traditam à Menochio *conſilio* 233. *num.* 9. *volum.* 3. à Simone de Prætis *lib.* 3. *de interpret. ulti.m volunt. interpretatione* 3. *dubitatione* 1. *ſolut.* 11. *num.* 45. *pag. mihi* 152. ubi plures refert à Burgenſe de Paz *conſil.* 26. *numero* 40. à Peregrino *de fideicommiſſ. art.* 22. *num.* 24. admitterentur ad Capellaniam, & Patronus tenetur ex eis 17
præſentare tam ex veriſimili mente diſponentis, & ex ejus interpretata voluntate, *juxta gloſſ. fin. l. tale pactum, ff. de pactis*, quam ex eo, quod in favorabilibus, & ultimis voluntatibus plenior fit interpretatio. *cap. cum dilecti de donatio. l. in teſtamentis, ff. de regul. jur.* & ſic ut intelligatur de contentiva linea fundatoris, & quod in favorabilibus 18
intelligatur de linea contentiva, & veniant tranſverſales, tradit Cumanus, *conſilio* 2. quem refert, & ſequitur Simon de Prætis *lib.* 3. *de interpretat. ultim. volunt. interpret.* 3. *dubitat.* 1. *ſolut.* 11. *num.* 43. *verſicul.* adde, quod in materia favorabili, & 19
addit, quod intellectum lineæ contentivæ eſt magis de mente teſtatoris ex ſententia Ancharrani *conſilio* 95. *num.* 7. *verſiculo alius ſenſus*, & ex affectione, quam quis præſumitur habere ad ſibi proximos, potiùs quam ad extraneos, *l. non. ſolum*, §. *primo, ff. de ritu nuptia. cap. litteras de præſumpt.* & licet verum ſit, quod quando dixerit fundator: De mea linea, referatur ad effectivam quæ ab ipſo incipit, & non intelligatur de contentiva, in qua ipſe continetur, hoc non procedit ſi ſubjecta materia aliud ſuadeat, ut ſi fundator ſit Clericus, vel 20
alius non habens filios actu, neque ſpe, ut ſi ſit à natura inhabilis ad generationem, vel ex accidenti, nam tunc impropriantur verba, ne diſpoſitio teſtatoris reddatur inutilis, *l. fin. C. de poſthum. hæred. inſtit. & l. Titius, §. Lucius, ff. eo titul. Romanus conſ.* 31. *num.* 3. *& conſ.* 180. *numero* 5. Hippolytus Rimin. *conſ.* 468. *num.* 45. *volum.* 4. & tunc neceſſario intelligitur de contentiva. 21

Si tamen fundator non dixerit, *De mi linea*, ſed, 22
*De mi linage*, tunc tranſverſales admittentur, nam licet verbum, *Linage*, derivetur à linea, ultra tamen protenditur ad tranſverſales fundatoris, optima, *l. final. ad finem tit.* 6. *p.* 4. & conducit conſilium Riminaldi, 468. *num.* 44. *volum.* 4. & in hoc non poteſt aliquis dubitare, ſiquidem ex communi uſu loquendi (& ejus interpretatione) qui 23
ſemper attenditur, *l. cum Delanionis, §. aſinam, ff. de fundo inſtructo, l. librorum, §. quod tamen Caſius, ff. de legat.* 3. verbum, *Linage*, ſemper intelligitur de omnibus conſanguineis. Sicut appellatione illorum, *De parentela*, veniunt omnes de 24
parentela,



parentela, & appellatione familiæ omnes de familia, ut poſt Socin. *conſ.* 37. *vol.* 3. & Alex. *l. Gallus, §. quidam rectè, num.* 90. *de lib. & poſth.* tradit Simon de Prætis, *lib.* 3. *de interpretat. ultim. voluntat. interpretat.* 3. *dubitatione* 1. *ſolut.* 11. *num.* 59. *pagina mihi* 154. Hæc namque vocabula,
25 *De mi linage, generacion, parentela, caſa, cepa, gente, progenie, conſanguinidad, familia, proſapia*, ſinonyma ſunt, ut tradit Simon de Prætis, *ubi ſupra, num.* 10. *cum ſequentibus, uſque in finem ſolutionis.*

26 Et vocatis deſcendentibus ſuæ lineæ à fundatore Capellaniæ, admittentur ab eo deſcendentes, ſivè deſcendant per viam agnationis ſivè cognationis, tradit Lambertinus, *de jure patron. lib.* 2. 3. *part. quæſt.* 5. *artic.* 4. *numer.* 15. ubi limitat quando vocantur conſanguinei familiæ.

27 Sed an concurrentibus duobus, alter ex linea paterna, & ſic agnatus, alter cognatus ex materna ejuſdem gradus, ætatis, morum & ſcientiæ, ſit præferendus agnatus, & concivis, Cevallos, *quæſt.* 265. *communium contra communes, numero* 24. inquit, quod (cum jam ſit ſublata differentia agnationis, *per l. maximum vitium, C. de liberis præteritis*, & per textum, *in authentico de hæred. & falcidia, ff. nullam, collatione* 1.) eſt dividenda, Capellania inter eos, ad ſimilitudinem majoratus, qui exiſtentibus duobus conſanguineis in eodem gradu utrique adjudicatur, cujus opinioni libenter aſſentirem, niſi obſtaret, quod cum Capellania
28 ſit beneficium Eccleſiaſticum, ut diximus ſupra, *cap.* 1. *num.* 16. non poteſt dividi obſtante Turonenſe Concilio, quod præbendarum inhibet ſectionem, *cap. dilecto el grande; de præben.* Lambertinus *de jur. patr. lib.* 2. 3. *p.* 5. *quæſt. princip art.* 21. ubi quod nec pacto poteſt fieri, quod duo præſentati habeant Capellaniam, ſeu beneficium ne fiat ſectio.

29 Et non ſolum prohibitio comprehendit majora beneficia, ſed etiam parva, & minima; *cap. majoribus, de præben. Majoribus Eccleſiæ beneficiis* (inquit text.) *in ſua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minorum Clericorum præbendæ patiantur ſectionem, idcircò ut ſicut in magnis, ita quoque in minimis membris ſuis, firmatam Eccleſia habeat univerſitatem, &c.* Integrè enim debent beneficia adjudicari ex Rubro & nigro, ut Eccleſiaſtica beneficia, ſine diminutione conferantur, & hoc
30 publice intereſt *deciſ. Rotæ* 454. *numero* 6. *prima parte.*

31 Ex quo infero intellectum ad textum, *in cap. niſi eſſent viri providi, & honeſti de præbendis, & dignitatib.* ubi licet non fuerit diviſa præbenda, ſed uni adjudicata, & penſio alteri aſſignata, inquit Romanus Pontifex, quòd in quantum Judices delegati adjudicaverunt Prioratum uni, ex duobus electis, ſecundum juſtitiam videntur judicaſſe, ſed in quantum juſſerunt, quod alter perciperet de proventibus Capituli & Prioratus, quadraginta libras annuatim intelliguntur feciſſe arbitraria poteſtate, cum fuerit in delegatos compromiſſum, qui fatebantur pro bono pacis, illud ordinaſſe, & tamen non abſolute toleratur ſententia illorum Judicum, ſed eo adhibito moderamine, ut ad quadraginta librarum præſtationem, non dignitas Prioratus, ſed perſona Prioris maneat obligata, nec tranſeat in ſucceſſionem, & reddit rationem Pontifex, ibi, dicens. *Ne forte circa proventus aliqua videatur facta ſectio*: & cum hoc intellectu tranſeunt Antonius de Butrio, Abbas, & cæteri. Doctores, ibi: Qualiter ergo Capellaniæ beneficium dividendum eſt.

Nec ſi in caſu poſito à Joanne Guterreo, *conſ.* 32
2. *num.* 8. *&* 9. fateremur unicam eſſe Capellaniam fundatam à conjugibus, eſſet facienda diviſio per ſupradicta, ibi enim duas præſupponit Guterreus eſſe Capellanias.

Et cum debeat eſſe penes unum, videbatur ag- 33
natum præferendum, quia lex magis favet agnationi, quàm cognationi, ut dicit Salicetus, *l. fratres, numero* 4. *C. de inofficioſ. teſtam.* ſed re vera nulla eſt conſideranda prælatio inter agnatos & cognatos, per textum *in l. maximum vitium, C. de libe. præte.* maxime in his Capellaniis, in quibus non de conſervanda agnatione agitur, ſed de ſuffragiis ſpiritualibus, atque ita erit locus gratificationi data 34
paritate idoneitatis. Lambertinus *de jur. patr. lib.* 2. 3. *part. quæſt.* 5. *art.* 18. *num.* 2. niſi cognoſcatur quis dignior ſit, ut tradit Lambertinus, *lib.* 2. *de jure patr.* 3. *part. quæſt.* 5. *articul.* 1. *num.* 5. *&* 6. *& numero* 8. quod per quam difficiliter dignoſcitur; nam licet inter doctum, & indoctum, continentem, & incontinentem facile ſit diſcernere quis eorum dignior ſit, tamen inter duos doctos viros, probos, & morigeratos, quis dignior ſit, non ita poterit judicari & res quidem ardua eſt, & quæ maxima eget 35
ſapientia & Divino Auxilio, ut notat verbis Cardinalis Paleoti *de Sacri conſiſtorii conſultatio.* 4. *part. qu.* 1. *verſ. ſecundo ſciendum.* Unum tamen non omittam, 36
quod dignior dicitur, qui rei gerendæ aptior eſt, licet alter ſit doctior, vel ſanctior, & ſic melior, ut tradit Paleot. ibi, & *verſ. tertio illud animadvertendum*, Didacus Perez, *l.* 2. *titul.* 6. *lib.* 1. *ordina. pag.* 151. verbo, quæro quis dicitur dignior, & Rebuffus, *in concordatis, titul. de electionis derogatione, verb. idoneiorem, & ponderat* illud Actuum Apoſtol. *cap.* 1. ubi fuit electus Mathias, ut magis idoneus ad Apoſtolatum, licet, ut ipſe inquit Joſeph. eſſet ſanctior, quia propter Sanctitatem vitæ juſtus dicebatur, & refert Leonardum, *ſermone* 27. *de Sanctis*, & ad hoc quod dignior ſit eligendus, facit Eſdræ *cap.* 3. *& numero* 11. *& cap.* Metropolitano, 64. *diſtinctione, & cap. licet ergo* 8. *quæſt.* 1. *& cap. fin. de officio cuſtodis, lib.* 3. *§. ſi tamen plures, ff. de liber. hom. exhiben. & Rubrica, C. de potioribus ad munera nominandis, l. fin. C. de tyronibus, lib.* 12. & non eligens digniorem peccat, ut tradit Rebuffus ubi ſupra, quia eſt infidelis domino ſuo, & cedit in detrimentum Eccleſiæ, ad cujus, & Dei ſervitium grave eſt inexpertes, applicare, *cap. monaſteriis* 19. *quæſt.* 3. *gloſſa penultima, capit. ad Apoſtolicam, de regularibus*, & legitur de Leone Papa, quod cum quadraginta dies oraſſet ad Corpus divi Petri, ut à Domino remiſſionem peccatorum impetraret, apparuit ei Petrus, dicens, remiſſionem peccatorum ſibi à Domino obtinuiſſe, excepta manuum impoſitione, ideſt, ordinatione indignis facta, de qua adhuc habes Domino reddere rationem, tradit Archiepiſcopus Florentinus, *in* 3. *part. ſuæ ſummæ, titul.* 20. *cap.* 2. §. 1. & Divus Gregorius, *dialogo* 4. *cap.* 9. refert Paſcaſium fuiſſe damnatum, eo quod foverat partem Laurentii contra Simachum illum eligendo ad Epiſcopatum, cum poſſet eligere meliorem refert Palacios Rubeus, *cap. per veſtras, notabil. ſecundo, §. vigeſimo ſexto, de donationibus.*

CAPUT

# CAPUT III.

## De cauſis prælationis ad Capellaniam conferendam uni potius quàm alteri?

1 *Literati præferuntur in beneficiis, & ſublimibus comparantur.*
2 *Sapientes, & qui ingenio pollent, ſunt veluti dominatores aliorum.*
3 *Literati ſunt in quadruplici differentia, & prout quiſque habuerit gradum ſcientiæ eſt præferendus.*
4 *Referuntur loca ſacræ ſcripturæ, pro eligendis ſapientibus.*
5 *Ignarus licet in dignitate conſtitutus, vilisſimus habendus eſt.*
6 *Literatus præferendus eſt nobili ignaro, & quare.*
7 *Nobilitas non ſupplet litteraturam, & ſecus è contra, quia ſola litteratura facit quem nobilem.*
8 *Refertur dictum Cardinalium, qui elegerant ignobilem in Romanum Pontificem.*
9 *Defectus ſcientiæ in beneficiato eſt magis deteſtandus, quàm homicidium.*
10 *Eccleſia Dei pro ſui regimine indiget literatis, & itidem Regnum.*
11 *Pauper cæteris paribus præferri debet in collatione Capellaniæ.*
12 *In ſtudiis conſumitur patrimonium, & de divitibus pauperes efficiuntur.*
13 *Non leve eſt peccatum eligere divitem relicto paupere inſtructiore.*
14 *Pauper propter ſcientiam & religionem gloriam adipiſcitur.*
15 *Major ætas attenditur ad prælationem in collatione Capellaniæ.*
16 *Presbyter cæteris paribus præfertur, non ſacerdoti, quia dignior reputatur ad Capellaniam.*
17 *Limita ſi locus ubi Capellania celebratur egeat presbyteris.*
18 *In ſpiritualibus eſt habenda ratio publicæ neceſſitatis.*
19 *Originarius præfertur forenſi in Capellania celebranda loco ſui originis & domicilii.*
20 *Forenſis dicitur, qui loco celebrandæ Capellaniæ natus non ſit, maximè ſi alibi domicilium habet.*
21 *Natus loco Capellaniæ cum mater tranſiſſet itinerando, non dicitur originarius, ſed forenſis.*
22 *Præſentatus à Patrono, præfertur alteri non præſentato.*
23 *Primo præſentatus præfertur ubi Patronus duos præſentavit, variando.*
24 *Præſentatus à Patrono Clerico, præfertur Patronis diſcordantibus, & quare.*
25 *Præſentatus à maſculo, præfertur præſentato à fœmina.*
26 *Præſentatus à Patrono conſanguineo, præfertur præſentato ab altero.*
27 *Teſtamentariis diſcordantibus, præfertur vox conſanguinei teſtoris.*
28 *Præſentatus à pupato, præfertur præſentato à tutore.*
29 *Præſentatus ab uxorie, quando, preferatur præſentato à viro, & è contra quandoque jus præſentandi tranſeat in virum.*
30 *Præſentatus à filio familias, an præferatur præſentato à patre.*
31 *Canoniſta an ſit præferendus Theologo.*
32 *Conſanguineus præfertur extraneo, & inter exiſtentes in parigradu, ille parfertur, qui duplici conſanguinitatis nexu eſt conjunctus.*
33 *Si duo exiſtant in æquali gradu, inſpecto jure canonico eo in caſu quo jus canonicum ſit attendendum, & inſpecto jure civili alter ſit proximior, is eſt præferendus, & eſt communis opinio.*
34 *Duplex vinculum potentius juvat, cum duo vincula ſint fortiora uno.*
35 *Licet in hæreditate fratris præferatur frater utrinque conjunctus, tamen quando agitur de patris, ſeu matris hæreditate, omnes filii æqualiter admittuntur.*
36 *Quando tractatur de ſucceſſione feudi, non attenditur an aliquis frater ſit utrinque conjunctus.*
37 *In ſucceſſione majoratus, admittitur major frater ex uno latere conjunctus, & præfertur alteri minori fratri utrinque conjuncto.*
38 *An in Capellaniis attendatur proximitas ex ea parte, ex qua bona provenerunt, ſaltim eis in locis quibus viget forus Sepulvedæ, & numeris ſequentibus.*
39 *Filio mortuo relictis patre & matre, unuſquiſque parens admittitur ad ea bona, quæ filio ſui contemplatione provenerunt, ſecundum Bartolum communiter receptum; ſed contra* num. 43.
40 *Quoties concurrunt duorum patrimonia ſeu hæreditates ad diſtributionem fit ſeparatio bonorum, ut quiſque creditor ſolvatur ex ejus patrimonio cum quo contraxit.*
41 *Si unus habeat diverſas menſas, ſeu negotiationes diverſis locis in diſtributione bonorum fit ſeparatio, ut creditores ſolvantur ex bonis illius menſæ ſeu tabernæ, in qua depoſuerunt.*
42 *In relictis ſervo, cujus alter eſt uſus fructuarius alter proprietarius, attenditur cujus Domini contemplatione fuit ſervo relictum, idem de donatione facta conjugibus contemplatione unius, nam ei quæritur inſolidum.*
43 *Verius eſt parentes promiſcue admitti ad filii ſucceſſionem non habita conſideratione à quo bona provenerint.*
44 *Sed limita eis, in locis, ubi forus ſepulvedæ viget: nam tunc recipitur opinio Bartoli, de quæ ſupra* num. 39.
45 *Cum in Capellaniis non ſuccedatur jure hæreditario non eſt attendendus forus Sepulvedæ, qui ad hæreditatem vocat.*
46 *Inter conſanguineos ejuſdem gradus ille præfertur, qui eſt nominatus à fundatore.*
47 *Duobus vocatis præfertur primo nominatus niſi appareat de contraria voluntate* num. 49.
48 *Primo nominatus cenſetur prædilectus.*
49 *Limita, ſi appareat de contraria voluntate: nam voluntas potius quam verba attenditur.*
50 *Regulariter, ordo ſcripturæ, vel nominationis titulum confert prælationis.*

CAUSÆ



1 CAUSÆ autem prælationis inter litigan-
tes ſi per Capellanias, ſunt quæ ſequun-
tur; in primis ſcientia literati, namque
beneficiis ſunt honorandi, *cap. de multa in*
*fine de præbendis*, ubi comparantur ſublimibus
& rectè quia, ſapientes, & qui ingenio pollent
2 ſunt veluti dominatores aliorum, ſecundum Ari-
ſtotelem quem refert Rebuffus, *ad conſtitutio. Gal-*
*licas*, *titul. de ſalariis famulorum*, *gloſſ.* 2. *in*
*principio.*
3 Et cum literati ſint in quadruplici differentia,
nam aut habent ſcientiam eminentem, aut excel-
lentem aut mediocrem, aut ſufficientem, de quo
Rebuffus *in concordatis*, *titul. de regia ad Prælaturam nominatione*, *gloſſ. eminentis*, *Sylva nuptialis verbo*, *quomodo*, *judicandum*, *num.* 44. prout
quiſque habuerit gradum ſcientiæ eſt præferendus,
non tamen intelligas de gradu Doctoratus, ſeu li-
centiaturæ, quia ſæpe contingit, quod Bachalau-
reus præcedat in ſcientia Doctorem, & is erit præ-
ferendus, quia gradus non tribuit ſcientiam, imò
qui indigne aſſumit verecundiam patitur apud gra-
ves viros, non honorem, graves autem viri ſunt
ſapientiores, virtutibus, ac peritia præditi, ut di-
cit Rebuffus, *ubi ſupra verbo gravem.*
4 Nec mireris, quòd in primo loco ad prælatio-
nem inducendam ſapientes poſuerim, cum ut con-
ſtat ex multis Sacræ ſcripturæ locis ad officia & be-
neficia Eccleſiaſtica & miniſterium Dei ſemper præ-
ferebantur ſapientiores, ut habetur Geneſis *cap.* 41.
Eſdræ 4. *cap.* 3. *numero* 11. *& in* 1. *Reg. cap.* 15.
5 *&* 2. *Reg. cap.* 1. *& Actuum Apoſtolorum*, *cap.* 6.
Ignarus autem, & ſi in dignitate ſit conſtitutus,
viliſſimus habendus eſt, *cap. viliſſimus* 45. 1. *quæſt.* 1.
*& gloſſ. cap. cum in cunctis*, *verbo*, *multo fortius*,
*de electione*, & Ariſtot. *in* 3. *Æthicorum* dicit om-
6 nis ignorans malus, ex quo eſt quod literatus, eſt
præferendus nobili ignaro, nam qui admittuntur ad
miniſterium Eccleſiæ, & ſortem Domini, admit-
tuntur ad laborandum in vinea Domini, & is di-
citur dignior, qui eſt idoneior ad plebem inſtruen-
dam, ut tradit Sotus *de juſtitia*, *& jure*, *quæſt.* 6.
*artic.* 2. *argum.* 2. *verſ. hinc autem inſurgit*, ubi
inquit ſemper habendam rationem publicæ neceſſi-
tatis, & doctrinæ, ad quam nos Chriſti charitas
arctius aſtringit, & ſi dixeris, quòd Capellanus
non tenetur aliquem inſtrueret, adhuc dico, quòd
in quantum eſt Clericus, & ſic ſortis Dei ſi ſe offe-
rat occáſio fideles docere tenetur, quod ignarus ne-
quivit facere, cum nobilitas non ſuppleat literatu-
7 ram in Clerico, & ſic eſt contra, quia ſola literatu-
ra facit quem nobilem, tradit utrumque Felinus,
*cap. cum adeo*, *num.* 7. *&* 8. *de reſcriptis*, ubi re-
fert gloſſam, *cap. quoniam vetus* 24. *quæſt.* 1. de
8 electoribus Papæ, qui redarguti, quod elegerant
ignobilem, reſponderunt, Piſcatori, ſucceſſorem quæ-
rimus, non Auguſto, ad quod ex tex. *in cap. ve-*
*nerabilis*, 27. *de præbendis*, & defectus ſcientiæ
9 in beneficiato eſt magis deteſtandus, quàm homi-
cidium, Cerola *in practica Epiſcop.* 1. *part. verbo*
*beneficia*, *in verſ. ad quintum*, & Eccleſia Dei pro
ſui regimine eget literatis, Rolandus *conſ.* 47. *num.*
10 80. *vol.* 1. ubi idem de Regno, & quod literatus
ſit nobili preferendus, tradit ex aliis Staphileus,
*de literis gratiæ*, *titul. de prærogat. expecta*, §. *unde facio*, *numero* 6. *ubi numero* 7. *reſpondit ad cap.*
*de multa de præbendis*, quod loquitur de magna-
tibs, non de inferioribus nobilibus.



Deinde præferri debet pauper, Lambertinus *de* 11
*jur. patr.* 3. *part. lib.* 2. *art.* 3. 5. *quæſt. principa.*
Rochus de Curte *de jur. patr. verb. honorificum*,
*numero* 42. Guterreus, *cap.* 2. *numero* 13. qui om-
nes concludunt pauperem idoneum præferendum
diviti idoneiori, maximè ſi in ſtudiis conſumpſerint
patrimonium, ut contingit, authentica habita, *C.*
*ne filius pro patre*, ibi: *Amore ſcientiæ exules facti* 12
*de divitibus pauperes*, & præcipuè habebit locum,
ſi pauper ſit presbiter, nam ex quo jam ad hære-
ditatem, Domini eſt admiſſus, ut in *cap. duo ſunt*
*genera* 12. *quæſt.* 1. & tradit de Silva, *de benefic.* 4.
*part. quæſt* 2. *num.* 2. eſt illi tribuendum de patri-
monio Eccleſiæ, *cap. cum ſecundum Apoſtolum*, *de*
*præbendis*: alienum namque eſt à pia, rectaque re-
rum Eccleſiæ diſtributione, ut alter ſuperabundet
altero egente alimonia, cum quidquid habent Cleri-
ci pauperum ſit, *cap. quoniam quidquid* 16. *quæſt.*
1. & Divus Auguſtinus ſuper illud Jacobi, *cap.* 2.
*Nolite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, inquit non leve eſſe peccatum 13
eligere divitem relicto paupere inſtructiore, imò
& pauperi ſapienti & bene morigerato eſt dandum
præmium, quia Eccleſiaſtes *cap.* 10. habetur, quod 14
pauper propter ſcientiam & religionem gloriam adi-
piſcitur.
Ætas etiam eſt cauſa prælationis, *l. fin. ff. de* 15
*fide inſtrumentorum*, & faciunt quæ latè diximus,
*lib.* 1. *cap.* 7. & in noſtra ſpecie Capellaniæ tradit
Joannes Guterrius, *conſ.* 2. *numero fin.* & Cevallos
*quæſt.* 893. *communium contra communes*, *num.* 39.
& conducunt tradita à Lambertino, *de jure patr.*
*lib.* 2. 3. *part. articul.* 13. 5. *quæſt. princip.*
Præsbyter etiam præfertur cæteris paribus, non 16
ſacerdoti, quia dignior reputatur ad Capellaniam
Joannes Guterrius, *conſ.* 2. *numero* 22. *in finalibus*
*verbis.* Sed non ſemper præferri debet, nam ſi lo- 17
cus, ubi Capellania celebratur egeat præsbyteris,
erit præferendus alter oppoſitor ordinandus ad titu-
lum illius, ſi ibi habitator ſit, quia licet conſide-
ratis perſonis præsbyter in rei veritate ſit dignior,
tamen cum, ut ſupra diximus, ſit habenda ratio pu- 18
blicæ neceſſitatis, ad quam nos Chriſti charitas ar-
ctius adſtringit, ille eſt præferendus, de cujus
electione fideles illius loci, majus commodum ſen-
tient, ut in ſimili electione tradit Dominicus Soto,
*lib.* 3. *de juſtitia & jure*, *quæſtione* 6. *verſ. hinc*
*autem inſurgit*, *pag. mihi* 248.
Præfertur etiam originarius forenſi, ex multis 19
tradit Sel. 2. *part. de benefic. quæſt. fin. num.* 34.
*&* 35. Covarr. *practic. quæſt.* 35. *numero* 5. *&* 6.
Sotus, *lib.* 3. *de juſtitia & jure*, *quæſt.* 7. *artic.* 2.
Azevedus, *l.* 24. *tit.* 3. *lib.* 3. *Recop. num.* 23.
cum ſequentibus, Cevallos, *qu.* 893. *communium*
*contra communes*, Gomezius *regula de idiomate*,
*quæſt.* 1. Cerola *in praxi Epiſcopali*, *verbo*, *beneficium ad octavum*, *verſ. ſecundo debent*, qui plu-
ra in confirmationem referunt.
Et dicetur forenſis, qui eo loco natus non ſit, 20
ut ex aliis tradit Socin. Junior. *conſ.* 37. *num.* 8.
*vol.* 1. quod ſine dubio procedit ſi non commora-
tur loco celebrandæ Capellaniæ, ſed alibi domi-
cilium habet, ut tradit Guterrius, *conſ.* 7. *vol.* 3.
quinimò ſi eo naſcatur loco dum mater tranſiiſſet 21
itinerando, adhuc dicetur, forenſis ut cum com-
muni contra aliam communem defendit Cevallos,
*quæſt.* 448. *communium contra communes.*
Prælationis etiam erit cauſa, quod alter ex li- 22
tigantibus ſit præſentatus à patrono, Corneus *conſ.*

49. *numero* 9. *vol.* 3. & Cevallos, *dict. quæſt.* 693.
*num.* 28.

23 Sed etſi patronus variando duos nominaverit,
cæteris paribus præfertur primo præſentatus, quod
eſſe ſingulare tradit Decius, *conſ.* 541. *num.* 2.
Joannes Andr. *regula in jure communi*, *de regul.
juris in mercurialibus*, ſequitur Guterreus, *de ju-
rament. confirm.* 3. *pa*[illegible]. *cap.* 13. *num.* 5.

24 Præfertur etiam præſentatus à Patrono Clerico
Patronis diſcordantibus, Lamberti. *de jure patro-
natus*, *lib.* 2. 3. *part. quæſt.* 5. *princip. art.* 17. ex
quo præſentatus à Clerico pinguius jus cenſetur
habere in præſentatione, quia Clericus non poteſt
variare, ut ibi *num.* 5. & quia ejus vox dignior
eſt, Lambertinus, *eo tractatu lib.* 3. 10. *quæſtione
princip. num.* 28. & in ea quæſtione latè de differen-
tiis Patroni, laici & Clerici.

25 Sed & præſentatus à maſculo præfertur præſen-
tato à fœmina, Lambertinus ubi ſupra, *artic.* 19.
quia vox maſculi præfertur, Salazar *de uſu & con-
ſuetudine*, *cap.* 12. *num.* 26. & in ſpecie Tiraquel-
lus, *poſt leges Connub. gloſſ.* 9. *num.* 6.

26 Et ſi alter ex patronis ſit conſanguineus fundato-
ris, ab eo præſentatus præfertur, quia habenda eſt
ratio neceſſariarum perſonarum, *l. Imperator*, 61.
*ff. de pactis*, prout & diſcordantibus teſtamentariis
27 vox teſtamentarii conſanguinei præfertur, Rolandus
*conſ.* 16. *num.* 45. *volum.* 3.

28 Et præſentatus à pupillo præfertur præſentato à
tutore, gloſſa, *verb. ſuffragium in cap. ex eo*, *de
electione lib.* 6. & Lambertinus, *de jure patronatus*,
*lib.* 2. 3. *part. quæſtione* 6. *princip. in principio*, Ay-
mon, *conſ.* 76. *num.* 2. Tiraqu. poſt leges Connub.
*gloſſa* 9. *num.* 6. Gamma, *deciſ.* 14.

29 Sed an præſentatus ab uxore, præferatur præ-
ſentato à viro, & Lambertinus, *dict. qu.* 6. inquit
locum eſſe præventioni, quem refert Tiraqu. *poſt
leges Connub. gl.* 9. *num.* 10. in qua gloſſa uſque in
finem latè tractat, an jus patronatus tranſeat in vi-
rum, ita ut ipſe præſentet, & refert contrarias opi-
niones, & tandem relinquit cogitandum. Sed do-
ctiſſimus Barboſa, *l. divortio*, §. *ſi vir*, *num.* 56.
*ff. ſoluto matrimonio*, tenet tranſire jus præſentandi
in maritum, & hanc dicit veriorem & communio-
rem ſententiam, ex quo præſentatio eſt in fructu,
licet non ſit ad onera matrimonii ſuſtinenda, cum
regula ſit generalis omnes fructus pertinere ad ma-
ritum, *l. pro oneribus*, *C. de jure dotium*, & hanc
opinionem ſequitur Parladorius *lib.* 3. *differentia*
120. *num. fin.* & contrariam opinionem inquit Bar-
boſa *ubi ſupra*, tantum procedere in jure patrona-
tus, per ſe ſubſiſtente, non adhærente bonis ſeu
annexo alicui univerſitati, quod neque in mari-
tum, neque in uſufructuarium tranſire poteſt ſine
licentia Epiſcopi, capite illud, de jure patrona-
tus, & eo caſu maritus non poterit præſentare, ut
tradit Spino *de teſtament. gloſſ.* 4. *num.* 112. Si tamen
jus patronatus ſit in univerſitate bonorum etiam
ſine licentia Epiſcopi tranſit, *cap. ex literis*, *de jure
patr.* modo non principaliter, ſed acceſſoriè ejus
fiat mentio, ut per dictionem, cum communem
dicit Cabedus, *de patron. Regiæ Coronæ*, *cap.* 3.
*num. fin.* & ſic poterit maritus præſentare, Barboſa
*ubi ſupra*. Ex quibus colliges, quod vir debet præ-
ſentare cum in eum tranſierit jus patronatus cum
univerſitate bonorum ſibi in dotem data, uxor au-
tem quando jus patronatus ſeorſim, & per ſe ſub-
ſtiterit non adhærens univerſitati.

30 Præfertur etiam præſentato à filio familias, præ-
ſentatus à patre, Joannes Delphinatus, *de jure pa-
tronatus*, *num.* 104. cum pater ſit uſufructuarius.

Sed an Canoniſta ſit præferendus Theologo, 31
communis diſtinctio eſt in hunc modum, quod ſi
eo in loco, ubi inſtitutio ſit ſeu vicino pullulant
hæreſes Theologus præferatur, ſin autem Canoni-
ſta. Itaque Canoniſta regulariter præferri debet
Theologo, ſecundum Lumbert. *de jure patrona-
tus*, *lib.* 2. 3. *part. quæſtion.* 5. *princip. art.* 12. &
*quæſt.* 5. *articul.* 21. *verſ.* & hæc magis idoneitas,
Selvam *de beneficio.* 3. *part. quæſt.* 54. ubi quod Ca-
noniſta ex ſolis Canonibus poteſt elegantem ſermo-
nem formare, Marcus Anton. Cuchus, *lib.* 4. *inſti-
tutionum majorum*, *titulo primo*, *numero* 125. &
126.

Et conſanguineus præfertur extraneo, gloſſ. *in
cap. neminem* 70. *diſtinctione* Lamberti. *de jure
patronatus lib.* 2. 3. *part. quæſtion.* 5. *artic.* 6. *num.*
1. *in fine*, & *articul.* 4. *numero* 5. & 12.

Sed & non immerito inter conſanguineos exiſten- 32
tes in eodem gradu ille præferri debet, qui duplici
conſanguinitatis nexu eſt conjunctus, *authent. de
conſanguineis*, & *uterinis fratri collatione* 6. *authent.
itaque*, *C. communia de ſucceſſio. authent. ceſſante*,
& *auth. poſt fratres*, *C. de ſuis*, & *legitimis hæred.*
Duplex enim conjunctio operatur prælationem,
licet gradu non præcedatur: Alexander Raud. *conſ.*
1. *num.* 95. & 97. ubi ponit doctrinam Bartoli 33
communiter receptam ad hoc, quod ſi de jure ca-
nonico ſint duo in æquali gradu, eo in caſu, quo
jus Canonicum eſt attendendum, & alter ſit pro-
ximiòr inſpecto jure civili, is ſit præferendus, idem
Socinus, *conſil.* 89. *num.* 5. *vol.* 4. Tiberius Decia-
nus, *conſ.* 71. *numero* 7. *vol.* 3. Et duplex funiculus 34
potentius juvat, quia duo vincula ſunt fortiora
uno, *cap.* 1. ubi gloſſ. *de tregua & pace*, *l.* 1. *ff.
de privilegiis credito.* §. *ſed hodie*, *inſtituta de
adoption.* plura refert Raudenſis *conſ.* 14. *nume-
ro* 91. & Eccleſiaſtes, *cap.* 4. & adde, quòd
hæc qualitas duplicis conjunctionis ad præla-
tionem conſideratur in capellaniis, etiam ultra fi-
lios fratrum; nam in capellaniis, ille præfertur qui
præſumitur magis dilectus à fundatore, ut ſentit
Cevallos, *quæſt.* 693. *num.* 13. *communium contra
communes*, & nos dicimus *infra num.* 47. & 48.
& eſt magis dilectus, qui habet duplicem conjun-
ctionem, ut dicit Alex. Raudenſis, *conſ.* 1. *numero*
95. & cum hæc ratio Ulterius procedat nimirum,
ſi conſideretur, etiam ultra filios fratrum, & quod
dicunt Doctores *in authentica ceſſante*, *C. de legiti-
mis hæred.* & Matienço, *l.* 5. *gloſſ.* 1. *numero* 8.
*tit.* 8. *lib.* 5. *Recop.* procedit in repræſentatione ad hæ-
reditatem, in qua ad filios fratrum voluit *l. ſe re-* 35
*ſtringere*, licet ſecus eſſet ſi ageretur de hæreditate pa-
tris ſeu matris: nam tunc æqualiter admitterentur
filii, Petrus Surdus, *conſ.* 72. *n.* 6. Craveta, *conſ.* 34.
Alex. *conſ.* 30. 1. *dub. vol.* 2. quos & alios refert
& ſequitur Peregrinus, *de fideicom. art.* 20. *numero*
12. & *ſequentibus*, dicens communem eſſe opinio-
nem, & eſt ratio, quia affectio teſtatoris ad om-
nes filios par eſt, ut dicit, Aymon *conſilio* 43.
*numero* 1.

Sed & quando tractatur de ſucceſſione feudi non 36
autem attenditur an aliquis frater ſit utrinque
conjunctus, ſed an ſit conjunctus ex illa parte,
ex qua fundum defertur, Bald. *l.* 1. *C. de ſuis &
legiti. hæredibus.*

Et in majoratibus, quia fratre mortuo alter æ-
rate major admittetur, licet ex uno ſolo latere, & 37
præfertur



præfertur fratri minori utrinque conjuncto. Ita tra-
dit Gregorius Lopez, *l.* 5. *titul.* 13. *part.* 6. *gloſſ.
finali in fine*, quem ſequitur Parlador, 3. *parte*,
*differentia* 24. §. 1. *numero* 8. & per hoc limita,
quod in fideicommiſſo à patre communi inducto,
tradit Petrus Cevallus, *conſ.* 60. *num.* 2. *de præfe-
rendo*, *utrinque conjuncto.*

38 Sed an in his capellaniis attendatur proximitas ex
ea parte, ex qua bona proveniunt, & ſic non conſi-
deretur, quod quis ſit utrinque conjunctus, vel
alius conſanguineus duplici conſanguinitatis vincu-
lo nexus, ſaltem in eis locis, ubi viget forus Sepul-
vedæ qui habet quod bona redeant ad truncum,
& videmus quod in hæreditatibus aliquando habe-
tur talis conſideratio, nam Bart. *in authentica*, *ita-
que numero* 2. *C. communia de ſucceſſio.* & *in l. poſt
dotem in fine*, *ff. ſoluto matr.* tenet mortuo filio ab
39 inteſtato relictis patre & matre ad hæreditatem tri-
buendam, fieri ſeparationem bonorum, ita ut pater
admittatur ad bona quæ filio obvenerunt contem-
platione patris, mater autem ad bona quæ filius
ſua parte acquiſivit, in quo Bart. eſt communiter
receptus, ut tradit plures referens Doctores, The-
ſaurus *deciſ.* 27. ubi eam ſequitur, quem etiam
(dicens merito magis communiter approbatum)
ſequitur noviſſimè Alexander Rauden. *conſ.* 4. *num.*
40 12. ad cujus opinionem conducit titulus, *ff. de
ſeparationibus bonorum*, quo juvetur fieri ſepara-
tionem patrimoniorum & hæreditatum, ut ſolvan-
tur creditores & legatariis ex illius hæreditate cum
quo contraxerunt, vel à quo legata relicta ſunt,
41 uti etiam contingit in bonis hebentis diverſas taber-
nas & negotiationes ſeparatas: nam earum ſit ſepa-
ratio, ut creditores ſolvantur ex bonis ejus negotia-
tionis ſeu menſæ cujus contemplatione contraxe-
runt, de quo Magonius, *deciſ. Lucen.* 1. *numero*
5. & *n.* 10. & *ſequentibus*, Ancharranus, *conſ.* 184. &
*conſ.* 332. *n.* 4. & 5. Paul. Caſtr. *conſ.* 287. *num.* 4.
*volum.* 1. Vincentius de Franchis, *deciſ.* 70. *num.*
2. & conducit, *l. ſi ſervi.* 25. *ff. de uſufructu*, ubi
42 attenditur cujus domini contemplatione acquiſivit
ſervus, cujus alter habet proprietatem, alter uſum-
fructum, Ayora *de partitionibus*, 1. *part cap.* 8.
43 *num.* 19. ubi de donatione facta alterius conjugis
contemplatione, ſed Bald. *in authentica defuncto*,
*C. ad Tertullianum*, quem ibi ſequuntur Salicetus,
& Fulgoſius, tenet nullam eſſe inter patres facien-
dam differentiam, ſed promiſcue admittendos,
cujus opinionem ſequuntur plures, quos refert Co-
varr. *tit. de ſucceſſionibus ab inteſtato*, *nu.* 2. *verſ.*
verum enim verò, ubi dicit falſam doctrinam Bar-
toli, & Baldi ſequendam in praxi, quæ & proba-
tur, *l.* 4. *titul.* 3. *part.* 6. & *l.* 6. *Tauri*, quibus
ſine diſtinctione admittuntur parentes ad filii ſuc-
44 ceſſionem, licet fateatur Bartoli ſententiam ſervari
debere eis in locis quibus viget forus Sepulvedæ,
quod bona redeant ad truncum, ut dicit *dict. l.* 6.
*Tauri*, de quo foro latè Velazquez de Avendaño,
*dict. l.* 6. *gloſſ.* 11. *per totam.*

45 Tamen cum in Capellaniis non ſuccedatur jure
hæreditario, *cap. Apoſtolica* 8. *quæſtionum* 1. Lam-
bertinus, *de jure patronatus*, *lib.* 2. 3. *part. quæſt.*
5. *princip. artic.* 4. *num.* 3. non eſt attendendus fo-
rus qui ad hæreditatem vocat.

46 Et inter conſanguineos præfertur nominatus à te-
ſtatore, *l. cum ita*, §. *in fideicomm. de legat.* 2.

47 Et duobus nominatis præfertur primo nominatus
ordine literæ, *l. quoties*, *ff. de uſufruct.* ibi: *Si
quidem ita legatus fuerit Titio*, & *Mevio poteſt
dici prius Titio*, *deinde Mevio legatum datum*, *l.
generaliter*, §. *quid ergo*, *ff. de fideicomm. libertat.*
ibi, *Et fortaſſis*, *quis rectè dixerit*, *ordinem ſcriptu-
ræ ſequendum*, *l. cum pater*, §. *à te peto*, *de leg.* 2.
ibi: *Non eſſe datam electionem*, *ſed ordine ſcripturæ
factam ſubſtitutionem*, Goveanus, *lib.* 1. *lect. cap.*
8. *in fine*, Anton. Gomez. 1. *tom. cap.* 2. *num.* 4.
*verſ.* 2. facit Peralta, *l. ſi quis in principio teſta-
menti*, *num.* 155. *de leg.* 3. Nam primò nominatus, 48
cenſetur magis dilectus, *l. Publius*, §. 1. *ff. de
condit. & demonſtr.* Aymon. *conſ.* 161. *num.* 5. Cor-
neus *conſ.* 304. *num.* 14. *vol.* 3. Caldas, *de nomina-
tione emphyteuſium*, *quæſt.* 10. *num.* 38. Mieres *de
majoratibus*, 1. *part. qu.* 2. *num.* 41. & 2. *part. in
initio num.* 34. Cephalus, *conſ.* 46. *num.* 34. & 37.
*vol.* 1. Tiraqu. *de primogen. qu.* 40. *numero* 31. & 33.
& 92. Molina, *lib.* 2. *de primogen. cap.* 11. *num.* 49
36. quod limita ſi appareret de contraria voluntate
fundatoris, eo enim caſu non eſſet attendendus
ordo literæ, Bartol. *l.* 2. §. *prius*, *num.* 7. *ff. de
vulgari*, plures refert Peralta *ubi ſupra*, *num.* 158.
& eſt text. *in cap. authoritate*, *de conceſſione præb.
lib.* 6. & *cap. penult. de præbend. eo lib.* nam volun-
tas teſtatoris ſervanda eſt, licet recedatur à verbis,
Tiberius Decianus, *conſ.* 3. *num.* 45. *vol.* 1. *l.* 3. §.
*conditio. ff. de adim. legat.* ibi: *Sed melius eſt ſen-
ſum magis quam verba amplecti.* Regulariter tamen 50
ordo ſcripturæ, vel nominationis titulum confert
prælationis. Philipp. Prob. in addictio. ad Joann.
Monach. *in cap. eum qui*, *de præb. in* 6. *num.* 7.
dominus Molina de Medrano (olim Indiarum Se-
natus, & Cameræ hodie Supremi Caſtellæ, & me-
ritiſſimè) in ſua allegatione Viceregis extranei, in
Regno de Aragon, *num.* 83.

## CAPUT IV.

### De præferendis nobilibus in Capellaniis, & an licitum ſit fundatori apponere conditionem nobilitatis, & puritatis, ſanguinis, ejuſque probatione, in quo multa enucleantur utilia pro examine informationum de genere admittendorum in Eccleſiis, & Collegiis, confraternitatibus, & aliis congregationibus, & officiis requirentibus qualitatem ſanguinis?

*SUMMARIUM.*

1 *In ſpiritualibus habetur ratio nobilitatis*, & *ſic nobiles præferuntur in beneficiis*, & numero 10.

2 *Licita eſt conditio fundatoris*, *quod Capellanus eligendus ſit ex nobili genere*, *vel purus à macula Judæi*, *Mauri*, & *aliis ſimilibus.*

3 *Sacrilegus judicatur*; *qui diſputat de factis Romanorum Pontificum & Regum.*

4 *Expenduntur loca ſacræ ſcripturæ in confirmationem hujus conditionis*, *qualitatis*, *ſanguinis & ſtatutorum.*

5 *Expenduntur alia loca ſacræ ſcripturæ pro facienda informatione qualitatis patris*, & *avi.*

6 Inter ignotos & Neophytos quotidie inveniuntur viri inſignes, & virtute præditi.
7 Melchiſedech Rex Salen fuit Sacerdos Dei altiſſimi, qui protulit Abrahæ panem & vinum, & de eo inquit Paulus Apoſtolus, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia.
8 Evariſtus Papa fuit ex patre Judæo.
9 Non ita præſumitur pro moribus deſcendentium à Neophytis, quam ab aliis puri ſanguinis.
10 Doctores communiter tenent licita eſſe ſtatuta communitatum requirentia qualitatem ſanguinis.
11 Cum longinquitate temporum origo non pateat in probatione generis ſufficit teſtimonium de auditu, etiam puro, & ſine redditione rationis.
12 Intelligitur text. in cap. licet ex quadam, de teſtibus.
13 Declaratur conſilium Ancharrani 52. & conſilium Alexand. 82.
14 Per teſtimonium de auditu probatur, quod quis deſcendat ex Judæis, & Mauris, ſeu ex aliis infectis.
15 Probatio de auditu, ubi is contra quem datur eſt in contraria poſſeſſione, nihil operatur.
16 Auditus nihil probat, etiam in antiquis contra eum qui de præſenti poſſidet, quia repugnat præſens ſtatus.
17 Limita ut procedat reſpectu illius ſtatuti in quo jam eſt admiſſus is contra quem habetur probatio de auditu vel ejus conſanguinei ex illa parte, ex qua ei macula adſcribitur.
18 Uno ex fratribus pronuntiato nobili, cæteris hoc ſufficit, & omnium eadem eſt cauſa, limita ut ibi.
19 Admiſſio alicujus tanquam puri ſanguinis in uno loco ſtatuti non præjudicat aliis, licet aliqualem præſumptionem faciat.
20 Licet res inter alios acta, aliis noceat, tamen aliquale præjudicium operatur.
21 Si quis fuerit declaratus puri ſanguinis à Romano Pontifice, ſeu Rege in ſententia cum cauſæ cognitione, non ſolum litigantibus, ſed aliis præjudicabit.
22 Dicens ſe talem, debet probare ſe talem.
23 Qualitas quæ reſpicit habilitatem perſonæ, eſt probanda ab eo, & magis dicitur ſubſtantia, quàm qualitas.
24 In ſtatutis Eccleſiarum, Collegiorum, & confraternitatum requirentium qualitatem ſanguinis, pars non producit teſtes, nec citatur ad eorum examinationem.
25 Probatio qualitatis ſanguinis eſt habenda in loco originis.
26 Plus creditur vicinis, quàm extraneis.
27 Quilibet poteſt ſe ſubmittere probationi imperfectè, & ſic valet hæc probatio parte non citata.
28 Invalida probatio, conſenſu partis poteſt validari.
29 Valet pactum, quod ſtetur juramento partis.
30 Proviſio hominis facit ceſſare legis proviſionem.
31 Si ex juramento delato per pactum pars nimis præjudicaretur, poterit offerre & dare probationem in contrarium.
32 Veritas ſemper una eſt, & geſtorum erroribus non immutatur.
33 Si quis nominavit certos patres ſeu avos, poterit poſtea conſtito de errore alios nominare, ut de eorum genere fiat probatio, & num. 54.
34 Humiles frequenter ignorant ſuos aſcendentes.
35 Quoties res eſt in obſcuro, eſt dandus favor probationibus.
36 Dubia ſemper ſumenda ſunt in favorem inquiſiti.
37 Expoſiti ſunt incapaces officiorum Sanctæ Inquiſitionis, Eccleſiarum, collegiorum, & confraternitatum.
38 Qualitas requiſita ab ſtatuto, vel per conditionem, non ſufficit quod adſit præſumptivè.
39 Expoſiti in quibus ſtatutis admittentur.
40 Statuta hujuſmodi ſunt juri contraria, & ſic reſtringenda.
41 Statuta tantum diſponunt quantum loquuntur.
42 Quid erit ſi in loco originis non ſit memoria aſcendentiæ inquiſiti.
43 Conjunctio probationum diverſorum locorum fit ad eruendam veritatem.
44 Pluribus concurrentibus diverſi generis reſultat plena probatio.
45 Quid erit ſi in loco habitationis patris, & avi, inquiſiti neſciatur, an ſint naturales; & in loco quem inquiſitus dixit eſſe originem, ignoretur ſua aſcendentia, & numeris ſequentibus.
46 Sola nominis ſimilitudo, ſive nominatio non ſufficit ad confirmandam cujuſque originem, licet aliquid operetur.
47 Argumentum originis ſumitur à nomine appellativo.
48 Habitatio, & nominatio, ſimul faciunt præſumere originem.
49 Denominatio ſumitur à proximiori cauſa.
50 Quid ſi inquiſitus ejuſque pater, aut avus fuerint bene reputati in loco habitationis, ignoretur tamen, an avus ibi natus fuerit, vel ſit forenſis, & numeris ſequentibus.
51 Quilibet præſumitur eſſe illius civitatis, ſeu loci in quo invenitur, niſi alienigenam eſſe probetur.
52 Qualitatem requiſitam per ſtatutum ſufficit probare ea probatione, quam jus admittit caſu difficili.
53 Præſumptiones juris ſunt liquidiſſimæ probationes, maxime ubi res eſt difficilis probationis.
54 Attenditur, quod veriſimilius eſt, non obſtante quacumque confeſſione in contrarium facta.
55 Probationes ſunt arbitrariæ.
56 Qui de fama periclitatur, dicitur periclitari de vita.
57 In his probationibus rerum antiquarum ſcripturæ prævalent teſtibus, licet enunciativè loquantur.
58 Hiſtoriæ, & Chronicæ antiquæ præferuntur etiam teſtibus vivis.
59 Contrariorum eadem eſt diſciplina.
60 Quid ſi ſint plures teſtes deponentes inquiſitum eſſe puri ſanguinis, & pauci contrarium an per pauciores repellatur.
61 Pars negativa fundatur juribus dicentibus, quod per ampliores homines perfectiſſima veritas rebellatur, ſed contrarium defendit author contra Ojeda, numeris ſequentibus.
62 Commiſſarius deputatus per communitatem ad faciendam informationem prætendentis facit in locum partis, & ſic pars videtur producere teſtes.
63 Diſcutitur an ſit verum teſtem probare plene contra producentem, & reſolvitur negativè, & numeris ſequentibus.





64 Quando pars producit teſtes publicatos, quorum dicta ſibi ſunt nota probant contra producentem.
65 Si pars producit teſtes, ut examinentur, licet approbet perſonas teſtium non cenſentur approbare dicta.
66 Inquiſitus in noſtra ſpecie, non cenſetur approbare perſonas teſtium, quos Commiſſarius examinat, & ſic poteſt contra eos opponere.
67 Hiſpani ſunt deſcendentes Gentilitiæ gentis.
68 Gentiles Hiſpaniæ receperunt fidem ſtatim, quod Apoſtoli & Diſcipuli prædicaverunt.
69 Hiſpani omnes reputantur Chriſtiani veteres, cum potius ſit ſumenda conjectura à naturali totius Regni progenie, Gentilitiæ gentis, quàm à introcluſa per aliquos converſos ex Judeis, & Mauris.
70 Cauſa naturalis accidentali prævalet, cum earum inter ſe effectus pugnant.
71 In cognitione cujuslibet rei non accidens, ſed natura ipſa expectanda eſt.
72 Quando ſunt teſtes deponentes inquiſitum deſcendere ex Judæis ſeu Mauris modo ſufficientem rationem reddant ſiniſtra opinio infertur inquiſito, & ſic non eſt integræ opinionis.
73 Bonus dicitur ex integra cauſa, malus ex quocunque defectu.
74 In cauſa nobilitatis vulgo, Hidalguia, ſtatur majori numero teſtium, & cum nullus præſumatur natus cum qualitate non notatur per contrarios teſtes.
75 Res judicata pro veritate accipitur, & vincula ſanguinis mutat.
76 Ut dicens alterum plebeium puniatur, requiritur ſcientia nobilitatis, & dolus, ex quo affirmans illum plebejum habet pro dicto præſumptionem juris.
77 Appellans aliquem converſum ſola probatione dicti punitur, abſque eo, quod injuriatus contrarium probet, cum habeat præſumptionem, pro ſe, quod ſit gentilitiæ gentis.
78 Alia ratio, quæ aſſignatur, ut per pauciores teſtes excludatur inquiſitus eſt, quod ii affirmant alii negant, quod oſtendit author numeris ſequentibus.
79 Plus creditur duobus teſtibus affirmantibus, quam mille negantibus, & num. 82.
80 Negativa non ita ſe offert ſenſui ſicut affirmativa.
81 Teſtis qui deponit de negativa, quæ non cadit in ſenſum corporeum, nihil dicit cum removeat ſenſum ab actu.
82 Teſtes deponentes contra inquiſitum, affirmant vidiſſe, vel audiviſſe, & ſic non removent ſenſum ab actu.
83 Teſtes deponentes de negativa, quæ cadit in ſenſum corporeum probant, ut ſi negativa ſit finita & coarctata loco, & tempore, rebus & perſonis & ponitur exemplum in noſtra ſpecie.
84 Quando fundamentum intentionis alicujus conſiſtit in negativa ipſe eam probare debet.
85 Negans ſolutionem ſibi factam, non tenetur probare.
86 Prætendentes admitti in locis, ubi adſunt dicta ſtatuta, debent probare negativam (hoc eſt) non eſſe maculatos, tanquam fundamentum ſuæ intentionis & talia ſtatuta non comprehendunt penſionem habentes.
87 Approbatus tanquam puri ſanguinis ad unam præbendam, ſeu Capellaniam, ſi eam reſignaverit & poſtea velit admitti ad eandem Capellaniam, ſeu præbendam, an debeat iterum probare?
88 Qui renuntiavit Capellaniæ poteſt ex novo titulo petere collationem illius.
89 Rei ſatis demonſtratæ, aliquid declarationis addere fruſtra eſt.
90 Si inquiſitus prætendens excludatur viſis informationibus, quia non ſatisfacit requiſitis per ſtatutum poteſt petere, ut iterum fiat probatio ſuæ qualitatis, & quare.
91 Sententia lata in judicio ſummario, nunquam præſtat exceptionem rei judicatæ.
92 Probatio facta à Commiſſario Capituli, Collegii, ſeu confraternitatis licet non ſit coram perſona publica, fidem facit.
93 Scriba confraternitatis creditur in rebus pertinentibus ad confraternitatem.
94 Commiſſarius nominatus à communitate ad faciendam inquiſitionem qualitatum poteſt recuſari.
95 An ſufficiat qualitas privilegiativa, ut quis admittatur in his locis ſtatutorum?
96 Expenditur pro parte affirmativa, l. cum ex oratione, ff. de excuſationibus tutorum.
97 Paria ſunt ineſſe alicui qualitatem per naturam, ac ineſſe per privilegium.
98 Quando caſus verus & fictus ſunt æqualis æquata eſt juris diſpoſitio.
99 Juſſus contrahere cum nobili ſub amiſſione majoratus, adimplet ſi contrahat cum nobili ex privilegio.
100 Paria ſunt aliquem eſſe talem, vel haberi pro tali.
101 Æquiparatorum idem eſt judicium.
102 Licet Princeps non poſſit tollere jura ſanguinis, poteſt concedere ignobili, quod gaudeat prærogativis nobilium legibus civilibus.
103 Princeps, etſi ſit ſub pedibus juris naturalis, tamen eſt caput juris civilis.
104 Nobiles ex privilegio, an poſſint habere inſignia militaria, vulgo habitos?
105 Expenditur, l. 6. tit. 27. par. 1. pro prædicta parte affirmativa.
106 Verius eſt privilegiatos non eſſe admittendos ad officia Sanctæ Inquiſitionis, nec ad inſignia militaria nec in Eccleſiis, collegiis, ſeu confraternitatibus ſtatutorum, & numeris ſequentibus.
107 Quando per ſtatutum requiritur qualitas, intelligitur de naturali, non ficta.
108 Licet excludatur caſus fictus, admittetur tamen præſumptus.
109 Ubi vera cauſa requiritur ad ſubſtantiam actus, non ſufficit eam habere pro ſubſiſtente.
110 Spurii nati ex nobilibus parentibus, ſi legitimati fuerint, admittuntur in ſtatutis requirentibus nobilitatem ſanguinis.
111 Res de facili revertitur ad ſuam naturam.
112 Si in loco, ubi celebratur Capellania, non inveniantur habentes qualitatem ſanguinis requiſitam exteri quærendi ſunt.
113 Et quid ſi fundator vocaverit originarios, & numeris ſequentibus.
114 Qualitas requiſita, per verba negativa, eſt prius attendenda, quàm requiſita verbis affirmativis.
115 Ex conditione fundatoris, ſumitur conjectura voluntatis ejus.

116 *Nullus præſumitur abhorruiſſe à qualitate ſua.*
117 *Si fundator fuerit originarius loci, ubi celebratur Capellania, & puri ſanguinis, ſumitur conjectura voluntatis ex factis, & dictis per eum in vita.*
118 *Ex conſuetudine cujuſque interpretantur ejus geſta, & verba.*
119 *Chriſtiani veteres, non poſſunt humiles & viles appellari, licet ex pauperibus parentibus nati fuerint cum eis pateant portæ dignitatum, quæ clauduntur maculatis.*
120 *Ob paucitatem Clericorum admittuntur non habentes qualitates requiſitas à fundatore, ſecundum Spinum.*
121 *In officiis publicis ob penuriam nobilium, ignobiles admittuntur.*
122 *Examinatio informationum debet fieri ſecretè.*
123 *Cartulæ porrectæ ſecretè narrando adverſa de qualitatibus inquiſiti, quid operentur.*
124 *Per ſcripta affixa Eccleſiis (vulgo Sambenitos) ſit probatio contra inquiſitum.*
125 *Ædes committentium delictum læſæ majeſtatis humanæ, devaſtantur, & aratro inducto, ſale aſperguntur: & de origine & ratione.*
226 *Nomina punitorum ob crimen hæreſis, & qualitas delictorum adſcribuntur, & ponuntur affixa in Eccleſiis, in linteaminibus (vulgo Sambenitos.)*
127 *Longè pejus eſt offendere æternam, quàm temporalem majeſtatem.*
128 *Delicta læſæ majeſtatis divinæ, & humanæ, æquiparantur, quoad pœnam.*
129 *Linteamina, (vulgo Sambenitos) ferenda cum Cruce, quare dentur hæreticis reconciliatis, & ibi, de media Cruce, & quibus apponatur.*
130 *Quando pœnitentes ſint juriſdictionis Inquiſitorum.*
131 *Nomen maternum aſſumentes, non omnino ſunt reprehendendi.*
132 *Nobilitas patris per matris nobilitatem fit illuſtrior, ſplendidior, & clarior: congruit tamen filio nomine paterno appellari.*
133 *Nomen & cognomen mutare poteſt quis ad libitum, modo fiat ſine fraude.*
134 *Nomen nobilium, non poſſunt ſibi aſſumere maculati, ne confundatur eorum deſcendentia in nobilium præjudicium, idem de armis.*
135 *Ex malo nomine ſiniſtra ſuſpicio infertur.*
136 *Qualitas cognoſcitur ex nomine.*
137 *Vilitas arguitur ex nomine.*
138 *Nomen bonum, bonam affert opinionem.*
139 *Nomen proprium, non ſufficit ad probandam identitatem perſonæ, ſed requiruntur duæ demonſtrationes.*
140 *Indi & Æthiopes recenter converſi ex Gentilibus, an ſint admittendi in locis ſtatutorum?*
141 *Statutum inhabilitans filios, & deſcendentes hæreticorum reconciliatorum, an comprehendat filios & deſcendentes eorum, qui ſua ſponte (abſque accuſatione, & inquiſitione) reconciliati fuere tempore gratiæ?*
142 *Teſtis interrogatus de auditu, & fama, tenetur reſpondere, & dicere, quod à quocumque audierit, & ſi ſibi videatur non eſſe famam.*

1 NObilis etiam cæteris paribus præferri debet, in ſpiritualibus enim habetur ratio nobilitatis, gloſſ. *in cap. ultim. verbo, nobilitati, de pœnis*, ubi quod præferantur in beneficiis per *cap. non ſatis, verſ. item conſideranda eſt 86. diſtinctione, gloſſ. in l. ſocietas contrahitur*, ubi DD. qui illam notant, *ff. pro ſocio*, quæ tenet, quod ad adipiſcendos Canonicatus æquiparantur nobiles & literati, & ſic nobilitas eſt cauſa prælationis in beneficiis, tradit plures referens Tiraq. *de nobilitate, cap. 20. numero* 10. & 11. & plura congerit Cevallos, *quæſt.* 693. *num.* 32. *cum ſeqq.* & quod nobilitas ſanguinis in ſpiritualibus & beneficiis ſit conſideranda tradit Felin. *cap. cum adeo, num.* 6. de reſcriptis, Cabedus, *deciſ.* 73. *part.* 2. *num.* 8.

2 Ex quo infero licitam eſſe conditionem, quòd Capellanus præſentandus, ſeu eligendus ſit ex nobili genere, vel purus à macula Judæi, & Mauri, vel aliis ſimilibus, & licet hoc tam notoriè ſit verum & rationi conſentaneum, ut non egeat comprobatione juvatur, ex eo quod Romani Pontifices multis ab hinc annis aſſuevere concedere bullas, confirmando ſtatuta Eccleſiarum Cathedralium, Collegiorum, Confraternitatum, quibus ordinatur, ne admittatur ad præbendas & collegiaturas, nec in confratres, niſi qui fuerint puri ſanguinis, & ſervantur à ſacra Rota, ut videre eſt *deciſ.* 120. 3. *part. lib.* 2. & 259. & 328. & 491. 3. *part. lib.* 3. in noviſſimis. Quis tamen tam ſacrilegus erit, qui de his factis Sanctorum Patrum audeat diſputare inſtar ſacrilegii, hoc judicatur à
Jureconſulto, *l. 2. C. de crimine ſacrilegii*, Roxas, 3
*de ſucceſſionib. cap.* 23. *nu.* 67. Mieres *de major.* 4. *part. quæſt.* 1. *num.* 9. Aymon, *de antiquit.* 1. *part. in princ. numero* 38. & *conſ.* 293. *numero* 3. & Hiſpaniæ adeſt lex Regia, 22. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recop.* quæ hujuſmodi ſtatuta confirmat, & ſervari jubet, & ultra authoritatem confirmationis ſtatutorum licitam eſſe conditionem generis monſtravimus multis ſacræ Scripturæ, (tum veteris tum novi teſtamenti) authoritatibus.

4 Et in primis habetur Tobiæ, *cap.* 5. Tobiam ſeniorem inquiſiſſe de generatione & aſcendentia juvenis, ut filium ejus comitaretur (ignorabat eſſe Angelum) ibi *Rogo te indica mihi, de qua domo? aut de qua Tribu eſt cui Raphael Angelus dixit: Genus quæris mercenarii, an ipſum mercenarium, qui cum filio eat? ſed ne forte ſolicitum te reddam, ego ſum Azarias Ananiæ magni filius: & Tobias reſpondit: De magno genere es tu, ſed peto ne iraſcaris, quod voluerim cognoſcere genus tuum*, (advertam ergo ſcrutantes generationes alienas quòd iraſcuntur contra eos homines, & odio perſequuntur illos: ideo Tobias rogavit Juvenem ne iraſceretur.) Et *Reg.* 1. *cap.* 17. ad finem legitur de Inquiſitione, quam Saul Rex fecit de genere, & ſtirpe Davidis, qui futurus erat ejus gener, ut conſtat ex textu, ibi, *Eo autem tempore quo viderat Saul David egredientem contra Philiſtæum ait ad Abner Principem militiæ, de qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens? dixit Abner: Vivit anima tua Rex ſi novi, & ait Rex interroga tu cujus filius ſit iſte puer, cumque egreſſus David percuſſo Philiſtæo, tulit eum Abner & introduxit coram Saul caput Philiſtæi habentem in manu ſua, & aït ad eum Saul, de qua progenie es adoleſcens? Dixitque David filius ſervi tui Iſai Bethlehemitæ ego ſum.* Vides ergo diligentem



gentem Inquiſitionem factam de genere à Rege, quia non quievit ejus animus adusque ſcivit.

Præterea, ſecundo, Eſdræ, *c.* 13. habetur lectum fuiſſe in volumine Moyſe audiente populo, quod Ammonites, & Moabites non intrarent in Eccleſiam Dei in æternum, eo quod non occurrerint filiis Iſrael cum pane, & aqua. Et ſtatim ſubdit Scriptura: *Factum eſt autem cum audiviſſent legem, ſeparaverunt omnem alienigenam ab Iſrael.*

5 Et multis ſacræ Scripturæ locis, cum fit mentio inſignium perſonarum, quas Deus dabat populo ad tuitionem, fit nominatio parentum & præcipue patris, & avi, ut Judicum, *cap.* 3. ibi: *Et poſtea clamaverunt ad Dominum qui ſuſcitavit eis ſalvatorem vocabulo Aod filium Gera, filii gemini qui utraque manu pro dextera, utebatur*, & Judith, *cap.* 8. ibi: *Judith vidua quæ erat Merari filii Joſeph & cæterorum, qui enumerantur aſcendentes*, & Judicum, *cap.* 4. ibi: *Quæ miſit, & vocavit Barac filium Abinoem decedes in Nephtali dixitque ad eum: Præcipit tibi Dominus Deus Iſrael, vade, & duc exercitum, &c.* & de aliis inſignibus viris & Prophetis, quorum parentes referuntur videre poteris Judith, *cap.* 6. ibi Ozias filius Michææ de Tribu Simeon, & Cabriæ filius Gothoniel, & Charmis filius Mechiæ, & Eſaias, *cap.* 1. & Hieremias, *cap.* 1.

Et Paulus ad impoſitionem manuum ſuarum in Timotheum conſideravit, quod ejus parentes fuerunt firmi in fide, ut conſtat, *ad Timotheum cap.* 1. ibi: *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitavit primum in avia tua Loide & matre tua Eunice certus ſum autem, quod & in te propter quam cauſam admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum:* & quod Divus Paulus ad hoc conſiderationem habuerit, colligitur ex eo quod ipſe refert fidem Timothei, & matris & aviæ, qui prius 1. *Corinth. cap.* 3. prohibuerat Neophytum eligi in Epiſcopum, ne forte, (ut ipſe inquit) elatus in judicium incidat diaboli: minus enim præſumitur de conſtantia Neophytorum.

6 Abſit tamen à me intelligere & ab omni bono judicio, quod filii nati ex ignotis parentibus, ſeu alii deſcendentes ex genere Neophytorum ſint virtutis fidei, & charitatis incapaces, cum quotidie videamus ex eis viros inſignes virtute præditos, & legatur Ezechielis, *cap.* 18. *Filius non portabit ini-*
7 *quitatem patris*, ignorat quis, quod Melchiſedech Rex Salem fuit Sacerdos Dei altiſſimi, qui protulit Abrahæ panem & vinum, de quo legitur *Geneſi cap.* 14. & *Pſal.* 109. & de eo inquit Divus Paulus ad Hebræos, *cap.* 7. *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia*, & in Martinian. Sanctorum Patrum legitur de Evariſto Papa, qui erat ex patre Judæo, refert Montalvus, *l.* 2. *verbo, Tornadizo, tit.* 3. *lib.* 4. *fori.* Nam optimum eſt, eſſe virtute præditum, quamvis ex vilibus parentibus natus, Et eſt miſerum aliorum incumbere fame, juxta illud Juvenalis Sat. 8,

*Malo pater tibi ſit, Therſite, dummodo tu ſis.*
*Æacidæ ſimilis vulcaniaque arm acapeſcas.*
*Quam te Thirſite ſimilem producat Achilles.*
*Miſerum eſt aliorum incumbere fame.*

Et conducit illud Claudiani de quarto Honorii Auguſt. conſulatu.

*Nam genus & proavos, & quæ non fecimus ipſi.*
*Vix ea noſtra voco.*

8 Et eſt text. *in cap. nunquam* 56. *diſtinctione in fine*, in illis verbis: *Non eſt omnino nec de virtute nec de vitio parentum, aut laudandus aliquis aut culpandus, nemo inde verè, aut obſcurus, aut clarus eſt.* Et iterum inquit: *Ille magis reſplendet qui ex parentibus à virtutibus prorſus alienis, ipſe tamen fuerit de virtute mirabilis*, ubi Cardinalis Turrecremata, *numer.* 2. refert divum Hieronymum dicentem, ſummam nobilitatem eſſe clarere virtutibus. Et illud Juvenalis.

*Nobilitas ſola eſt, atque unica virtus*
*Quæ moribus ornat.*

Et facit *l.* 6. *tit.* 9. *part.* 2. ibi: *E nobles ſon llmados en dos maneras, o por linage, ò por bondad, è como quier que el linage es noble coſa la bondad paſſa è vence*, ubi Greg, *verbo, Bondad*, & facit illud Ovidii, 1. *de Ponto:*

*Si modo non cenſus nec clarum nomen avorum,*
*Sed probitas magnos ingeniumque facit.*
*Virtute decet non ſanguine nitet.*

Nam, ut inquit *Pſ.* 29. *Quæ utilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem.* Sed dico iterum, quod non ita præſumitur pro deſcendentibus à
Neophytis & infectis, pro quo faciunt plura, quæ 9
tradit Ojeda *de incompatibilitate beneficiorum*, 1. *part. cap.* 23. *num.* 74. ubi optime, & Caſſaneus in Catalogo gloriæ mundi 11. *parte conſiderat.* 25. Otalora, *de nobilit.* 2. *part.* 3. *princ. cap.* 6. *num.* 16. quæ afferunt ad probandum, quod filii & deſcendentes ſolent aſſimilari parentibus. Et facit illud Horat: *lib.* 4. *carminum.*

*Fortes creantur fortibus & bonis.*
*Eſt in juvencis, eſt in equis patrum*
*Virtus, nec imbellem feroces*
*Progenerant, Aquila columbam.*
*Doctrina ſed vim promovet inſitam.*
*Rectique cultus pectora roborant.*
*Ut cumque defecere mores.*
*Decorant bene nata culpa.*

Nam reliquiæ ſtatus præcedentis multum influunt & operantur, Peregrinus, *conſ.* 10. *num.* 10. *volumine* 3.

10 Licita ergo erit conditio ne admittantur ad Capellaniam infecti macula, ita tradit Navarr. *in manuali, cap.* 27. *numer.* 205. Ojeda, *de incompatibi. beneficiorum, cap.* 23. *num.* 153. ubi ponit hæc verba: *Tandem omnes pii ac Catholici Doctores, tam juris divini, quàm humani profeſſores, noſtræ tempeſtatis communiter cenſent præfata ſtatuta, æquæ, & juſtiſſima eſſe atque omnino defendenda, & ita tenendum*, & Otalora *de nobilitate* 2. *part.* 3. *principa. cap.* 7. *num.* 26. dum loquitur de Neophitis inquit: *Quare Sanctè & juſtè collegiorum conſtitutionibus excluduntur.*

11 Sed quia perdifficile eſt probare cùm longinquitate temporum, origo non pateat, ut *in cap. longinquitate* 12. *quæſt.* 2. breviter libet huic inſerere, quòd in his ſufficit probatio de auditu, quæ in antiquis ad generis probationem admittitur, *cap.* licet

*licet ex quadam*, de teſtibus, etiam quod teſtes ſint de auditu puro, nec reddant rationem, nec dicant à quibus audierint, tradit Cephalus, *conſ.* 137. *num.* 45. Ant. Petra, *de fideicomm. quæſt.* 11. *numer.* 505. Barnabas Cornaçanus, *deciſ.* 45. *num.* 10. in antiquis enim leviores ſufficiunt probationes, Aymon, *de antiquitate*, §. *viſo de fama*, *num.* 30. & 36. & 37. Cornaçanus, *deciſ.* 49. *num.* 1. & ſic filiatio, & parentela, probatur per auditum, *cap. de parentela*, *el.* 1. 35. *quæſt.* 6. & facit, *l.* 8. *tit.* 11. *lib.* 2. *Recopil.* ibi: *Pero ſi el aguelo oviero ſeydo tan antiguo, que los teſtigos no le pudieron conocer, que à lo menos de pongam del de oydas*, quam ponderat Covarru. *practicarum quæſt.* 21. *numero* 7. Cabedus, *deciſ.* 73. *num.* 16. ubi quod ad probationem qualitatis avorum auditus plene probat, & alios refert; & quod in antiquis ſufficiat probatio de auditu, probat text. *in l. ſi arbiter*, *ff. de probatio.* & in probatione generis, tradit plures referens Maſcardus, *de probatio. con-*
12 *cluſ.* 410. *ex numer.* 1. plures refert Joannes Garcia, *de nobilitate*, *gloſſ.* 28. §. 1. *num.* 1. & 2. *ubi late de probatione parentelæ*, & *d. cap. licet ex quadam*, *de teſtibus*, & ejus intellectu, ut ſolum requirantur illæ diſtinctiones, & ſupputationes graduum, & illa tam anxia, & exacta inquiſitio quando agitur de probanda conſanguinitate intra quartum gradum ad diſſolutionem matrimonii, qui intellectus ſumitur à traditis, per Alexand. *conſ.* 8. *num.* 2. *verſ. Præterea dictus*, *volum.* 1. quem non retulit Joannes Garcia, & eundem intellectum, tradit noviſſimè Cabedo, *deciſ.* 73. 2. *p. num.* 13.

13 Neque obſtat conſilium Anchar. 52. quia loquitur in ſtatuto odioſo jubente dare fidejuſſionem de non offendendo pro ſe, & cognatis, & ita inquit neceſſarium eſſe probare gradum diſtinctum intra illum gradum ne compellatur, quis dare fidejuſſionem in infinitum pro omnibus ſuæ generationis.

Neque obſtat conſilium Alex. 82. nam loquitur in ſtatuto, quo conſanguinei, uſque ad certum gradum compelluntur compromittere cauſas, atque ita teſtes debent diſtinguere gradus, ut *in cap. licet ex quadam*, ut dicit ibi Alexand. *num.* 2. *verſ. Præterea*, ſic etiam intelligitur conſilium Decii 521. & quod tradit Tiraquel. *de retractu linag.* §. 11. *gloſſ.* 1. *num.* 9. & §. 1. *gloſſa* 16.

14 Et redeundo ad id à quo digreſſi fuimus, dico, quòd per teſtimonium de auditu probatur, quòd quis deſcendat ex Judæis, vel Mauris, ſeu aliis infectis, tradit Martinus Navarrus, *conſ.* 6. *titul. de hæreticis*, Ojeda, *de incompatibilitate beneficiorum*, 1. *par. cap.* 23. & optime Franc. Aret. *in conſil.* 37. Alphonſus à Caſtro, *lib.* 1. *de juſta hæret. punitione*, *cap.* 7. Avendañ. *in dictionario*, *verbo*, *Iudios*, *verſiculo*, & *deſcendentia de genere Judæorum*; Joannes Guterreus, *lib.* 3. *practicarum quæſt.* 14. *num.* 17. Azevedus, *in Rub. titul.* 2. *De los Hijos idalgo*, *lib.* 6. *Recopil.* & ſic teſtis interrogatus de auditu, & fama, tenetur reſpondere, cum natura hujus probationis hoc deſideret, de quo *numero fin.*

15 Hæc tamen probatio de auditu & fama, quòd quis deſcendat ex Judæis, vel aliis infectis, ſolum procedit, ubi nihil eſt in contrarium, per quod debilitetur: nam ſi is contra quem talis probatio habetur, eſt in contraria poſſeſſione, ut quia eſt admiſſus in Sancto Officio pro officiali, vel in aliqua Eccleſia, Collegio, ſeu confraternitate, ubi non admittuntur niſi qui ſunt puri ſanguinis, vulgo, *Criſtianos viejos*, & probata ea qualitate, tunc corruit probatio de auditu, ut traditur deciſione Rotæ Romanæ, 176. *numero* 6. & 7. *in noviſſimis.*

Pro quo facit, quod auditus nihil probat in an- 16
tiquis contra eum qui de præſenti poſſidet, quia repugnat præſens ſtatus, ut ex Abbate, Ripa, Thobia Nonio, tradit Joannes Garcia, *de nobilitate*, *gl.* 18. *numero* 10.

Quod tamen ego limitarem, ut procedat reſpectu 17
illius ſtatuti, in quo jam eſt admiſſus is contra quem habetur probatio de auditu, vel ejus conſanguinei ex illa parte ex qua ei macula adſcribitur, in eo enim procedit ratio poſſeſſionis, in qua eſt, reſpectu tamen aliorum locorum, in quibus adeſt ſtatutum, non ſufficit, quod in alio loco ſtatuti ſit approbata ejus generatio pro pura, cum res inter alios actæ aliis non noceant, ut in Rubro & nigro, *C. res inter alios actas*: nam poteſt haberi alia probatio, pro quo adduco gloſſam finalem, *cap. dilecto*, *El grande*, *de præbendis*, ubi quod duo fratres, ex eodem patre eademque matre contraxerunt matrimonium cum duabus ſororibus, ex eodem patre eademque matre natis fuit lata ſententia contra matrimonium inter unum virum, & ejus uxorem propter conſanguinitatem, & quæritur an hæc ſententia præjudicet alteri fratri & ejus uxori, qui non fuerunt in lite, & reſpondetur, quod non facit eis præjudicium, & hoc eſt verum, licet ſi non afferret ſententia præjudicium, ſed commodum prodeſſet, ut *in l. ſi quis liberos C. de naturalibus liberis*, ibi: *Et ſi uni ex multis filiis teſtimonium quolibet ex prædictis modis præbuerit, cæteris ex eadem muliere natis ad legitima jure ſufficiet.* Atque ita uno ex fra- 18
tribus pronunciato nobili, cæteris hoc ſufficit, Gregor. *lib.* 7. *titul.* 15. *part.* 4. *verbo*, *Los otros hermanos*, de quo Cotta, *verbo*, *vaſſallus*, *pag. mihi* 804. quod intellige ſi ſuper jure reali ſanguinis pronuntietur, Joannes Garcia *de nobilitate*, *gloſſ.* 6. *num.* 48. ubi refert Otaloram, facilius enim res inter alios actæ aliis proſunt, quàm noceant, ut dicit Aymon, *conſ.* 206. Ex dictis ſequitur, quod ad- 19
miſſio alicujus tanquam puri ſanguinis facta in uno loco ſtatuti, non præjudicabit alio loco, ſcilicet, confraternitati, ſeu collegio, de cujus præjudicio tractatur, cum poteſt eſſe, quod probatio generis fuerit negligenter facta ab informante & ſua negligentia ſibi, & non aliis debet eſſe damnoſa, juxta juris principium, agitur enim de magno præjudicio: nam ſi admittitur aliquis infectus macula, non poteſt articulari, quod eſt puri ſanguinis (vulgo, *Chriſtiano viejo*) quia ſit collega, ſeu confrater illius Collegii, ſeu confraternitatis, cum non probet hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe vulgata, *l. neque natales*, *C. de probatio.* non tamen deſinit facere aliqualem præſumptionem, ut ſic hæc probatio puritatis facta in uno ſtatuto, noceat aliqualiter communitati alterius ſtatuti, volentis excludere admiſſum in alio ſtatuto ejuſdem qualitatis, 20
cum per res inter alios actas aliis aliquale præjudicium generetur gloſſ. *l. ſi duo Patroni*, *verbo*, *habitaturum*, *ff. de jure jurando*, Aymon, *de antiquitate.* 1. *part.* §. *propoſitum noſtrum*, *numero* 29. & §. *viſo de fama*, *numero* 28. & 2. *part. in principio*, *numero* 44. Puteus, *deciſ.* 213. Vincentius de Franchis, *deciſ.* 261. *num.* 6. Covarr. *practicarum quæſt.* 13. *numero* 4. Anton. Gabriel, *lib.* 2. *concl. titul. de citatio. concluſ.* 1. *num.* 402. Tiraquell. *titul. res inter alios actas*, *limitatione* 19. Burgos de Paz,





*conſ.* 50. *num.* 7. quemadmodum probationes coram incompetenti judice proſunt aliquid coram competenti, Bart. *l.* 2. *C. de naufr. lib.* 11. Joannes Garcia, *de nobilitate*, *gloſſ.* 1. *num.* 50. Si tamen declaratio, quod quis ſit puri ſanguinis, vulgo, *Chriſtiano viejo*, ſit facta à Romano Pontifice, ſeu Rege in ſententia cum cauſæ cognitione non ſolum præjudicabit
21 litigantibus, ſed & aliis, ut de Papa eſt text. *in cap. in cauſis*, *de re judicata*, & *de Imperatore ſeu Rege*, *vel alio non recognoſcente ſuperiorem*, eſt text. *in l. fin.* ubi omnes, *C. de legibus*, Curtius Junior *conſil.* 60. *num.* 7.

Diverſimodè tamen admittitur hæc probatio: nam licet dicens ſe talem debeat probare, *l. non ignorat*, *C. qui accuſare non poſſunt*, *l. cum te*, *C. de probatio.*
22 quia qualitas, quæ reſpicit habilitatem perſonæ, eſt probanda ab eo & magis dicitur ſubſtantia, quàm qualitas, Valaſcus, *conſultatione* 74. *num.* 9. &
23 agens, ut talis debet probare ſe talem, Decius, *conſ.* 75. *numero.* 6. Aymon, *conſil.* 322. *num.* 4. Joſephus Ludov. *deciſ. Lucenſi.* 2. *num.* 11. Rolandus, *conſ.* 3. *num.* 42. *volum.* 1. & *conſ.* 63. *numero* 12. *eo volum.* Maſcardus, *de probatio. concluſ.* 1289. & Papianus *l.* 1. *ff. de probation.* ponit hæc verba: *Quoties quæreretur genus, vel gentem quis habere, nec ne eum probare oportet*, quem text. dicit elegantem Meneſius, *l. adibus*, *numero* 5. *C. de ſervitutibus*, & plura circa ejus deciſionem adducit Tiraquell. *de nobilitate*, *cap.* 10. *num.* 13. & ſic in cauſis Capellaniarum, ubi ſit requiſita qualitas puri ſanguinis, qui vult conſequi Capellaniam debebit probare, & ipſe ad id teſtes producere. Secus tamen eſt in ſtatutis Eccleſiarum, collegiorum, & confraternitatum
24 requirentium eam qualitatem. Nam tunc pars non producit teſtes, nec citatur ad eorum examinationem, prout aliàs requiritur *cap. in nomine Domini de teſtibus.* Imò communitas nominat Commiſſarium, qui eos quærat, & recipiat in
25 loco originis, ubi melius ſcire poſſunt qualitates admittendi, *cap. poſtquam* 3. *de electione*, ibi: *Cujus vita, vel actus qui melius poſſunt, ubi eſt converſatus cognoſci, inquirantur ibidem*, & *l.* 1. §. *flumen*, *ff. de fluminibus*, ibi: *Exiſtimatione circumcolentium*, & *l. filium eum diffinimus*, in fine, *ff. de his qui ſunt ſui, vel alieni juris*, ibi: *Hunc qui in domo natus eſt, licet vicinis ſcientibus filium non eſſe*, *l. ſi vicinis*, *C. de nuptiis*, *cap. tranſmiſſæ*, *qui filii ſint legitimi*, Cabedus, *deciſ.* 73. *num.* 11. ubi, intelligit de vicinis, eodem loco cohabitantibus.

Plus enim creditur vicinis, quam extraneis,
26 Rebuffus, *tit. de reprobatione teſtium*, *num.* 125. *verſ. Decimo quarto*, & ſic probatio eſt facienda in loco originis, ubi veriſimiliter ſcietur, an ſit infectus macula, prætendens admitti in ſtatuto, & ad eundem modum, ad probandam conſanguinitatem, & filiationem, in his informationibus admittuntur conſanguinei, quia melius veritatem ſciunt, *cap. conſanguineos*, *cap. notificamus*, 35. *quæſt* 6. *cap. tua de ſponſ. cap. videtur*, ubi Ant. & Abb. qui matriacus poſſ. plures refert Cabedus, *deciſ.* 73. *numero* 11. non tamen eis creditur ſuper qualitate, ex quo dicto reſultaret eis commodum, juxta doctrinam Bartol. *l. deferre*, *ff. de jure fiſci.*

27 Et ſi quæras quomodo hæc probatio admittitur & præjudicat inquiſito prætendenti, reſpondeo, hoc eſſe, quia ipſe ſe ſubmittit, prout poteſt ſe ſubmittere probationi imperfectæ, *l. fin. C. de fideicommiſſ. l. Theopompus*, *ff. de dote prælegata*, & quia poſſunt partes convenire, quod ſtetur probationi imperfectæ, tradit Innocentius, *c. cum cauſa*, *de teſtibus*, Bald. *l. fin. C. de probatio.* Alex. *l. Titiæ divortium num.* 14. *in principio. ff. ſoluto matrimonio*, Jaſ. *l. admonendi*, *in numero* 101. *ff. de jurejurando*, refert & ſequitur Aymon, *conſ.* 206. *num.* 19. & *conſ.* 10. *num. finali*, & Ludovicus, *concluſ.* 70. *verſ. nihilominus communis ſententia*, ubi declarat, & invalida proba- 28
tio partis conſenſu validari poteſt, Romanus, *conſ.* 104. *num. fin. verſ. clarum*, Hippolytus, *in Rubrica de probatio. num.* 178. & *l.* 1. §. *ad quæſtionem*, *num.* 28. *ff. de quæſtio.* Avendañus, *de exequend. manda.* 2. *part. cap.* 29. *num.* 5. ubi quod valet pactum, quod ſtetur *dicto unius*, *per l. generaliter*, *C. de rebus creditis*, & dicit communem eſſe opinionem, & ſic poteſt quis convenire, quod ſtetur juramento partis Covarruv. *lib.* 2. *variarum cap.* 29
13. *num.* 1. ubi de magis communi teſtatur, & talis conventio executioni mandatur. Parladorius, *lib.* 2. *rerum quotid. cap. fin.* 1. *part* §. 12. *num.* 37. licet tutor, vel Eccleſiæ ſeu reipublicæ adminiſtrator nequeat facere, Plotus, *de in litem jurando*, §. 48. *numero* 5. & 6. ubi de aliis, in ſuo tamen poteſt, quia proviſio hominis facit ceſſare legis pro- 30
viſionem, *l. fin. C. de pactis conventis.*

Unum ſemper tene menti, quod ſi per pactum 31
quis ſe ſubjiciat juramento ſeu declarationi alicujus, & ſit exequendum pactum, ut modo diximus: ſi tamen pars nimis præjudicaretur, poteſt offerre & dare probationem in contrarium, & eſt admittenda. Ita ſingulariter tradit Jaſon. §. *ſed iſte*, *num.* 95. *inſtituta de actionibus*, & Plotus, *dicto* §. 48. *num.* 3.

Veritas enim ſemper una eſt, & geſtorum erro- 32
ribus non immutatur, *l. aſſumptio. in principio*, *ff. ad municipalem.* Socinus Junior. *conſ.* 3. *num.* 16. & 17. *volum.* 2. & dicitur mater juſtitiæ, & eſt juſtum judicium, quod ſequitur veritatem, Bald. *l. Libertini*, *ff. de ſtatu hominum*, Joſephus Ludovicus, *deciſ. Lucenſi* 44. *numero* 51. & *ſequentibus.*

Ex quo infero ad noſtrum propoſitum, quod ſi 33
quis nominaverit certos patres ſeu avos, poterit poſtea, conſtito de errore, alios nominare, ut de eorum genere fiat probatio, nec præjudicat aſſertio prius facta diverſorum avorum, argum. *l. interrogatum*, *C. de liberali cauſa*: Et ſi dicas, quod ille textus loquitur in cauſa libertatis, dico, quod etiam extra libertatis cauſam, & in probanda conſanguinitate & filiatione habet locum, quod aſſertio contraria non præjudicet veritati, *l. Imperatores*, §. *mulier*, *ff. de probatio.* etiam ſi aſſertio eſſet ſcienter facta, ut per dictam, *l. Imperatores* tenet Ludovic. *deciſ. Lucenſi*, 44. *num.* 54. Humiles nam- 34
que perſonæ frequenter ignorant ſuos aſcendentes, licet ſint puri ſanguinis, cum ſuæ vitæ humilitas eos ignotos faciat, & quia vivunt ſine offendiculo, de quibus dicit Horatius, *lib.* 1. *Epiſt. ad Cavam.*

*Nec vixit male qui natus morienſque fefellit*,

Hoc eſt, quod nec nativitas, nec mors venit in notitiam hominum, & multoties filii remanent parvuli & infantes, & transferuntur de uno loco ad alium, unde provenit eis ignorantia ſuorum aſcendentium, *l. uxorem*, *ff. de manumi. teſtamen.*

& ſic nimirum ſi nominando eos errent, & per noſtrum affirmare vel negare veritas non immutatur, *l. aſſumptio. in principio, ff. ad municipalem.*

35 Et quoties res eſt in obſcuro, eſt dandus favor probationibus, *l. curent. ff. de teſtibus, l.2. & ſequenti, ff. de itine.* actuque privato, per quæ & alia jura, quæ allegat tradit Aymon *conſ.* 207. *num.* 9.

36 Et dubia ſemper ſumenda ſunt in favorem inquiſiti, argum. *c. Eſtote miſericordes, de reg. jur.* licet ſi ita dubia ſit aſcendentia, ut non ſciatur, nec clareſcat probationibus, cum deficiat qualitas, eſt repellendus, ex quo infero, quod expoſiti, qui patrem monſtrare non poſſunt, ut *in l. vulgo*
37 *concepti, ff. de ſtatu hominis*, ſunt incapaces officiorum Sanctæ Inquiſitionis, Eccleſiarum, Collegiorum, & confraternitatum ſtatuti, quia li-
38 cet in dubio boni præſumantur: hæc præſumprio nihil operatur, quando qualitas ab ſtatuto requiritur, niſi probetur, quia non ſufficit, quod qualitas adſit præſumptive, Marſilis, *l. ſi quis, nec quæſtio, num.* 130. *& ſequentibus ff. de quæſtio.* quem videas Aymon Craver. *conſ.* 225. & de antiquitate: *ſectione* 1. *num.* 58. Rolan. *conſ.* 8. *num.* 56. *volum.* 1. ubi plures refert Tiberius Decianus, *conſ.* 23. *num.* 23. *vol.* 1. Avendañus in dictionario, verbo, *Coſtumbre, verſ. item aliud, & lib.* 1. *de exequendis mandatis, cap.* 6. *num.* 7. Matienço, *l.* 1. *titul.*4. *lib.* 5. *Recopil. gloſſ.* 5. *num.* 12. Baptiſta Laderchius, *conſ.* 12. *numero* 1. alios refert Brunorus à Sole in compendio, verbo, qualitas requiſita à lege, & quando probatio per modum conditionis requiritur, non ſufficit præſumptiva, *l. Lucius*, ubi Bart. *ff. de condition. & demonſtr.* Decius, *conſ.* 11. *numero* 19.

39 Unum tamen verum eſt, quòd ſi per ſtatutum ſolùm requiratur quod non deſcendant ex Judæis, vel Mauris, vel ſint alia macula infecti, ut quia dicat non admittantur Neophyti ſive macula infecti, tunc admittentur expoſiti. Nam cum ſit ſtatutum contrarium juri, *cap. eam te*, de reſcriptis, eſt reſtringendum, ut diximus *cap.* 7. *num.* 32. & non debet extendi ultra illud, quod exprimitur, *l. ſi vero, §. de viro, ff. ſolut. matrimon.* & cum non reperiatur in expoſitis macula, quam ſtatutum excludit, ſunt admittendi, quia ſtatuta tantum diſponunt quantum
41 loquuntur, Bald. *l. teſtamentum non ideo in fin. C. de teſtamentis*, Jaſ. *conſ.* 50. *num.* 2. Aymon *conſ.* 25. Franciſcus Beccius, *conſ.* 1. *num.* 6. Secus ſi adjiciatur illa qualitas, quod ſit ex notis parentibus, & puri ſanguinis, quia tunc non poſſunt admitti cum nequeant probare qualitatem per ſupradicta.

42 Sed quia diximus ſupra, quod probatio eſt facienda in loco originis, & ſæpe contingit, quod eo loco non adſit memoria aſcendentiæ: tum, per antiquitatem, tum quia parentes, vel avi inquiſiti mutarunt domicilium; congruit, ut ſciamus, an talis ſit repellendus? & breviter dico, quòd ſi in loco quem inquiſitus nominavit, ſuæ originis non ſit memoria, certè repellendus eſt, quia ignoratur ejus qualitas, nec ſatisfit ſtatuto.

43 Si tamen in loco ubi habitaverint pater, & avus ſint teſtes, qui pro certo affirment avum veniſſe ex tali loco, & eo in loco ſint alii ſuæ nominationis, vulgo, *appellido*, omnes ſint puri ſanguinis, certè hoc caſu debet fieri conjunctio probationum, ut admittatur, argument. text. *in l. Gallus, §. ille caſus, ff. de liber. & poſthum.* ibi: *Duobus quaſi capitibus legis commiſtis, &c.* Eſt namque optima probatio, quæ fit conjunctione diverſarum teſtificationum, Antonius Gabriel, *lib.*1. *concluſ. titul.*1. *de probatio. concluſ.* 1. Aymon *conſ.* 73. *numero* 18. Grammaticus, *deciſ.*28. *num.*3. Beccius, *conſ.*47. *num.*2. Magonins, *deciſ.* 46. *num.* 9. & pluribus concurrentibus diverſi generis reſultat plena proba-
tio, Felinus *conſ.*2. *num.*17. *verſ. primo adduco*, de 44
quo infra, *num. finali*, quod maximè procedit, ſi locus habitationis ſit vicinus loco originis, argum. *cap. quoſdam, de præſumptionib. l.*1. *§. flumen*, ibi: *Exiſtimatione circumcolentium, ff. de fluminibus*, ut erit, ſi fuerit locus diſtans duabus, aut tribus leucis, qui dicitur ejuſdem Comarchæ: eſt namque veriſimile, quod ſi pauper avus ex loco originis ſe tranſtulit ad locum habitationis, nec reverſi fuerunt, ipſe, nec ejus deſcendentes ejus memoria oblivioni traderetur, maxime ſi pauper erat: at in loco habitationis, cum viderint avum, vel alium aſcendentem veniſſe ex alio loco, & poſtea cum tractaverint, & habuerint pro originario alterius loci propinqui, optime quidem eſt probatio originis, naturalitatis, quæ fit loco habitationis, maximè, ſi ibi eſt acceptus à populo pro nobili, & puri ſanguinis, Joannes de Platea, *l.*1. *num.*9. *C. de dignitat. lib.*12. ibi: *Quem populus acceptat*, & conducit, *cap. poſtquam, de electione.*

Sed quid, ſi in loco ubi habitaverunt pater, & 45
avus neſciatur, an ſint naturales illius loci, vel exteri, & itidem in loco, quem inquiſitus dixit eſſe originem, ignoretur ſua aſcendentia, & in loco habitationis ſint infecti omnes illius nominationis, credendum eſt ſcienter hoc feciſſe, ut evitaret ſiniſtram opinionem, quæ vigebat in loco habitationis contra omnes de illa vocatione, vulgo appelli-
do: & hoc comprobatur, nam ſola nominis ſimi- 46
litudo, ſive nominatio non ſufficit, ad confirmandam cujuſque originem, gloſſ. verbo, *nam ſolam, in l. fin. §. fin. ff. ad muncipalem*, ubi Doctores, dicit magis communem opinionem Brunorus à Sole in compendio, verbo, nominis ſimilitudo, aliquid tamen operatur, ut dicit gloſſ. ibi, & argumentum originis ſumitur à nomine appellativo, Bart.
*in Rub. num.*4. *ff. ſoluto matrimonio*, & cum in loco 47
Domicilii concurrant nominatio & habitatio, tan-
quam duo vincula, præferuntur uni, *§. ſi vero pa-* 48
*ter, inſtituta de adoptionibus*, quem text. ad originem inducendam ponderat Boër. *deciſ.* 13. *num.* 36. & ſic præſumendum eſt, quod ſua aſcendentia ſit illorum, qui habitant in loco inquiſiti, potius quàm exterorum, & quia denominatio ſumitur à
proximiori cauſa, Oldradus, *conſ.* 23. Ancharr. 49
*conſ.* 404. *num.* 12. Ojeda de incompatibilitate beneficiorum, 1. *part. cap.* 23. *num.*21.

Si tamen in loco habitationis hominis illius no- 50
minis, vulgo, appellido, ſint Chriſtiani veteres, & pro talibus reputati, nec ſciatur de alio origine, & inquiſitus, & ejus pater ibi nati fuerint, ſed ignoretur propter antiquitatem, an avus ibi
natus fuerit, cum præſumatur eſſe illius civitatis, 51
vel loci in quo invenitur, niſi alienigenam eſſe probetur, ut tradit Bart. *l. de jure, num.*2. *ff. ad municipa. per l.* 1. *in fine*, ibi: *Quam enim aliam originem hic habet*, eodem titul. Alciatus *reg.* 2. *præſumptione* 15. Bart. & Doctores, *in Rub. ſoluto matrimonio*, quos & alios refert & ſequitur Matienços, *l.*1. *titul.*4. *gloſſ.* 5. *num.*11. *lib.* 5. *Recop.* & licet, ut tenet Matienços, ibi, *num.* 12. & diximus *ſupra num.* 38. qualitas requiſita per ſtatutum debeat

vere



52 vere probari, non præſumptivè. Hoc ceſſat ubi non poteſt haberi alia probatio, quia tunc ſtandum erit levi probationi, & juris præſumptio-
53 ni, quæ dicitur liquidiſſima probatio, gloſſ. *l. ſi tutor, verbo, oſtenderis in fin. C. de pericu. tutorum*, Aymon *conſil.* 73. *numero* 19. ubi inquit, quod erit ſine dubio, ubi res eſt difficilis probationis, & judex non debet evidentiam expectare, ſed humanam certitudinem, Sotus, *de juſtitia & jure, lib.* 3. *quæſt.* 4. *art.* 3. *verſ. ſuperſunt autem*, & cum in caſu de quo agimus ſimus in difficili probatione, non eſt cur non ſit admitendus, & quod ſufficiat, defendit Cevallos, *quæſt.* 458. *numero* 9. cum ſequentibus communium contra communes, quod ego admitterem ſi inquiſitus ſit bene reputatus, & pro tali acceptus à Populo, juxta tradita per Plateam, *l.* 1. *numero* 9. *C. de dignita. lib.* 1. Jus enim non obligat ad impoſſibilem probationem, & hæc quidem optima eſt, ſiquidem adeſt bona opinio & reputatio nominationis & inquiſiti, & ortus ipſius, & patris, & habitatio avi, cujus nativitas ignoratur propter antiquitatem, huic enim probationi favet, *dict. l.* 8. *titul.* 11. *lib.* 2. *Recop. de qua ſupra num.* 11. Nec oberit, quòd
54 ipſe inquiſitus ſignaverit aliam originem, quia quod veriſimilius eſt, debet attendi, non obſtante quacumque confeſſione in contrarium facta, Ludovicus, *deciſ. Lucenſi* 44. *num.* 53. *&* 54. & diximus ſupra *num.* 33. Concludo igitur tenendo, quod cum probationes ſint arbitrariæ, ut tradit Jo-
55 ſephus Ludovicus, *deciſ. Lucenſi* 3. *num.* 9. *per l.* 3. *§.*1. ibi: *Tu magis ſcire potes quanta fides habenda ſit, ff. de teſtibus*, prudentes examinatores informationum ſingula quæque penſabunt ſe ſemper inclinando in favorem prætendentis, ſiquidem in obſcuro (ut diximus) eſt dandus favor probationibus, & pro eorum arbitrio votum emittent attendentes gravitatem cauſæ, quæ eſt famæ, & vitæ comparatur, *l. juxta, ff. de manumiſſis vindicta*,
56 ibi, *Periculi vitæ infamiavè, l.* 1. *titul.* 22. *part.* 4. ibi, *Muerte, o de mala fama, & l.* 4. *tit.* 13. *part.* 2. ubi Gregorius inquit, quia paria ſunt occidere, & diffamare, Tiberius Decianus, *conſ.*8. *num.* 8. *& conſ.* 2. *num.* 91. *volum.* 1. Aymon. *conſ.* 168. *num.* 2. Menochius, *conſ.* 96. *num.* 15. *volum.* 1. Riminaldus, *conſil.* 468. *num.* 58. *volum.* 4. Ameſcua, *lib.* 2. *de poteſtate in ſeipſum cap.* 12. *& cap.* 5. *num.* 10. *&* 15. Avendañus, *de exequendis mandatis, lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 21. *verſ. tamen iſtud eſt*, quidquid teneat doctiſſimus Barboſa, *l. ſi mora in præludiis num.* 24. *ſoluto matrimonio*, contra quem eſt optima, *l. finalis ad finem titul.* 23. *part* 2. ibi: *E porende los antiguos puſieron la ferida de la fama por mas eſtraña que la ferida de la muerte, & l.* 4. *titul.* 13. *part.* 2. ibi. *Que mejor le ſeria la muerte que la vida*, ubi Gregorius, verbo: *Las leyes antiguas*, & licet Martinus Navarrus, *conſ.* 1. incipienti ad primam multarum quæſtionum, *num.* 6. *de Judæis* & Sarracenis conſtituat differentiam inter electum, ſeu eligendum, dicens, quod eligendus, ſeu admittendus poſſit excludi cum uno teſte, vel alia ſemiplena probatione deſcendentiæ Moſaicæ, vel Mathometicæ, ex eo quia, ut ipſe inquit, turpius ejicitur, quam non admittitur hoſpes, *cap. quemadmodum, de jure, jurando*, & quia matrimonium contrahi impeditur, per dictum unius teſtis, vel ſemiplenam probationem impedimenti affinitatis, *cap. Præterea, el* 2. *de Sponſalibus*, ſecus autem ſi jam



ſit electus, vel confirmatus: nam ex quo tractatur de rejiciendo, & exauctorando illum requiritur major, & ſic plena probatio, argumento *cap. ſuper his*, de accuſatio. mihi autem videtur utroque caſu requiri plenam probationem, cum tam gravis ſit cauſa famæ, per ſupradicta, bene tamen verum eſt, quod quia hoc ſecundo caſu agitur de fama, & patrimonio ſimul, ut quando alicui eſt facta collatio à Romano Pontifice, vel Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo Toletano, Canonicatus Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ, vel alterius præbendæ, quia eſt periculum famæ, & patrimonii ſimul cautius eſt procedendum ad excluſionem, juxta juris principium, & quia ex ſola collatione abſque apprehenſione poſſeſſionis habet jus in re, gloſſ. *verbo, collatio, in cap. quod, am.* 40. *de præbendis, & dignita.* Covarruvias, *lib.* 3. *variarum, cap.* 61. *num.* 1. ubi bene declarat, & quia patrimonium, alia vita cenſetur Marcus Anton. Eugenius, *conſ.* 70. *num.* 1. & diximus ſupra *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 75.

Sed ſi teſtes depoſuerunt aliquem eſſe infectum 57
macula, quia deſcendat ex tali, & inquiſitus oſtenderit per inſtrumenta matrimonialia, ſeu teſtamenta vel aliis ſcripturis non deſcendere ab illo, ſed alio, corruet teſtium probatio, quia in antiquis prævalent ſcripturæ, *l. cenſus monumenta, ff. de probatio.* Aymon, *conſ.* 58. *in fine*, Suarez, *l. quoniam ad l. Regni* 2. *dubio, num.* 1. *in fine*, quod procedit, licet enunciativè conſtet in inſtrumentis, quia tunc verba enunciativa inſtrumentorum probant, *l. optimam, C. de contrahenda & committenda ſtipulatione*, Aymon, *conſil.* 317. *verſiculo ſecundo reſpondeo*, & de antiquitate temporum, 1. *part. in principio, num.* 6. *&* 7. Mieres, *de majora.* 4. *part. quæſt.* 20. Hieronymus, *de Mon-*
*te Brixiano, de finibus Regum, cap.* 60. idem erit 58
ſi Hiſtoriis & Chronicis oſtenderit diverſam eſſe ejus deſcendentiam cum Hiſtoriæ Hiſpaniæ probent, ut diximus ſupra *cap.* 25. *num.* 32. & idem ſi dicant teſtes eſſe puri ſanguinis, & inſtrumentis verè contrarium appareat, contrariorum enim eadem eſt diſciplina text. *in princip. inſtit. de his qui ſunt ſui, & ſupra, lib.*1. *cap.* 11. *num.*14. Sed quia ſæpiſſime contingit, quod facta informatione qualitatum prætendentis, reſultat, quod ſunt plures teſtes deponentes inquiſitum eſſe puri ſanguinis, & non deſcendere à Judæis, ſeu Mauris, vel aliis maculatis, & quod pro tali viderint eum reputari, & ſic audierunt à majoribus, & ſunt pauci teſtes, qui contrarium deponunt, & per pauciores repellitur; congruit, ut ſciamus de ratione, & videtur eos non repellendos: nam cum ſtantibus probationibus teſtium contrariis præferatur ea pars, pro qua eſt major numerus teſtium, *l.* 3. *§. ejuſdem, ff. de teſtibus, cap. ex literis, de probatio. l. fin. verſic. lex etenim, C. de fideicommiſſis*, ibi: *Ut per ampliores homines perfectiſſima veritas reveletur, cap. in noſtra, de teſtibus*, ibi: *Cum conſtet teſtes monachorum eſſe teſtibus Archidiaconi numero pauciores pro Archidiacono ſententiam proferatis*, Aretinus, *cap. cum cauſam, num.* 8. *&* 9. *de probatio.* Brixianus, *de finibus Regundis, cap.* 59. *num.* 3. Aymon *conſ.* 327. *num.* 352. ubi optime & in terminis defendit, Ojeda, *de incompatibilitate benefic.* 1. *part. cap.* 23. *num.* 141. Sed nihilominus Hiſpaniæ praxis contrarium obſervat in omnibus ſtatutis puritatis ſanguinis, nam adhibetur major fides minori numero teſtium, & repellitur prætendens admitti, de quo nemo eſt qui dubitet,

Q 2 &

&ne obſtent jura contraria multipliciter poteſt reſ-
ponderi.
62 Et in primis; quod cum Commiſſarius deputatus
à Sancto Officio ſeu communitate Eccleſiæ,Collegii,
vel confraternitatis ( cui pars ſe ſubmittit & tribuit
poteſtatem examinandi teſtes, ut diximus ſupra
*num.* 27. faciat in locum partis ejus, factum repu-
63 tatur partis, argument. *l. ſi ob cauſam, de evictio-
nibus*, & ſic videtur ipſum producere teſtes, cum-
que teſtis probet plene contra producentem, etiam
quod deponat de auditu, & credulitate, juxta
Romani *conſilium* 104. *num.* 6. quem refert & ſe-
quitur Paulus Pariſius, *conſil.* 50. *num.* 60. *volum.*
1. Jaſon, *in Rub. ff. de jur. jurand. num.* 9. *verſ.
Sexto notabiliter limita*, cum quo tranſit Menochius
additionator, ibi, & addit Socinum Juniorem,
*conſilium* 69. *numero decimo tertio, lib.* 1. Decium,
*conſilium* 363. *num.*4. Marantam *de ordine judicio-
rum*, §. *ſextus actus*, *num.*16. & 17. Aymon.
*conſ.* 69. & 134. & 188. & dicit communem eſſe
opinionem, Anton. Gabriel, *lib.* 1. *concluſ. titul.
de teſtibus concluſ.*1. *num.* 14. remanet plene proba-
tum contra inquiſitum, qui cenſetur teſtes pro-
ducere.

Sed hæc ſolutio non ſatisfacit, nam conſilium
Romani non dicit quod teſtis plene probat contra
producentem; cum ibi loquatur, non de uno, ſed
de tribus teſtibus à parte productis, ut videre pote-
ris, nec communis ſententia in ejus dicto poteſt
fundari, licet omnes fugiant ad dictum conſilium,
tanquam ad herbam bethonicam, quæ ad omnia
medicamenta prodeſt, ut dicit Ludovicus inter
communes, *concl.* 7. *verſ. verum*, & ſequentibus,
ubi quod nec Romanus talia dixit, nec ſomniavit,
nec ſi diceret verum dixiſſet, & inquit cogi dicere,
quod aliàs dixit, Decius *conſil.*409. quod Doctores
plerique aves imitantur, quæ quando una volat
64 omnes ſequuntur, & inquit tradita à Romano, in-
telligenda eſſe, quando pars producit teſtes publi-
catos, quorum dicta ſibi ſunt nota, quia videtur
approbare, ut dicit Aymon. *de antiquitate*, 1. *part.*
65 §. *quæritur etiam*, *numero* 13. & 14. quod ſecus
erit, ſi teſtes non fuerint publicati, ſed pars eos
produxerit, ut examinentur, nam licet approbet
perſonas teſtium, non autem eorum, *dict. gloſſ.
in authent. de teſtibus*, §. *licet*, *verſ. ſuppliciis*,
Covarruv, *lib.* 2. *variarum, cap.*13. *numero* 1. *verſ.
item & illud*, ubi refert Baldum, Salicet. Alex. &
Jaſ. Crotum, Felinum, Alciatum, ita tenentes,
& hanc opinionem contra Doctores, tenet Tobias
Nonius, & *conſ.*24. *num.*24. & 25. & 26. & Caſſa-
neus, *conſilio* 54. *num.*35.
66 Neque in noſtro caſu inquiſitus cenſetur appro-
bare perſonas teſtium, quos Commiſſarius exami-
nat, licet loco illius ille quærat teſtes, ut exami-
net, quia hoc procedit quando pars conſentit in-
certas, & determinatas perſonas, ut tradit Joſe-
phus Ludovicus, *d. concluſ.* 70. *verſ. nihilominus*,
communis iſta, & ſic poterit contra eos opponere,
dicendo ſe ſuſpicari tales teſtes fuiſſe examinatos,
qui patiuntur tales defectus.
67 Quare ſecundo poteſt reſponderi quod cum Hiſ-
pani ſint deſcendentes Gentilitiæ gentis, qui ſump-
ſerunt Chriſti Salvatoris Fidem, ſtatim, quod Apo-
ſtoli & Diſcipuli prædicaverunt, omnes reputantur
68 Chriſtiani veteres, & ſunt habiti pro deſcendenti-
bus à Gentilibus, nam cum ea ſit ſumenda inter-
69 pretatio, quæ naturali, potius quam accidentali
naturæ conveniat, ut poſt Aret. *l. Centurio*, *num.*7.
*ff. de vulga.* & alios tradit Menoch. *conſ.*1. *numero*
17. *volum.* 1. ſic potiùs ſumenda eſt conjectura deſ-
cendentiæ à naturali totius Regni progenie, quàm
ab accidentali introcluſa, per aliquos converſos,
ex Judæis & Mauris. Cauſa enim naturalis acciden- 70
tali prævalet cùm earum inter ſe effectus pugnant,
tradit Bart. *l. qui habent*, *numero* 2. *ff. de tutelis*,
Socin. Senior, *conſ.* 116. *numero* 8. *lib.* 4. Ruin.
*conſ.*59. *numero* 11. *lib.* 3. Tiraqu. *de retractu con-
ſangui.* §. 30. *gloſſ.*1. *num.*26. Joan. Garcia *de nobi-
lit. gloſſ.*12. *num.* 43. & in cognitione cujuſlibet rei
non accidens, ſed natura ipſa ſpectanda eſt, Bart. 71
*l. cotem ferro*, §. *qui maximos*, *num.* 11. *ff. de pu-
blic. & vectigal.* & ſic omnes Hiſpani præſumuntur
Chriſtiani veteres, & deſcendere à naturali proge-
nie hujus Regni, quæ eſt Gentilitiæ gentis.

At quando contra aliquem aſſeritur, per aliquos 72
teſtes, quod deſcendit ex Judæis, ſeu Mauris, vel
aliis affectis macula, & reddunt ſufficientem ratio-
nem, non poteſt iſte dici integræ opinionis, cui
per teſtes ſiniſtra infertur, & cum bonus dicatur
ex integra cauſa, malus autem ex quocumque de- 73
fectu, ut *ſupra lib.* 2. *cap.*11. *num.* 12. repellendus
eſt, cum requiratur integer bonus, ſine contraria
opinione, diverſum tamen erit in cauſa nobilitatis,
vulgo, *Hidalguia*: nam ex quo nullus præſumitur
natus cum qualitate, ſed omnes ſervi, & tributa-
rii, *C. omnis anima*, de cenſibus, præſumuntur
populares, ita Baldus, *l. non ignorat*, *numero* 3.
*C. qui accuſare non poſſ.* Joan. Garcia *de nobilitate*,
*gloſſ.*10. *num.*1. & 2. & *prius gloſſ.*8. *num.* 3. Cabe- 74
*dus*, *deciſ.* 73. *num.* 10. licet ſint aliqui teſtes de-
ponentes contra nobilem, dicentes eum plebeium,
ſtatur majori numero, & ſic obtinet executoriam,
nec remanet maculatus ex dictis teſtium contrario-
rum. Imo res judicata pro veritate accipitur, & 75
vincula ſanguinis mutat, & falſum in verum, non
eſſentialiter, ſed quoad effectum, Aymon. *conſ.*79.
*num.* 1.

Ex quibus diverſis præſumptionibus colligitur 76
doctrina ad praxim, quod ſi quis dixerit, aliquem
eſſe plebeium, non poterit, nec debet puniri ad
querelam alterius, contra quem dixit, niſi prius
probaverit ſe nobilem, & adverſarium ſcienter &
doloſe contumeliam intuliſſe, ut famæ ſuæ damni-
ficaret, quia ex quo omnes præſumuntur plebeii,
nec nati cum qualitate ( & dato, quod illam no-
bilitatis qualitatem habeat, alter præſumitur igno-
rare, juxta regulas juris ) non eſt ei in delictum ad-
ſcribendum, niſi prævia probatione qualitatis nobi-
lis querelantis, & doli dicentis eſſe ignobilem.

Secus tamen erit, ſi quis dixerit aliquem eſſe 77
converſum deſcendentem à Judæis vel Mauris,
vel dicat, quod non eſt Chriſtianus vetus: nam eo
caſu cum adſit præſumptio contraria, etiam quod
is contra quem dixit non probet, quod eſt puri
ſanguinis, punitur talia dicens pœnis à legibus
Regni introductis, & hujus punitionis ratio eſt,
quia infamatur ille contra quem dicit, & cadere
facit eum à bona fama, & in hoc conſiſtit delictum:
vides ergo quomodo non eſt integræ famæ is con-
tra quem ſunt aliqui teſtes ( majores tamen omni
exceptione ) qui deponunt inquiſitum deſcendere
à maculatis?

Sed ſi forte hæc vera reſponſio non ſatisfacit, 78
verius dic, quòd inquiſitus dum tenetur probare ſe
eſſe puri ſanguinis, negat deſcendere à Judæis vel
aliis infectis, & ſic teſtes, qui in ejus favorem
deponunt, negant in eo eſſe maculam, negant-
que



que audiviſſe deſcendere à maculatis: teſtes ve-
rò, qui dicunt eum deſcendere à Judæis, vel
Mauris, aut aliis notatis macula, affirmant, &
affirmant, utique audiviſſe à ſuis majoribus,
79 & plus creditur duobus teſtibus affirmantibus,
quam mille negantibus gloſſa ordinaria, *l.
diem proferre.* §. *ſi plures*, *verbo conſenſerunt*,
*ff. de reception. arbit.* Bart. Bald. & Angel. *l. hæredes
palam in principio*, *ff. de teſtament.* plures refert
Maſcardus, *de probatio. concluſione* 70. *num.* 2.
80 Nata *conſil.* 283. *numero* 4. *volum.* 2. ubi inquit
eam eſſe rationem, quia negativa non ita ſe offert
ſenſui, ſicut affirmativa: & clarius tu dic, quod
81 qui dicit de negativa, quæ non cadit in ſenſum cor-
poreum teſtis, nihil deponit. Imò dicit ſe neſcire,
quia removet ſenſum ab actu, quem dicit non vi-
diſſe, nec audiviſſe, & ſic teſtes deponentes, ſe
non vidiſſe, quod aſcendentes inquiſiti fuerint Ju-
dæi, Mauri, vel reconciliati aut pœnitentiati à
Sancto Officio, nec audiviſſe ab aliis, nihil de-
ponunt, cum removeant viſum & auditum à talibus
rebus. Secus autem eſt in deponentibus cognoviſſe
aſcendentes Judæos, vel Mauros, vel reputatos pro
talibus, vel reconciliari, ſeu pœnitentiari, vel
82 audiviſſe à ſuis majoribus,nam tunc teſtes affirmant,
id quod percipiunt ſenſu corporeo, quia viderunt
vel audierunt, & ſic probant plus duo affirmantes,
cum in ore duorum ſtet omne verbum, *Matthæi* 18.
& *cap. novit ille de judiciis.* Nullus autem ex ne-
gantibus eſt teſtis, quod colligitur ex Doctoribus,
quos refert Maſcardus, ubi *ſupra*, *numero* 5.
83 Si tamen negantes teſtes deponunt de tali nega-
tiva, quæ caderet in ſenſum corporeum, ut quia
eſt finita, & coarctata loco, & tempore, rebus &
perſonis probarent, Maſcardus, ibi *numero* 7. at-
que ita, ſi teſtes affirmantes deponunt eſſe macula-
tum quia eſt nepos, talis converſi, ſed maculati,
& teſtes negantes dicant, non eſſe maculatum, quia
non eſt nepos illius aſſerti avi, ſed alterius, ex
quo & uxore viderunt illum naſci, quia hæc ne-
gativa coarctata taliter, cadit in ſenſum teſtium
probabunt teſtes.
84 Nec novum eſt, quod quando fundamentum
intentionis alicujus conſiſtit in negativa, is tenea-
tur probare, *l. hoc jure*, 10. *ff. de verborum obli-
gatio.* Aymon, *conſilio* 1. *numero.* 7. & *conſil.* 112.
*numero* 6. & *conſilio* 121. *numero* 1. & 327. *numero*
14. Franciſcus Beccius, *conſilio* 105. *num.* 11.
Rolandus, *conſil.*67. *num.*1. *volum.* 2. Mantica, *de*
85 *conjecturata mente*, *lib.* 1. *titul.* 1. *num.* 3. ( licet
hoc ceſſet in negante ſolutionem Aymon, *conſilio*
86 57. Franciſcus Beccius, *dicto conſilio* 105. *num.* 13.
& ſic iſte prætendens admitti debet probare nega-
tivam, tanquam fundamentum ſuæ intentionis,
non tamen comprehenduntur in his ſtatutis haben-
tes penſiones in præbendis Eccleſiarum ſtatutorum,
Rota *deciſ.* 259. 3. *part. lib.* 2.
87 Sed an ſi aliquis fuit admiſſus ad Capellaniam,
vel aliam præbendam prævia informatione puritatis,
& eam reſignaverit ſi poſtea velit admitti ad ean-
dem Capellaniam, ſeu ſimilem præbendam itera-
to, debeat probari ejus genus, & poſito pro vero,
88 quod qui renuntiavit Capellaniæ, poteſt ex novo
titulo petere collationem illius, ut probatur capite
ex tranſmiſſa, de renunciatione, & tradit Panormi-
tan. *c.*1. *n.*6. *de Clericis conjugatis*, & conducit conſi-
lium Petri Surdi. 517. *n.* 8. conſequens eſt, ut non
egeat nova informatione: nam cum ſatis conſtite-
rit de ejus genenere addere aliquid rei ſatis demon-
ſtratæ fruſtra eſt, *l.* 1. §. *finali in fine*, *ff. de dote præ-* 89
*legata*,& hoc novatione ceſſante. Et adverte, quod ſi
in aliquo ſtatuto fiat informatio de genere prætẽn- 90
dentis, & quia non ſatisfacit requiſitis à ſtatuto
prætendens excludatur, adhuc poterit petere itera-
to fieri informationem, quia cum ea informatio,
& excluſio fiat ſummariè, & ſine cauſæ cognitione,
nunquam præſtat exceptionem rei judicatæ, ut tra- 91
dit Bartol. in extravag. ad reprimendum, verbo,
denunciationem, quomodo in crimine læſæ Maje-
ſtatis procedatur; Raudenſis, *conſilio*, 17. 6. *part.*
*num.* 54. & 55. *deciſion. Genua* 3. *num.* 6. & 9.
Neque obſtat, quod ſemel repulſam paſſus, non
eſt amplius admittendus, ex gloſſa *in capit. cum in-
ter*, *de electione*; nam procedit cauſa excluſionis
durante, Meneſius, *l. ſanum mente*, *num.* 22. *C.
de tranſactio.*

Scias tamen quòd hæc informatio & probatio, 92
facta coram Commiſſario Capituli, Collegii, ſeu
confraternitatis, licet non fuerit facta coram per-
ſona publica, fidem facit ex conſuetudine, *cap.*
cum dilectus, de fide inſtrumentorum, & quod
credatur ſcribæ confraternitatis in rebus pertinenti-
bus ad confraternitatem, tradit Valaſcus, *conſulta-* 93
*tione* 10.

Poterit tamen is Commiſſarius recuſari, ut po- 94
teſt publicus tabellio, & licet poſſit communitas
dare ſocium, ſemper conſulerem communitati,
ut in totum removeant illum alium nominando, ut
probatio ſit ſine aliqua ſuſpicione.

Sed an ſufficiat qualitas privilegiativa, ut quis 95
admittatur in his ſtatutis, hanc appellat quæſtionem
Sabatinam, Joannes Garcia *de nobilitate*, *gloſſ.*35.
*num*, 48. & videbatur, quod ſic *l. ex oratione*, *ff.* 96
*de excuſation. tutorum*, ibi: *Eandem excuſationem
competere etiam, ei qui jus annullorum impetraſſet,
Imperator noſter cum Divo Severo patre ſuo reſcrip-
ſit*, per quem textum tenet ibi Bald. quod paria
ſunt in eſſe alicui qualitatem, per naturam, ac 97
ineſſe per privilegium, & ſic quod iſti privilegiati
ſint nobiles, & gerant eorum officia, tenet
Bald. *l. ſive poſſidetis num.* 3. *de probatio.* ſequitur
Joannes Garcia *de nobilitate*, *gloſſa* 1. §. 1. *num.* 43.
ubi quod quando caſus verus & fictus ſunt æquati, 98
æquata eſt juris diſpoſitio. *l. Gallus*, §. & *quid ſi
tantum*, *ff. de liberis & poſthumis*, cum ſimilibus,
quæ ibi allegat, & Mieres de majoratibus, 1. *part.*
*quæſt.* 31. *num.*5. ubi *num.*4. quod juſſus contrahere 99
cum nobili ſub amiſſione majoratus, adimplet ſi
contrahat cum nobili ex privilegio. Paria enim ſunt
aliquem eſſe talem, vel haberi pro tali: Tiberius 100
Decianus, *conſ.* 1. *num.* 31. *volum.* 1. & *conſ.* 6.
*num.*27. *eo volum.* ubi quod æquiparatorum idem 101
eſt judicium, tradunt gloſſ. Bartol. & Alexand.
*l. ſi quis ſervo*, *C. de furtis* & Meneſius, *l. clari*,
*num.* 10. *C. fideicommiſ.*

Et licet Princeps non poſſit tollere jura ſanguinis, 102
§, *ſed agnationis*, *inſtituta de capitis diminutione.*
*l. jura ſanguinis*, *ff. de regulis juris*, poteſt tamen
concedere ignobili, cui deeſt qualitas ſanguinis,
quod gaudeat prærogativis omnibus quibus gau-
dent vere nobiles legibus & ſtatutis civilibus: nam
etſi Princeps ſit ſub pedibus juris naturalis, cui 103
derogari nequit dicto, §. *ſed agnationis*, tamen eſt
caput juris civilis, ita tradit Joannes Garcia *gloſſa* 104
1. §. 1. *num.*50. ubi quod poſſunt habere inſignia
militaria, vulgo, habitos, & refert illud quod
vulgo fertur, Nobilem te facere non poſſum,
exemptum te facio, pro quo facit, *l.* 6. *titul.* 27.
*part.*

105 *part.* 1. ibi : *Puedeles dar honra de Hijosdalgo , à
los que no lo fueren por linage* , ubi Gregorius Lo-
pez , idem tenet & conducunt tradita à Tiraquel-
lo de nobilitate , *cap.* 6. Menchaca , *de ſucceſſion.
creatione* , *lib.* 3. 9. 30. *num.* 290. cum ſequenti-
bus , & Otalora , *de nobilitate , ſecunda parte ter-
tio principal. capit. ſeptimo numero decimo tertio,
verſic. item videmus.*

106 Sed his non obſtantibus , contrarium eſt tenen-
dum , & quod tales privilegiati non admittantur
in Sancto Officio Inquiſitionis ad officia , ſeu fami-
liaturas , nec in Eccleſiis , Collegiis , confraterni-
107 tatibus ſtatutorum : & fundatur primò, quia quan-
do per ſtatutum requiritur qualitas , intelligendum
eſt de naturali , cum verba ſtatuti intelligenda ſint,
in naturali ſenſu , non in ficto , *l. finali* , *C. de his
qui veniam ætatis impetraverunt*, ibi : *Illam tantum-
modo ætatem intellectam eſſe videri volumus , quæ &
vigintiquinque annorum circulis compleatur , non quæ
Imperiali beneficio ſuppletur* , *l.* 3. §. *hæc verba* , *ff.
de negotiis geſtis* , quam concluſionem tradunt An-
ton. Gamma , *deciſ.* 307. *num.* 7. Mantica *de con-
jecturata mente teſtator. lib.* 3. *titul.* 4. *num.* 15.
Joannes Garcia *de nobilitate* , *gloſſ.* 21. *num.* 30.
Otalora , 2. *part. cap.* 3. *num.* 20. Didacus Perez,
*l.* 1. *titul. de matrimonio, lib.* 5. *ordin. pag.* 4. *verſ.
quæro.* Meneſius , *l. ſi quis major* , *numero* 3. *in fin.
C. de tranſactio.* Avendañus, *reſponſione* 23. *num.*4.
Mieres , *de majorat.* 1. *part. quæſt.* 51. *numero* 4.
Rolandus , *conſ.* 63. *num.*19. *vol.* 1. Valdeſius , *in
108 additio.* ad Suarez, *l.*1. *titul. De las ganancias*, *lib.*
3. *fori* , Barboſa , *l.* 1. 3. *part. numero* 21. *ff. ſoluto
matrimonio* , ubi quod , etſi non admittatur caſus
fictus , admittitur præſumptus. Et quoties vera
cauſa requiritur ad ſubſtantiam actus , non ſufficit
109 eam habere pro ſubſiſtente , *l. ſi forte* , *ff. de Ca-
ſtrenſ. peculio :* ibi : *Veritatem enim expectamus,
non quod quis finxit* , Alexand. *conſil.*27. *numero* 10.
*volum.* 1. Atque ita jam eſt in praxi obtentum, pro
hac noſtra vera opinione in Regali Cancellaria Pin-
ciana in cauſa agitata inter quendam Licentiatum,
& nobilem civitatem , *De Logroño* , in qua Licen-
tiatus prætextu privilegii nitebatur admitti ad De-
curionatum illius conſiſtorii , quo non admittun-
tur niſi ex ſanguine nobiles , de quo adeſt , execu-
toria Regalis in Archivo illius civitatis.

Unum tamen verum eſt , quod ſi aliquis ex ſan-
110 guine nobili natus eſſet ſpurius , vel ex parentibus
ſpuriis , qui ob juris civilis , & Regni impe-
dimentum non gauderet prærogativis nobilium,
ſi is reſtitueretur natalibus , & legitimaretur à
Principe , admitteretur in his ſtatutis : nam
ſublato nobilitatis velamine juris myſterio in-
111 ducto , quod Princeps aufert , ( quia ut lex
civilia jura corrumpere poteſt , §. *ſed agnatio-
nis* , inſtituta de capitis diminutione ) apparet ſan-
guinis nobilitas , quia mediante , ſatisfacit ſtatuto,
cum verè ſit nobilis, & res de facili revertatur ad
ſuam naturam , textus in *l. ſi unus* , §. *pactus ne
peteret , in fine* , *ff. de pactis* , & ibi , ſummarium
Bartoli , & gloſſ. *in cap. ſtatutum* , *verbo* , *nume-
randum* , *de præbend. in* 6. *& conducit* , §. *ſed ho-
die* , *inſtituta de adoptio.* ibi , & naturali vinculo
copulatum , & legitimo adoptionis modo conſtri-
ctum.

Sed ſi non reperiantur habentes qualitatem ſan-
112 guinis requiſitam per fundatorem , an admittantur
alii , dic in primis exteros admittendos & quæren-
dos. Nam cum teſtator jubet , quòd bona ſua den-
tur ſacerdotibus , pro Miſſis celebrandis , poſſun
executores eligere ſacerdotes exteros , & eis diſtri-
buere , licèt non ſint de loco defuncti , Joann.
Andreas , *cap. ſi pater de teſtamentis lib.* 6. & Ca-
pella Toloſan. *quæſt.* 128. Cerola, *in praxi*, 2. *part.
verbo* , *beneficium* , *verſ.* 9. Potius ſunt admittendi
exteri , in quibus requiſita in fundatione Capella-
niæ plus reperiuntur , quàm in originariis , ut tra-
dit Spino , *de teſtament. gloſſa tertia* , *principio*,
*num.* 36. *in fine.*

Si tamen Cappellaniæ fundator diſpoſuerit, quòd 113
non admittantur exteri , tunc conſideranda ſunt ver-
ba utriuſque clauſulæ & prohibentis exteros admitti,
& repellentis ignobiles ut ex quo ambæ ſervari non
poſſunt, ea ſervetur , ad quam majorem affectionem
habuit teſtator. Et quidem ſi altera clauſula concep-
ta ſit verbis negativis , ut ſi dicat : nec admittatur
ignobilis ſeu non puri ſanguinis in Capellanum, al- 114
tera affirmativis , ut præſententur ad Capellaniam
originarii hujus loci , cum negativa magis neget ,
quam affirmativa affirmet , ut tradit gloſſa *in cap.
cum dilectus* , *verbo à ſuſpenſis* , *de conſuetud.* De-
cius , *conſil.* 567. Tiraquellus , *l. boves*, §. *hoc ſer-
mone* , *limit.* 7. *ff. de verb. ſign.* Tiber. Decian. *conſ.*
12. *num.* 15. *volum.* 1. Et dicemus *in cap. ſequenti*,
*ex num.* 24. ſervari omnino debet qualitas requiſi-
ta verbis negativis , & admittendi exteri puri ſan-
guinis. Quod ſi ambæ clauſulæ affirmativis , vel ne-
gativis verbis fuerint conceptæ , tunc ex conditione
ejus, qui reliquit colligendum cenſeo , argument.
*l. ex facto* , §. *ſi quis rogatus* , *el* 1. *ff. ad Trebellia-* 115
*num* ibi : *Sed hoc ex dignitate* , *voluntate* , *& con-
ditione ejus qui fideicommiſit* , *accipiendum eſt* , ut
conjecturetur plus diligere eos qui ſibi aſſimilan-
tur in qualitatibus : nam ſi fundator fuerit nobilis,
& puri ſanguinis , & forſan exterus illius loci , ubi
celebranda eſt Capellania , admittentur exteri qua-
lificati , excluſis originariis maculatis , & ſi fue-
rit per contrarium è contra ( cum verecundia ) ju-
dicetur , per quam difficile tamen erit, quod macu-
latus generis puri conditionem poſuerit cum non
præſumatur quis abhorruiſſe à qualitate ſua , ex
traditis *per Ancharranum* , *conſil.* 339. *ex numero* 116
10. *& Peregrinum de fideicommiſſ. titul.*25. *num.*18.
Molinam , *lib.* 3. *primogen. cap.* 5. *num.* 73. qui-
nimo præſumitur , quem diligere ſibi ſimilem , &
odio afficere diſſimilem , juxta illud Horatii , *lib.
Epiſt.*

*Oderunt hilarem triſtes , triſtemque jocoſi.*
*Sedatum celeres agilem , gnarumque remiſſi.*

Et illud Ovidii lib. 2. de Pont.

*Et ſervat ſtudii fœdera quiſque ſui.*
*Ruſticus Agricolam , miles fata bella geren-
tem.*
*Rectorem dubie , navita puppis amat.*

Quid ſi & originarius loci illius & puri ſangui- 117
nis fuerit fundator ( hoc opus hic labor eſt ) nam
conditio exterorum non admittendorum eſt con-
formior juri communi , quoad beneficia vocantur
naturales , excluſis exteris , ut diximus *ſupra hoc
libro* , *cap.* 3. *num.* 19. à quo jure à beneficiis non
arcentur converſi , *cap. eam te*, *de reſcriptis :* ſed
adhuc teneo inſpiciendam eſſe conditionem perſo-
næ fundatoris , & illius voluntatem declaratam,
dum viveret , ex qua colligitur qualis fuerit ejus
enixa



enixa voluntas , ut *in l. hæredes palam* , §. *ſed ſi
118 notam* , *in fine* , *ff. de teſtament. l. quoties* 9. §. 1.
*ff. de hæredib. inſtituendis :* nam ex conſuetudine
cujuſque interpretantur ejus geſta , & verba , *l.
vel univerſarum* , *ff. de pignoratitia actione* , *l. qui
ſemiſſes* , *ff. de uſufruct. l. cum ſervus* 82. *verſicul.
namque ipſe vivus* , *ff. de condition. & demonſtra-
tion.* Corneus , *conſil.* 283. *numer.* 8. *volum.* 4. Si-
mon de Pretis, *lib.* 1. *de interpretatione* , *ult. volunt.
interpretatione* 2. *dubitatione* 2. *ſolutione* 9. *in prin-
cipio* , Covarruvias , *lib.*3. *variarum* , *cap.*6. *num.*
10. *colum.* 4. *num.*

Nam ſi fundator fuiſſet memorandus ille Car-
dinalis Joannes Martinez Siliceus Archiepiſcopus
Toletanus, Hiſpaniarum primas , potentiſſimi Phi-
lippi Secundi Regis Magiſter , qui obtinuit ſtatu-
tum almæ Eccleſiæ Toletanæ , quis non affirmavit
ea in diſpoſitione , ubi ipſe & originarios , & ſan-
guine puros vocaverit ad Capellaniam , caſu quo
ambæ qualitates non invenirentur , ejus mentis
fuiſſe , ut potius alienigenæ à Regno admitteren-
tur quàm maculati , quod quidem veriſimiliter in-
terrogatus reſpondit , ex gloſſa *in l. tale pactum*, *ff.
de pactis.* Et itidem ſi alius fuerit fundator , qui
dum viveret , notorius erat perſecutor maculato-
rum , ( vulgo vocatus : *Perſeguidor de Indios* , )
ut paſſim reperiuntur pleriſque locis , qui certè à
nobilibus vituperandi non ſunt , ut ignobiles &
maculati faciunt , qui eos appellant viles , in quo
119 quidem falluntur , nam Chriſtianus verus , licet
pauper vilis non eſt perſona, cum ex bono ſanguine
procedat , argumento , *l. humilem* , *C. de inceſtis
nuptiis : Humilem & abjectam fœminam* , ( inquit
textus ) *minime eam judicamus intelligi , quæ licet
pauper ab ingenuis parentibus nata ſit , unde licere
ſtatuimus Senatoribus , & quibuſcumque ampliſſimis
dignitatibus prædictis ex ingenuis parentibus natas,
quamvis pauperes in matrimonium ſibi recipere* , &
ei patent portæ dignitatum , quæ in noſtra Hiſpania
clauduntur maculatis , qui non poſſunt eſſe Inqui-
ſitores , non præbendati in Eccleſiis ſtatutorum,
ſed & ipſi nequeunt fieri Equites ordinum milita-
rium , non Collegiales , nec confratres nobilium
locorum , ubi talia ſtatuta adſunt , ut poſſunt fieri
Chriſtiani veteres , & in dies ex Collegiis Senatores
creantur , quod vilibus & abjectis non convenit,
*ex dict. l. humilem.*

120 Sed caſu , quo ob paucitatem Clericorum , &
loci brevitatem non ſint habiles ad Capellanias, ſe-
cundum qualitates requiſitas à fundatore , admit-
tentur minus idonei, *cap.* 1. §. *raritas hominum* 53.
*diſtinctione*, *cap.* 1. 21. *quæſt.* 1. *in ſpecie Capellania-
rum* , tradit Spino , *de teſtament. gloſſa* 3. *principal.*
121 *numer.* 35. ſic videmus , quod in officiis publicis
ob nobilium penuriam plebei admittuntur. Ita te-
net Joannes Garcia *de nobilitate* , *gloſſa* 35. *num.*
68. *per textum in l. eos* , *ff. de Decurionibus*, *in illis
verbis : Maxime in eis civitatibus , quæ copiam vi-
rorum honeſtorum habent : nam paucitas eorum , qui
muneribus publicis fungi debeant neceſſario , hos
etiam ad dignitatem municipalem , ſi facultatem ha-
beant invitat.*

Facta tamen informatione qualitatum prætenden-
tis examinatio , ejus debet fieri à communitate lo-
co ſecreto, ubi ſolent convenire pro negotiis capitu-
122 li , vel in ſacrario , ut dicit Marcus Antonius Cu-
chus, *lib.*4. *inſtitutionum majorum*, *tit.*8. *n.*81. nam
cum vertitur periculum famæ , quæ præponderat
vitæ , ut diximus *ſupra n.* 56. cautius eſt agendum.

Sed quia contigit aliquando , quòd eo tempo- 123
re, quo examinantur informationes porriguntur Epi-
ſtolæ ſecretæ , quibus narratur inquiſitum pati de-
fectus generis, vel aliarum qualitatum requiſitarum.
Examinatores debent cuncta rimari , & ſi viderint
potius tales libellos , ex malitia produci , quam
veritati adhærere, nullatenus ſuperſedeant in admi-
ſſione inquiſiti , ſi aliud nihil impediat , neque
enim paſſim admittendi ſunt prædicti libelli cum
porrigantur ab inimicis , ut dicit Marcus Antonius
Cuchus, *dict. lib.* 4. *inſtitut. major. tit.* 8. *numer.* 83.
ſi tamen aliquid veriſimilitudinis contineant, ſuper-
ſedendum erit in admiſſione prætendentis quouſ-
que ſuper oppoſitis ſeu objectis in dictis libellis ſe-
cretis inquiratur : nam longe melius eſt ante tem-
pus occurrere, quàm poſt vulneratam cauſam reme-
dium quærere , quia turpis ejicitur , quam non ad-
mittitur hoſpes, neque ipſe poterit conqueri , quod
tranſacto termino probationis admittantur de novo
teſtes , ſiquidem non hic proceditur , ut de jure
communi cum termini aſſignatione , ſed aperto ter-
min o.

Quod maximè procedit ſi hujuſmodi cartulæ ſe 124
referant ad teſtes bonæ famæ in eis nominatos, quo-
rum copia facilis ſit , vel adſcripta affixa Eccleſiis ,
in linteaminibus , vulgo , Sambenitos , quibus
etiam probatur contra inquiſitum : nam ſcriptis
affixis in Eccleſiis datur fides , ut poſt Bartolum ,
*l. vel quod* , *ff. de religio. & ſumpt. funerum* , tra-
dit Hieronymus de Monte Brixiano , *de finibus re-
gund. cap.* 65. & probant ut inſtrumenta publica ,
Sicardus , *in Rubrica de probation. num.* 8. ſequi-
tur Joan. Andreas Dorus Pergerius , *lib.* 1. *de pro-
batio, cap.* 5. *numero* 5.

Et quemadmodum domus committentium cri- 125
men læſæ majeſtatis devaſtantur , *l.* 6. *titul.* 13.
*part.* 2. ut perpetuæ notam infamiæ perpetua ruina
teſtetur , ut dicit textus *in cap. fœlicis* , *de pœnis* ,
*lib.* 6. & inſuper aratro inducto aſperguntur ſale ,
quia ad erodendum & conſumendum proclive eſt,
quod dicit Parladorius *lib.* 1. *rerum quotid. cap. fin.*
effluxiſſe ab eo , quod legitur *Judicum cap.* 9. *de
Rege Abimelech* , qui urbem Sichem interfectis
habitatoribus rebellibus funditus deſtruxit , & ſa-
le aſperſit , & ſicut nomina punitorum ob crimen
læſæ majeſtatis , & qualitas delictorum adſcribun-
tur in marmoribus , ut reperiuntur in partibus ,
ſic nomina hæreticorum punitorum , & qualitas de
lictorum adſcribuntur , & ponuntur affixa in Ec- 126
cleſiis Parochialibus delinquentium in linteamini-
bus , vulgo , *San benitos* , ut teſtatur Simancas ,
*de Catholic. inſtit. titul.* 47. *num.* 9. *&* 13. quod
originem habuit : ab eo , quod legitur *Numeris* ,
*cap.*26. *Tulit ergo Eleazar Sacerdos thuribula ænea,
in quibus obtulerant hi quos incendium devoravit ,
& producit ea in laminas affigens altari , ut haberent
poſtea filii Iſrael , quibus commonerentur , ne quis
accedat alienigena , & qui non eſt de ſemine Aaron
ad offerendum incenſum Domino , ne patiatur ſicut
paſſus eſt Core , & omnis congregatio ejus* , quod
quidem maxima cum ratione fit, nam longe gravius
eſt offendere divinam , quam temporalem Majeſta-
tem , cum ſecundum leges de hæreticis , *lib.* 6.
licet aliàs hujuſmodi delicto æquiparentur quoad 128
pœnam , ut tradit Oſaſcus , *deciſ.* 94. *num.* 29.

Et ſi quæras de ratione , quare hæc linteamina ,
ſeu habitus , vulgo , *Sambenitos* , dentur hæreticis, 129
ferenda cum Cruce , dic dari in ſignum pœniten-
tiæ , ut tradit Simancas ubi *ſupra* , & plures quos
refert

refert Cenedus in collectanea *ad cap. excommunicamus* 13. *de hæreticis* : nam pænitentes olim utebantur ſacco & cilicio, ut conſtat ex multis ſacræ Scripturæ locis, jonæ, *cap.* 3. *& Pſalmo* 29.

Sed ut nihil horum ignoretur, ſciendum eſt, aliquando Inquiſitores imponere his hæreticis non Crucem integram, ſed mediam, ad modum bandæ, & cum ab eis quæſierim de ratione monſtrarunt mihi illud fieri in aliquibus partibus, quibus jam diu aſſuetum eſt illa mediam Crucem, ſive bandam ferendam in habitu dare, valde ſuſpectis de hæreſi, qui jurant de vehementi, licet non fuerint reconciliati, ut alii confitentes delicta.

130 Obiter etiam ſcias reconciliatos portantes, hæc inſignia, vulgo, *Sambenitos*, ſubeſſe juriſdictioni Inquiſitorum in omnibus cauſis civilibus, & criminalibus, ut tradunt Simancas, *de Catholicis inſtitutionibus*, *cap.* 46. *num.* 18. & dubitativè Covarr. *quæſt.* 34. *practicarum*, *numero* 5. Julius Clarus, *lib.* 5. *ſententiarum*, §. *fin. quæſt.* 35. *numero* 20. & alii quos refert Cenedus, *in collectanea*, *ad cap. aliud* 11. *qu.* 1. quod intellige, ſi ſint perpetuo carceri adſtricti, nam ſunt ſub regimine Inquiſitorum, ſecus autem in aliis, qui cum habitus pœnitentiæ delatione libere gradiuntur, quod colligitur ex dictis per Septimacenſem, ubi ſupra *n.* 20. & Julium Clarum, *dict. numero* 20.

Sed quia ſolent ab his reconciliati, & aliis infectis deſcendentes mutare parentum nomen appellativum, ut obſcuretur aſcendentia informantes commiſſarii, quibus datur copia nominum parentum & avorum inquiſiti, ſi diverſi fuerint appellativi debent dili-
131 genter inquirete de cauſa mutationis nominis. Nam ſi aſſumpſerint matrum nomina, quæ forſan nobiliores ſunt parentibus, certè omnino reprehendendi non ſunt, ut dicit Tiraqu. *de nobilit. cap.* 18. *numero*
132 26. cum per matris nobilitatem patris nobilitas ſit ſplendidior, illuſtrior, luculentior, & clarior, & è contra ignobilitas patris minus obſcura, minuſque abjecta, ut dicit Bald. *l. fin. in fine*, *C. de ſervis fugit.* Et ſic fecit Rainuntius de Clera. *in cap. Rainuntius*, *de teſtam.* ubi Hoſtienſis, & Joan. Andr. *in verbo.* de Clera. & Anchar. Imol. & Panorm. adnotarunt, ſemper tamen filio congruit nomen patris aſſumere, *l. uxorem ff. de manu. teſtam.* ibi : *Nomine patris vocatus eſt*, & quia retentio nominis paterni arguit de ſtirpe & progenie natum, Cabedus *deciſ.* 73. *nu.* 17. Molina, *lib.* 2. *cap.* 14. *numero* 1. 3.

Si tamen extraneum nomen ſibi aſſumpſerit, relicto
133 nomine ſuæ aſcendentiæ, quod libere poterit quiſque facere, *l.* 1. *C. de mutat. nom.* dum tamen id faciat ſine frande, vel alterius præjudicio, ut dicit
134 *dict. l.* 1. *juncta gl. verb. frande.* Quod contingere poteſt, ſi cum quis eſſet ex corrupto, ſeu maculato ſanguine propagatus nomen honeſti, & ſani viri, de claro ſanguine progeniti uſurparet : quo caſu maximum irrogaretur præjudicium, & forte irreparabile deſcendentibus ex ſanguine puro : Nam ſi ſanguine corruptus, illo nomine vocaretur, multi crederent, clarum & ſanum eſſe de genere corrupto ortum, ut optime conſiderat Guillermus Benedictus, *in principio nu.* 57. & eo caſu poſſunt deſcendentes à claro ſanguine à judice petere, ut prohibeat illum ſuo nomine appellari, & quod ſi renuerit facere, ut falſarius puniatur, *l. falſi nominis*, *C. de falſis.* Alteri enim per alterum non debet iniqua conditio inferri, *l. alteri*, *ff. de reg. juris.* Et ſi ( ut diximus *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 36. ) inſignis artifex poteſt prohibere alicui uti ſuo ſigno, ne inducatur confuſio mercium, quanto magis admittendum eſt ubi agitur de honore, qui vitæ comparatur, *l. juſta*, *de nanu. vendict.* *l.* 1. *tit.* 22. *part.* 4. ibi : *Muerte ò de mala fama*, & diximus *ſupra num.* 56. ne inducatur confuſio maculatorum & nobilium, atque ita tenet Avend. *lib.* 1. *de exequend. mand. cap.* 13. *num.* 4. *in fine*, ubi idem dicit de armis, & jam vidi practicari, tam in nomine, qnam in armis, & qui nomen alterius ſibi aſſumit, in fraudem punitur, Menochius, *de arbitr. caſu* 318. *num.* 19. Itaque ſi inquiſitus reliquerit malum nomen, quod ejus parentes habebant, non bene præſumitur, cum ex malo nomine ſiniſtra ſuſpicio in-
feratur, ut dicit Guillermus Benedictus, *cap. Rai-* 136
*nuntius in principio*, *num.* 54. *de teſtam.* & ex no- 137
mine cognoſcatur qualitas, *l. Divus in princ. ff. de bonis damnatorum.*, ubi gloſſ. *verb. ex ipſo nomine inquit*, quod utilitas arguitur ex nomine, & facit illud, 1. *Regum*, *cap.* 25. A nomine ſiniſtro deprehenditur fatuitas, & è contra, ex bono no-
mine, nobilitas arguitur. Pro quo facit illud Exo- 138
di *c.* 34. *Novi te ex nomine*, *& inveniſti gratiam coram me*, & tradunt Panorm. & DD. *cap. de quo vult Deo*, de judiciis, & ex nomine arguitur res, Curtius junior, *conſ.* 20. *numero* 4.

Nomen tamen proprium non ſufficit ad proban- 139
dam identitatem perſonæ, imò requiruntur duæ demonſtrationes. Proſperus Paſſetus *conſ.* 208. *n.* 8.

Sed an Indi & Æthiopes recenter converſi ex Gen- 140
tilitate ad fidem Catholicam, ſint admittendi in locis in horum ſtatutorum, & quidem ſi ſtatutum ſolum neget admitti deſcendentes ex Judæis, ſeu Mauris, ſeu reconciliatis, conſtat eos non eſſe excludendos, ut diximus ſupra de expoſitis, & majori cum ratione hi ſunt admittendi, quippe cum tales Indi, ſeu Æthiopes nequeant deſcendere à dictis maculatis, ut poteſt contingere in expoſitis. Si tamen ſtatutum requirat qualitatem ſanguinis, & quod admittendi ſint Chriſtiani veteres à Chriſtianis veteribus deſcendentes, dubitationis eſt, cum pro utraque parte reperiantur rationes congruentes, quibus admitti & repelli poſſunt.

Et pro parte affirmativa, ut admittantur, facit, quòd Chriſtiani veteres Hiſpani appellentur, eo quòd deſcendant à Gentilibus, qui ſtatim quod audierunt prædicationem Evangelii crediderunt, ut diximus *ſupra num.* 67. At iſti Indi, ſeu Æthiopes itidem faciunt & quotidie ex Gentilitate convertuntur ad prædicationem Religioſorum Sancti Dominici, Seraphici Franciſci, & aliorum Ordinum, ac inclitæ Societatis Jeſu, qui ad partes ſe transferunt voto ac deſiderio recipiendi martyrium pro Chriſti Redemptoris fide, & Evangelii prædicatione, nec ab hoc terrentur, ad quod videant conſocios tormentis ſubjici, & variis ac extraordinariis mortis generibus cruciari, imò ad id alliciuntur, & cupiunt diſſolvi, & pro Chriſto Crucis ſubire tormentum. Si ergo & in his eadem invenitur ratio non debent diverſo jure cenſeri, cum identitas rationis hoc ſuadeat, & idem jus indicet, *ut ſupra lib.* 1. *cap.* 5. *ex num.* 1. Atque ita licet Neophyti converſi, ex Judæis & Mauris, non admittantur ad ordines, ut tradit Majolus, *de irregularitate lib.* 1. *cap.* 31. *numero* 1. tamen ii admittuntur, & his diebus plures audierunt rem ſacram in hac villa de Madrid ab Æthiope omnino nigro, de quo certum eſt non deſcendere à Chriſtianis veteribus, ſed Gentilibus recenter converſis.





Deinde ſtatutum inhabilitans filios, & nepotes hæreticorum, ſive reconciliatorum non protenditur ad filios, ſeu nepotes eorum, qui ſua ſponte reconciliati fuere, nulla præcedente accuſatione, ſeu inquiſitione tempore gratiæ, ut placuit dominis de Rota, *in una ſtatuti Eccleſiæ Hiſpalenſis*, *deciſ.* 120. 2. *part. lib.* 2. in noviſſimis, quod etiam videtur ſentire Navarrus, *conſ.* 1. *incipienti ad primam quæſtionem in fine*, *de Judæis*, ergo deſcendentes ab Indicis, & Æthiopibus, qui ſponte ad fidem converſi fuere ſtatum, quod eis fuit prædicata, non ſunt excludendi.

140 Et facit pro hac parte, quod Calphurnia & cauſa promulgationis ſtatutorum, puritatis ſanguinis fuerunt deſcendentes ex Judæis, & Mauris, qui ſiniſtrè & ſuperbè videbant, ut latè refert Alcocer, in defenſione ſtatuti Sanctæ Eccleſiæ Toletanæ, quare deciſio ſtatutorum reſtringi debet ad genus perſonarum, quarum cauſa condita fuere ſtatuta, nec extendi ad alias perſonas, etiam ſi ſtatuta non loquantur perſonaliter, modo motiva & æquitas non reperiantur ſcripta in jure communi, ut tradit Abbas Alphonſus Villagut. *de extenſione legis*, *titulo de extenſione ſtatutorum numero undecimo*, *folio mihi* 138.

Præterea à communiter accidentibus probatur Catholicos deſcendentes à Gentilibus, raro à fide Catholica recedere, quod frequenter contingit in converſis deſcendentibus à Judæis & Mauris, ex quibus plures in dies reconciliantur & relaxantur ab Inquiſitoribus, & poteſt eſſe ratio, quod illi nullam antea legem diſcerant, & ſic nulla præambula inclinatione exiſtente à recepta fide non deviant. Hi autem profitebantur Moſaycam, vel Mahometicam, & faciliter ſuæ priſtinæ naturæ redeunt, ad quam res de facili revertitur, *l. ſi unus*, §. *pactus ne peteret*, *ff. de pact.* & diximus *ſupra numero* 111. nam reliquiæ ſtatus præcedentis multum influunt & operantur, Marcus Ant. Pereg. *conſ.* 10. *nu.* 10. *vol.* 3. Pro parte tamen negativa, ut Indi & Æthiopes non admittantur in his ſtatutis, facit quod hi, licet deſcendant à Gentibus, non tamen à talibus, qui ſtatim, quod Apoſtoli Chriſti fidem prædicaverunt, ſumpſerunt fidem, de quibus diximus, *ſupra numero* 67. imò ab idololatris qui non fuerunt ad fidem converſi prædicantibus Apoſtolis cum in omnem terram exierit ſonus eorum, & in finem orbis terræ, verba eorum, juxta illud *Pſalm.* 18.

Præterea locus Pauli qui communiter allegatur, 1. *ad Timotheum*, *cap.* 3. ibi : *Non Neophytum*, *ne forte elatus in ſuperbiam in judicium incidat diaboli* ita convenit converſi ex Gentibus, quam ex Judæis & aliis, cum omnes tales ſint novi in fide, & licet Paulus ſolum loquatur in perſona converſi ex vi ſtatutorum, extenditur ad deſcendentes Neophytorum.

Præterea, cum illa qualitas aſcendentium Chriſtianorum ab his ſtatutis requiſita, ita deficiat in converſis à Gentilibus, quam ab aliis, & eorum deſcendentibus non ſatisfaciunt requiſitis, etiam quod ipſi non dederint cauſam ſtatutis, ut deſcendentes ex Judæis, quia ea cauſa fuit impulſiva, non finalis, atque ita ſtatuta non reſtringuntur ad eos, ſed habent locum in omnibus quos diſpoſitio comprehendit, *l.* 1. *ff. de poſtulando*, Barboſa, *l.* 1. 1. *part. numero* 84. *cum ſeq. ff. ſolut. matr.* quia argumentum à contrario ſenſu non ſumitur à cauſa impulſiva, tradit Villag. *de extenſione legis*, *prælu*dio 23. *num.* 6. quod autem viſum fuit dominis de Rota, *dict. deciſ.* 120. 3. *part. lib.* 2. procedet in ſtatuto Hiſpalenſ. 6. Atque ita hæc poſterior opinio, quod Indi & Æthiopes non admittantur in praxi, recipitur in noſtra Hiſpania. Quid tamen ſervandum in hoc ſit apud Jndos, ubi Hiſpaniæ nobiles jam diu contraxerunt matrimonia cum Indicis, ex quibus filios procrearunt, nunc omitto, alio loco tractandum.

Sed quia *ſupra num.* 14. diximus, teſtem inter- 141
rogatum de auditu & fama teneri reſpondere addendum duxi perperam ſentire, de hac probatione tentantes defendere licere teſti de auditu & fama interrogato, dicere ſe neſcire, nec audiviſſe, ſi ſibi videatur, quod audivit, non habere pro ſe famam, nec in eo concurrere qualitates requiſitas pro famæ probatione, hoc enim eſt qualitatem teſtis mutare, qui nullatenus debet aſſumere partes judicis Bart. *l. qui teſtamento*, §. *fin. ad fin. ff. de teſtament.* Decius, *conſ.* 256. *num.* 4. *&* 5. Cacher. *conſ.* 64. *numero* 59. ubi quod ad teſtem non ſpectat judicare, ſed dicere id de quo interrogatur, & ſibi conſtat ſenſu corporeo : Judex namque tenetur veritatem indagare, & plena probatio aliquando percipitur ex multis imperfectis, & diverſi generis, ſecundum Felin. *conſ.* 2. *numero.* 17. *verſ. Primo adduco*, & diximus *ſupra num.* 43. *&* 44. tradunt omnes per textum *in l. Gallus*, §. *ille caſus*, *ff. de liber. & poſthum.* & in noſtris terminis, gloſſ. *in l.* 1. *ff. de probatio.* inquit, quod cum probatio generis ſit impoſſibilis, probatur per indicia famam & teſtes de auditu, & aliis præſumptionibus, Bart. *l. filium eum diffinimus in finalibus verbis*, *ff. de his qui ſunt ſui vel alie. jur.* Dec. *conſ.* 295. ſequitur Cabedus, *deciſ.* 73. *num.* 1. ubi plures refert, & loquitur de probanda deſcendentia, & diximus *ſupra num.* 43. *&* 44. Et ſic etiam ſi non ſit fama, tenebitur teſtis dicere, quod audivit, aliàs in hac probatione non admitteretur communis regula, *dict. l. Gallus*, §. *ille caſus.* Siquidem ſi ſit fama plenam probationem facit cum tractetur de factis excedentibus hominum memoriam, & in his quæ ſunt difficilis probationis, ut tradit plures referens, Brixianus : *de finibus Regundis*, *cap.* 55. *numero* 14. *&* 15. Nec ſi teſtibns videatur id de quo deponunt eſſe publicam famam, & ſic fateantur in dictis, ob id probatur fama, niſi adſint qualitates requiſitæ pro famæ probatione, plures refert Maſcard. *de probation. concluſ.* 749. *numero* 11. Proſperus Paſetus, *conſ.* 167. *n.* 2. Roland. *conſ.* 54. *num.* 18. *volum.* 1. *deciſio Genuæ* 3. *numero* 12. nam dictum unius facilè ſequitur multitudo, *cap. cum in juventute*, *de purgat. canon.* Et ſic non ſufficit, quod non publice dicatur, ſi non habeat originem à fide dignis hominibus, quibus videatur credendum, ut dicit gloſſ. *in l. Titio fundus*, *ff. de condit. & demonſt.* & potius dicetur rumor, qui falſe inducitur aliquando, ut *in l. fin. ff. de hæredibus inſtit.* & ita appellatur, etiam, quod quarta, vel tertia pars populi reclamet, ut dicit Brixia. *de finib. Reg. cap.* 55. *numero* 4. qui licet non faciat probationem, ex eo poteſt quis induci ad credendum, ita ut rumor excuſet à delicto, ut excuſatur petens beneficium viventis, quando erat rumor, quod eſſet mortuus, Oldradus, *conſ.* 304. Aymon, *conſ.* 319. *numero* 4. Menoch. *de arbitrar. centuria* 4. *caſu* 321. & in aliis caſibus tradit Brunorus Aſole, *in compendio*, *verſic. rumor*, niſi rumor ſit nimis vanus, & fatuus ex affectata cauſa, cui

credere non debemus, Paulus Pariſ. *conſ.* 165. *numero* 9. *vol.* 4. Maſcard. *de probation.* 3. *part. concluſio.* 1157. *num.* 24. & 25. (ſolent namque mali homines vocem effundere ſiniſtram, ut damnum inferant alicujus proſapiæ, ut jam vidi factum contra nobilem virum Familiarem Sancti Officii, qui ſe querelavit coram Inquiſitoribus Toletanis, me pro eo patrocinante, & facta informatione declararunt, illum eſſe ſanguine purum, & non affectum macula illi adſcripta, quod petii per *l. circa, ff. de probatio.*) & judex ad quem expectat veritatem indagare, debet de initio inquirere, non teſtis, cum nullus debeat ſe immiſcere rei ad ſe non pertinenti, juxta juris regulam. Tenebitur itaque teſtis, quod audivit à quocumque etiam vili, propalare judici, declarando qualitatem ejus à quo audivit, poterit tamen addere ſi velit, ſe credere, vel non credere illud, quod audivit, non tamen ſupprimere, ita enim pejeratur qui ſupprimit veritatem, quam qui mendacium affirmat, latè Covarr. *lib.* 1. *variarum cap.*2. & hanc opinionem, ut veram, tutatur, & ſervari jubet Illuſtriſſimus Dominus D. Joannes Baptiſta de Azevedo Indiarum Patriarcha, Supremi Senatus Præſes, ac in Hiſpaniarum Regnis Generalis Inquiſitor, vir quidem juſtitia integerrimus, prudentia, & temperantia eximius, qui ut ſui generis ſplendore ad nobilitatis tuitionem allicitur, ita & voto implendi miniſterium, quo digniſſime eſt præpoſitus, ad id invitatur.

## CAPUT V.

### Quod Capellania poteſt conferri non ſacerdoti clerico, tamen ſaltim tonſurato, & de Capellaniis requirentibus præsbyteratum, actu, vel aptitudine.

*SUMMARIUM.*

1 *Licet Capellania ſit ad celebrandas miſſas, poteſt conferri non ſacerdoti, modo tamen ſit clericus.*

2 *Tonſuratus dicitur habere clericalem ordinem, & ſic poteſt beneficium obtinere, modo ſit in ætate legitima,* & num. 14.

3 *Collatio beneficii facta non ordinato eſt nulla.*

4 *Ad quaſi poſſeſſionem beneficii ſufficit habitus clericalis.*

5 *Quaſi poſſeſſio clericatus, ſine alia probatione inducit præſumptionem in cauſa poſſeſſionis.*

6 *Licet dicta præſumptio non ſufficiat ad judicandum titulum, ſufficit, ut beneficii poſſeſſor non teneatur oſtendere, nec probare titulum clericatus.*

7 *Quamvis cauſa poſſeſſionis beneficialis dicatur continere cauſam proprietatis non deſinit eſſe judicium poſſeſſorium, & de ratione.*

*Papa confert beneficium in tempus clericatus, ſea & laico diſpenſando.*

8 *Capellanus poteſt per alium miſſas dicere, ſi teſtator ſimpliciter dixerit præſentetur Capellanus.*

9 *Et quid ſi dixerit inſtituatur Capellanus, vel ſacerdos, & numeris ſequentibus.*

10 *In disjunctivis ſufficit ad eſſe unum, vel alterum.*

11 *Dictiones, vel, ſeu, ſive, non ſemper denotant disjunctionem, ſed aliquando augmentum, & paritatem, & quandoque ſtant declarativæ.*

12 *Licet prædictæ dictiones disjungant res, tamen ſi ponuntur inter eadem, non denotant diverſitatem.*

13 *Sacerdos dicitur à ſacrificando, & ſignificat eum qui ſacrificat, & conſecrat.*

14 *Significatio vocabuli mutatur ex adjunctis, & adjuncta faciunt, ut vocabulum plura, vel pauciora comprehendat.*

15 *Vocabulum ſacerdos junctum modo dicto cum nomine Capellanus, facit Capellaniam ſacerdotalem ſaltim aptitudine.*

16 *Licet fundator diſponat, quod præſentetur ſacerdos in Capellania, poteſt præſentari idoneus ad presbyteratum.*

17 *Verba non dicunt actum, ſed aptitudinem.*

18 *Multa ſunt verba, quæ ſecundum communem uſum loquendi, non ad actum, ſed ad aptitudinem referuntur.*

19 *Illa non dicuntur reſpui à natura, quæ habent aptitudinem quamvis non actum.*

20 *Si fundator Capellaniæ exprimat, quod præſentetur actu ſacerdos, debet præsbyter præſentari.*

21 *Idem erit ſi fundator non exprimat, ſed alia proferat verba ex quibus colligatur voluiſſe, quod ſacerdos præſentaretur.*

22 *Si teſtator utatur verbis negativis, dicens, non præſentetur, niſi ſacerdos, non poterit præſentari qui non ſit actu ſacerdos.*

23 *Ratio quare ſi teſtator utatur verbis affirmativis, admittitur non ſacerdos, ſi negativis ſecus.*

24 *Plus tollit negatio, quam ponit affirmatio.*

25 *Negatio eſt malignantis naturæ, cum deſtruat quidquid poſt ſe invenit, & oppoſitum inducat.*

26 *In negativa ſit interpretatio per prius, & per poſterius.*

27 *Mitius agitur cum lege quam cum homine, tamen ubi lex, ſeu ſtatutum loquitur per negativam, non admittitur niſi ſacerdos.*

28 *De conſenſu patroni Capellania requirens præſbyteratum actu poterit conferri etiam non ſacerdoti, ſaltim pro una vice.*

29 *Et ſi fuerint plures patroni ſufficiet conſenſus majoris partis.*

30 *Conditio appoſita in inſtitutione poteſt mutari cum conſenſu Epiſcopi, & patroni fundantis, ſed & ſucceſſoris in patronatum.*

31 *Limitantur ſupradicta, ſi fundator per verba negativa annectit præsbyteratum.*

32 *Admiſſio non præsbyteri pro una vice non præjudicat fundationi.*

33 *Epiſcopus etiam invito patrono, poteſt diſpenſare circa qualitates requiſitas in Capellano, ſi Eccleſiæ neceſſitas immineat: ſecus alias.*

LIcet Capellania ſit ad celebrandas miſſas, 1
quod eſt proprium Capellani officium, poteſt etiam fundator diſponere, quod conferatur etiam non ſacerdoti, clerico tamen in minoribus ordinibus, vel ſaltim tonſurato, qui cle- 2





ricalem ordinem cenſetur habere, *cap. cum contingat de ætate, & qualitate, Clementina* 2. *de vita, & honeſtate clericorum*, & ſic poteſt beneficium obtinere, modo ſit in ætate legitima, nam beneficium non valet conferri niſi clerico ordinato, *cap.* 2. *de inſtitutio. cap. ex literis de tranſact. cap. cum adeo de reſcriptis, Clementina quia contingit. §. ut ante de religioſ. domi.* Concil. Tridentin. *ſeſſione* 23. *cap.* 6. *de reformatione*, Selva, *de beneficio quæſt.* 1. *num.* 4. Aymon, *conſilio.* 94.
3 *num.* 1. & *conſilio* 134. *num.* 40. Petrus Gregor. *eodem tractatu cap.* 36. *num.* 1. & collatio de beneficio facta non ordinato, nulla eſt, Boher. *deciſio.* 171. dicit communem opinionem Flaminius, *lib.* 4. *de reſignat. quæſt.* 2. *num.* 1. Cerola, *in praxi* 1. *parte verbo beneficia ad quartum in* 1. *verſic.* & *numero.* 8. *incipienti ad octavum*, quidquid dicat additio ad Dinum, *cap.* 1. *de regul. jur. lib.* 6. & Dinus, *num.*28. & additio ibi, verbo Vicarius, Federicus, *conſilio* 127. §. 5. *verſiculo dico tertio*,
4 tamen ſufficiet habitus clericalis ad quaſi poſſeſſionem beneficii, *deciſio Rotæ* 312. *in antiquis* Aymon, *conſilio* 134. *num.* 40. quia poſſeſſio clerica-
5 tus, ſine aliqua probatione inducit præſumptionem in cauſa poſſeſſionis, *cap. ſi judex laicus de ſententia excommun. lib.* 6. & licet in beneficialibus præſump-
6 tio hæc non ſufficiat ad judicandum titulum, cum debeat eſſe clericus, tamen ſi jam ſit beneficii poſſeſſor: & fuerit in poſſeſſione clericatus, non tenebitur oſtendere, nec probare titulum clericatus. Joannes Monachus, & Archidiaconus, *dicto cap. ſi judex laicus*, *Rota deciſio.* 865. in antiquis ſequitur Petrus Gregorius, *de beneficio*, *cap.* 36. *num.* 23. nam reputatio ad probationem clericatus ſufficit, Mohedanus, *deciſione* 21. *numero.* 3. *de renuntiatione.*

7 Et quamvis cauſa beneficialis poſſeſſionis dicatur continere cauſam proprietatis, non tamen deſinit eſſe judicium poſſeſſorium, quia eam continet acceſſoriè, cum principaliter tractetur de vi, & poſſeſſione, Caſſiodorus, *deciſione* 4. *ut lite pendente*, Contardus, *l. unica, C. ſi de moment. poſſeſſione fuerit appellatum limitatione* 2. §. 1. *num.* 2. Sed & beneficium conferri poteſt, in tempus quo quis tonſuretur, ſaltim per Papam, imo & laico, Flaminius, *lib.* 4. *quæſtione* 2. *num.* 32. & 38. *de reſignat. benefic.*

8 Et ſi fundator Capellaniæ ſimpliciter dicat, quod præſentetur Capellanus, poterit præſentari, & eligi quilibet tonſuratus, quia eſt capax beneficiorum, cum poſſit per alium miſſas dicere, tradunt Tabiena, *in verbo beneficium* 3. §. 20. Armilla, *verbo beneficium*, *num.* 83. & Saa, *verbo beneficium*, & tradunt Selva, & alii ab eo relati, *de beneficio.* 4. *part. quæſtione* 2. *numero* 3. *verſicul.* & hoc procedit, & vide *infra hoc lib. cap.* 7. *num.* 7.

9 Si tamen dixerit, inſtituatur Capellanus, vel ſacerdos, videbatur ſufficere præſentare clericum etiam in minoribus, vel tonſuratum, cum alternativa dirigatur ad patronum, qui ex officio debet præſentare, & ſic ejus eſt electio, *cap. inter cæteras*, ubi
10 gloſſ. *de reſcriptis*, quia in disjunctivis ſufficit adeſſe unum, vel alterum, gloſſa *in cap. ex parte, verbo perpetuo de reſcriptis.* Staphileus, *de form. expectat.* §. *ſexta igitur num.* 5. *deciſio Rotæ* 7. *de reſcript. in noviſſimis. l. ſi ita ſtipulatus, ff. de verborum obligat. l. cum pupillus*, §. 1. *ff. de conditio. & demonſtr.*

11 Sed in contrarium, & quod debeat præſentari ſacerdos facit, quia hæ dictiones, vel, ſeu, ſive



non ſemper denotant disjunctionem, ſed aliquando augmentum, & paritatem, *l. ſi requiſita, ff. de auro, & argento leg. Cepola ſingulari.* 156. *incipienti, ita ponderat*, Romanus *conſilio* 363. *num.* 2. Alexand. *conſilio* 193. *lib.* 2. *num.* 4. & quandoque ſtant declarativæ, ut *in cap. nulli de rebus Eccleſiæ*, Gomezius, *cap. ſtatutum ex num.* 21. *de reſcript. lib.* 6. & aliquando disjunctiva reſolvitur in copulativam, Bart. *l. penultima, ff. de verborum.* Boherius, *deciſione* 214. *num.* 4. Covarruv. *lib.* 2. *variarum cap.* 5. *num.* 10. & hoc quando ſubjecta materia requirat, ut tradit Madera animadverſionum juris, *cap.* 21. *num.* 1. qui latè de alternativa, & diſiunctiva dictione loquitur.

Pro quo facit, quod tradit Barbatia *conſilio* 33.
*num.* 11. *volum.* 2. ubi quod licet dictio, ſeu, po- 12
ſita inter res ſtet disjunctivè, & inter perſonas copulativè, tamen quod ſi teſtator dixerit præsbyter, ſeu Capellanus, & ſic disjungat perſonas, non denotat diverſitatem, quia ponitur inter eadem, nomen autem ſacerdos dicitur à ſacrificando, & ſignificat eum qui ſacrificat, & conſecrat. *cap. cleros.* 13
21. *diſtinctione*, & *ſupra cap.* 1. *num.* 1. atque ita auget ſignificationem nominis Capellanus.

Pro quo facit, quia vulgare eſt ſignificationem vocabuli mutari ex adjunctis, & efficere adjuncta, ut vel plura, vel pauciora comprehendat, *l. ſi ſervus legatus*, §. *qui quinque de legat.* 1. Bart. *l.* 14
*liberorum, num.* 13. *ff. de verborum ſignific.* Socinus, *conſilio* 63. *num.* 15. *volumine* 3. Ancharran. *conſilio* 95. *numero* 1. Ruinus, *conſilio* 161. *numero.* 5. Hieronymus Gabriel, *conſilio* 46. *num.* 14. *volumine* 2. Afflictis, *deciſione* 3. *num.* 4. & ſic licet ex vocabuli Capellanus ſolum requiratur quod ſit clericus etiam primæ tonſuræ, & habeat ætatem ad beneficia, quæ eſt, 14. annorum, Concil. Tri- 15
dent. *ſeſſione* 23. *cap.* 6. *de reformatione*, tamen propter adjunctum vocabulum illud (ſacerdos) efficitur Capellania ſacerdotalis atque ita hanc ſententiam tenet Cerola, *in practica Epiſcopali*, 1. *part. verbo beneficia*, *num.* 7. *folio mihi* 27. *in fine*, & *folio* 28. *in principio*, ubi dicit, ſic fuiſſe pronuntiatum in Curia Compzana.

Intellige tamen, prædictam ſententiam non ut actu præſentandus debeat eſſe ſacerdos, ſed quod habeat aptitudinem ad præsbyteratum. Nam enim 16
ſi fundator ſimpliciter diſponat, quod præſentetur ſacerdos, adhuc poteſt præſentari idoneus ad præsbyteratum, & ſi actu non ſit ſacerdos, ut in terminis tradit Lambertinus de jure patronatus, *lib.* 2. 1. *part. quæſt.* 7. *articul.* 30. *num.* 27. *folio* 70. ubi dicit nota iſta, quia nova, & vera, licet in hoc multum dubitaverit propter Conſilium *Barbatiæ.* 33. *volumine* 2. quem prius fuerat ſequutus idem Lambertinus, *dict. quæſtione* 7. *artic.* 27. *num.* 1. & 2. pro quo eſt textus, *in cap.* 2. *de inſtitutio. lib.* 6. & probatur expreſſe in Concilio Tridentino, *ſeſſione* 24. *cap.* 12. *de reformatione*, ibi: *Neminem etiam deinceps ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem niſi qui eo ordine ſacro, aut ſit initiatus, quem illa dignitas prebenda, aut portio requirit, aut in tali ætate, ut infra tempus à jure, & ab hac ſancta Synodo ſtatutum, initiari valeat*; per quem text. ita reſolvit Ojeda, *de incompatibil. benefic.* 1. *part. cap. fin. num.* 15. & 19. & *num.* 20. ubi loquitur in Capellaniis ſacerdotalibus, erectione aut conſuetudine, Navarrus, *conſilio mihi* 2. *incipienti, Eccleſia collativa numero* 1. *de præbendis*, Joannes Baptiſta Ferretus, *conſilio* 305. *numero* 1.

*& ſequentib. volumin.* 1. Romanus *conſilio* 325. *num.*
1. Paulus de Montepico *conſil.* 57. *num.* 6. & ſe-
quentibus, & per textum Concilii, ita tenet Fla-
minius, *de reſignatione benefic. lib.* 4. *quaſt.* 9. *num.*
19. *&* 36. ubi dicit, ſic obtentum in Rota, Pau-
lus Emilius Verallus, *deciſione* 127. *numero* 1. ubi
inquit, ſic fuiſſe judicatum in ſacro Palatio, Ze-
vallos, *quaſt.* 393. *numero* 13. *&* 14. communium
contra communes, verba enim non dicunt actum,
17 ſed aptitudinem, ut in noſtris terminis tradit Spi-
no in ſpeculo teſtamentorum, *gloſſ.* 4. *princip.*
18 *numero* 66. *&* 68. Et multa ſunt verba, quæ ſe-
cundum communem uſum loquendi non ad actum,
ſed ad aptitudinem referuntur, *cap. majores*, §.
*cæterum de Baptiſmo*, Bellamera. *cap. ex parte*
*numero* 9. de ſcrutinio, & ordine faci. Et illa non
19 dicuntur reſpui à natura, quæ aptitudinem habent,
quamvis non actum, ſed illa, quæ aptitudinem
non habent in ſe dicuntur reſpui à natura, *l. ſi Me-*
*via mater mea*, *ff. de hæred. inſtit.* Bald. *l. unica*
*num.* 18. *C. de confeſſis*, Contardus, *in rubrica*
*num.* 23. *&* 25. *C. ſi de momentanea poſſeſſione fuerit*
*appell.*

20 Si tamen fundator Capellaniæ exprimat, quod
præſentandus ſit acta ſacerdos, ejus voluntas ſpe-
cificè eſt ſervanda cum in limine fundationis poſſit
apponere conditiones quas voluerit, modo non ſint
juri contrariæ, *ut ſupra* eſt dictum, & ſi non ſint
21 verba expreſſa, ſed alia ex quibus colligatur, quod
ejus voluntas fuit, ut præſentaretur actu ſacerdos,
cum habeatur pro expreſſo, quod ex verbis conci-
pitur, *l. Gallus.* §. *quidam rectè*, *ff. de liberis*, *&*
22 *poſthum. l. certum eſt*, *ff. ſi certum petatur.* Et ſic
communiter recipitur, quod ſi verbis negativis
utatur fundans Capellaniam, dicens, non præſen-
tetur niſi præsbyter, ſeu ſacerdos non poterit qui
non ſit actu ſacerdos præſentari, Abb. *Clementina*
1. *de ætate*, *& qualitat. num.* 7. Lambertinus, *lib.*
2. 2. *part. artic.* 30. *num.* 27. 7. *quæſtion. principa-*
*lis*, Joannes Baptiſta Ferret. *dict. conſil.* 205. *num.* 4.
*volum.* 2. Spino, ubi *ſupra*, *numero* 67. Paul. Emi-
lius, *dict. deciſ.* 127. *numero* 2. ubi ut ſuſtineatur
coadjutoria per Roman. Pont. conceſſa non ſacer-
doti, habenti tamen ætatem ad præsbyteratum in
Eccleſia, qua adeſt ſtatutum, quod non confera-
tur, niſi ei qui ſit actu ſacerdos, ponderat ex eo
valere conceſſionem; quia fuit facta cum clauſulis
non obſtantiarum.

23 Et ſi quæras de ratione, quare ſi teſtator utatur
verbis affirmativis admittatur non ſacerdos, ſi nega-
tivis ſecus, dic eam eſſe, qui negativa magis ne-
gat, quam affirmativa affirmat. gloſſ. *in l. hoc ge-*
*nus*, *ff. de conditio. & demonſtrat.* & gloſſ. *in cap.*
*cum dilectus verbo à ſuſpenſis*, ibi: plus tollit nega-
24 tio, quam ponit affirmatio, de conſuetudine, De-
cius *conſilio* 567. Tiraquel. *l. boves*, §. *hoc ſermo-*
*ne*, *limitatione* 7. Tiberius Decianus, *conſilio* 12.
25 *num.* 15. *volum.* 1. Et de ea dicitur, quod eſt ma-
lignantis naturæ, cum deſtruat quidquid invenit
poſt ſe, & oppoſitum inducat, Signorolus *conſi-*
26 *lio* 34. Natta, *conſilio* 469. *num.* 14. Et in nega-
tiva ſit interpretatio per prius, & per poſterius, ut
tradit Alexander Raudenſis de Analogis *lib.* 1. *cap.*
27 12. *num.* 19. *verſic.* 6. *limitatur.* Et licet mitius
agatur cum lege, quam cum homine. *l. Celſus un-*
*ctæ gloſſ. verbo poſtea*, *ff. de receptis arbitris. cap.*
*ſi celebret de clerico excommunicato miniſtrante*, &
tradit Coſmas Guimier, *in pragmatica ſanctione*,
*titulo de collationib. verbo provideatur*, *num.* 3. *fol.*
91. tamen ubi lex, ſeu ſtatutum loquitur per ver-
ba negativa, idem eſt dicendum, Paulus Emilius,
*dict. deciſ.* 127. *num.* 1.

Sed ſi mixtim affirmativis, & negativis verbis adnectitur præsbyterium, ut ſi dicat, præſentetur ſacerdos, & non alius, cum verba affirmativa ſint in priori parte, & verba præcedentia ſint majoris efficaciæ ad determinandum ſequentia, ut tradit Matheſilanus, *notabili* 150. admittetur ætate idoneus, pro quo eſt *deciſ. Rotæ* 347. *num.* 3. 3. *part. lib.* 3. ſi tamen negativis verbis inceperit diſpoſitio mixta, ut ſi dicat, non præſentetur qui non fuerit ſacerdos, ſed præſentetur præsbyter, & ſi affirmativa verba adſint in poſteriori parte, quia tamen negativa præcedunt, quæ propoſitionem reddit negantem, deſtruendo quidquid poſt ſe invenit, ut ſupra *num.* 25. reputatur diſpoſitio merè negativa, & debet ſacerdos præſentari.

De conſenſu tamen patroni Capellania requirens 28
præsbyteratum actu, poteſt non præsbytero con-
ferri, tradit Panormita. *cap. cum acceſſiſſent*, *num.* 5.
*de conſtitutio.* ubi additionator refert Butrium, Imo-
lam, & alios. Rebuff. *in praxi benefici.* 2. *part. ſi-*
*gnaturæ ſuper clauſulam*, nec non juris patronatus,
*num.* 46. Lambertinus, *de jure patron. lib.* 2. 1. *part.*
7. *quæſt. princip. art.* 30. *num.* 11. *& quæſt.* 10. *art.* 7.
*conſil.* 1. *num.* 19. & limitant, ut ſaltim pro una
vice fieri poſſit, Cerola, *in praxi Epiſcopali* 1. *part.*
*verbo beneficia ad ſeptimum verſ. tertia concluſio fal-*
*lit*, *& verbo jus patronatus decimo quinto dubio*, 29
ubi tenet ſufficere, quod conſentiat major pars pa-
tronorum. Conditio namque appoſita in fundatio- 30
ne poteſt mutari cum conſenſu Epiſcopi, & patro-
ni Bald. *l. ſi quis præsbyter*, *num.* 1. *notabili.* 3. *C. de*
*Epiſcopis*, *& clericis*, Ancharr. *cap. cum inferior*
*de major. & obed.* Milis, *in verbo patronus*, Rochus
de Curte, *de jure patronat. in verbo pro eo*, *quod*
*diœceſanus*, *numero* 32. *& ſequentibus*, Paulus Emi-
lius Caputaq. *deciſ.* 190. 2. *part.* Navarr. *conſ.* 5. *de*
*præbend.* Additionator ad Abb. *dict. cap. cum acceſ-*
*ſiſſent de conſtitutio.* Geminianus, *cap. ſtatutum*,
*verſ. numquid de electione*, *lib.* 6. & maximè po-
terit hæc alteratio fieri, ſi præſentandus ſit aliquis
de familia, ſeu genere fundatoris, Lambert. *de ju-*
*re patronat. lib.* 1. 1. *part. art.* 2. 9. *quæſt. princip.*
*num.* 18.

Et licet Lambertinus, *dict. art.* 30. *n.* 11. voluerit
reſtringere hanc facultatem præſentandi non præs-
byterum in Capellania actu ſacerdotali ad ipſum pa-
tronum fundantem, non autem ad patronos hære-
des fundatoris, tandem, *n.* 20. inquit idem eſſe in
aliis patronis deſcendentibus modo adſit aliqua cau-
ſa, ex qua patronus fundando ſtatim acquirit ſibi, &
hæredibus jus patronatus tranſmiſſibile, in quibus ut
in ipſo reſidet, non tamen hoc admittit, ſi fundator
per verba negativa adnectit præsbyteratum ut vide-
re eſt per eum, *num.* 25. in quo diſcedit ab Abba-
te, & aliis in *dict. cap. cum acceſſiſſent*, quod ve- 31
rum affirmo de jure.

Nec ex eo quod una vice aliqua ex cauſa rece-
datur, cenſetur perpetuo manere ſublatam præsby- 32
teri præſentationem, ut in ſimili tradit Marcus An-
tonius Cuchus, *lib.* 1. *inſtitutio. major. titul.* 3.
*num.* 73. nam juridicum eſt, quod aliquando ex
cauſa recedatur à teſtantis voluntate, *l.* 1. *ff.* ubi
pupillus educari debeat, Aretinus, *conſ.* 22. *nu-*
*mero* 5.

Quinimo, & invito patrono, poteſt Epiſcopus 33
diſpenſare circa qualitates requiſitas in Capellano,
ſi



ſi Eccleſiæ neceſſitas immineat, ut poſt Abb. & Felinum *in cap. cum acceſſiſſent* tradit Lambertinus, *de jure patron. lib.* 2. 1. *part. quæſt.* 10. *artic.* 7. *num.* 4. Cabedus, *de patron. Reg. Coron. cap.* 12. *num.* 4. extra autem hunc caſum nequit Epiſcopus diſpenſare circa qualitates requiſitas per fundatorem, ſine patroni conſenſu, ſecundum Lambertinum, ubi *ſupra*, *articul.* 6. *in fine de ſimonia.*

## CAPUT VI.

### Fundator Capellaniæ poteſt diſponere, quod Capellanus ſit amobilis ad nutum patroni, & plura de beneficiis amobilibus.

### SUMMARIUM.

1 *Beneficia aliqua dantur ad placitum, quæ manualia dicuntur, & idem Capellaniæ amobiles fundatæ cum conſenſu Epiſcopi.*
2 *Quamvis Capellaniæ, ſeu beneficia ſint amobilia, ad nutum, conferuntur.*
3 *Collatio beneficii cenſetur facta cum ſua qualitate.*
4 *Romanus Pontifex conferendo hujuſmodi beneficia amobilia non cenſetur velle mutare eorum naturam.*
5 *Aliqui Doctores contrarium tenuere, ex quo confert. Papa ex certa ſcientia, author autem diſtinguit.*
6 *In dubio non eſt præſumendum, Papam velle mutare naturam beneficii amobilis.*
7 *Beneficia amobilia impropriè beneficia appellantur ſecundum aliquos, ex quo beneficia debent eſſe perpetua.*
8 *Sufficit, quod beneficia ſint perpetua aptitudine.*
9 *In quo differant beneficia regularia, & ſæcularia.*
10 *Ex eo quod beneficia ſint amobilia, non deſinunt poſſe in titulum conferri cum poſſit dari in titulum amobile.*
11 *Perpetuum dicitur beneficium, quod certo tempore non limitatur.*
12 *In beneficiis amobilibus habet locum regula de publicandis.*
13 *Beneficium amobile poteſt reſignari, dummodo fiat mentio amobilitatis, & in impetratione ſecundi fieri debet illius mentio.*
14 *Beneficium amobile poteſt permutari etiam cum beneficiis perpetuis.*
15 *Habens beneficium amobile tenetur horas Canonicas recitare.*
16 *Ex beneficiis, & Capellaniis amobilibus ſolvitur ſubſidium ex motu proprio Clementis Octavi.*
17 *Beneficium appellatur conceſſum ad placitum Romani Pontificis.*
18 *Licet voluntas morte finiatur, non cenſetur remotus Capellanus nominatus morte patroni nominantis, & quare.*
19 *Quamvis morte patroni nominantis non cenſeatur revocatus Capellanus, tamen patronatus ſucceſſor poterit revocare, & amovere.*
20 *Capellanus remotus non poteſt petere reſtitutionem cum ei non competant remedia poſſeſſoria.*
21 *Capellani, & beneficiati in his beneficiis amobilibus non poſſunt juvari, regulis de annali, & triennali cum non poſſideant.*
22 *An Capellanus ex malitia remotus, poſſit adire ſuperiorem, ut eum reſtituat, & numeris ſequentibus.*
23 *Quilibet præſumit habere affectionem ad conſanguineos.*
24 *Amicus conſanguinei loco habetur.*
25 *Capellanus qui acceptavit beneficium amobile non debet conqueri, ſi removeatur, quia hoc evenire poſſe proſpicere debuit.*
26 *Judex debet ex ſuo officio providere, ne vis fiat utenti jure ſuo.*

POTEST etiam diſponere Capellaniæ 1
fundator, quod Capellanus ſit amobilis
ad nutum patroni, nam beneficia aliqua
dantur ad nutum, quæ manualia dicuntur, Selva
*de beneficiis*, 2. *part. quæſt.* 11. *num.* 8. Gomezius,
*de expectativis*, *num.* 44. Staphileus, *de literis*
*gratiæ*, *titul. de formis expectativarum*, §. *nona*
*forma*, *num.* 29. refert & ſequitur, Cerola, *in pra-*
*xi Epiſcop.* 1. *part. verbo beneficia*, *verſ. ſexto be-*
*neficia*, *fol. mihi* 18. Coſmas Guimier. *in pragma-*
*tica ſanctione*, *titul. de collationibus*, *verb. perpe-*
*tuis*, *fol. mihi* 116. Quintilian. Mandoſius, *regula*
3. *reſervationum quæſt.* 10. & Paul. Granutius, *in*
*additionibus ad Simonetam de reſervatione benefic.*
*quæſt.* 8. *num.* 5. quod procedit, & habebit locum
etiam quod non ſint beneficia regularia, ſed ſæcu-
laria, ut Capellaniæ collativæ, intellige tamen
modo talis fundatio in limine approbetur ab Ordi-
nario, ut in ſpecie tradit Lambertinus, *de jure pa-*
*tron. lib.* 1. 1. *part.* 9. *quæſt. princip. artic.* 2. per to-
tum, præcipuè, *ex numero* 17. *& num. fin.* Guter-
reus, *lib.* 3. *practicarum quæſtione* 11. *numero* 21.
& per tradita per Navarr. *conſ.* 43. incipienti, in
Provincia Tarraconenſi, *numero* 11. *&* 12. *de ſi-*
*monia.*

Et quamvis hæ Capellaniæ, ſeu beneficia ſint 2
amobilia, ad nutum conferuntur, ut tradit deciſio
Rotæ Romanæ 772. *num.* 1. 1. *part.* ubi quod re-
cipientes collationem talium beneficiorum amobi-
lium, ſemper ſunt parati dimittere ad voluntatem
eorum, qui poſſunt eos amovere, idem dicit Fla-
minius *de reſignatione beneficiorum lib.* 11. *quæſt.* 3.
*num.* 102. collatio enim beneficii cenſetur facta
cum ſua qualitate, tradit deciſio Rotæ Romanæ 3
177. *num.* 1. 3. *part.* & Petrus Gregorius Toloſa-
nus, *de beneficio cap.* 11. *num.* 12. *in fine.*

Nec etiam Papa conferendo hujuſmodi beneficia 4
cenſetur velle mutare eorum naturam, ut de tem-
porali efficiatur perpetuum, tradit Calderinus *conſ.*
26. de præbendis Caſſiodorus, *deciſ.* 4. *de præbend.*
Gambar. *deciſ.* 1. ſequitur Flaminius, *de reſign.*
*benefic. lib.* 11. *quæſt.* 3. *num.* 95. Plures tamen te- 5
nent contrarium in Papa, quia ex certa ſcientia
confert, & ſic inferior non poterit revocare, ut
poſt alios tradit Flaminius, *lib.* 2. *de reſignatio-*
*ne*, *quæſt.* 11. *num.* 9. *& ſequentibus*, mihi autem
placet opinio Baldi, *conſ.* 180. *lib.* 3. & Oldra-
di, *conſ.* 13. *cum quæſtio. in fin. tenentium*, expe-
ctandam eſſe mentem Roman. Pontificis, ut ſi ve-
riſimiliter colligatur, voluiſſe, quod beneficium
eſſet perpetuum pro tali habeatur: ſecus aliàs, verum 6
tamen ſi non exprimatur, non eſt credendum, Pa-
pam voluiſſe mutare naturam beneficii amobilis,
tradit Mandoſius, *regula* 3. *reſervationum quæſt.* 10.
*num.*

*num.* 3. & ita Petrus Gregor. *de beneficio. cap.* 11. *num.* 12. non abſolutè dixit, quod hujuſmodi beneficia collata à Romano Pontifice, nequeunt re-
7 vocari, ſed quod difficilius revocari poterunt. Et ibi in principio numeri, dicit impropriè beneficia appellari, idem tradit Cerola, *in pract. Epiſcop.* 1. *part. verbo beneficia, num.* 1. *verſ.* 5. eo quod non ſint perpetua, ut debent eſſe beneficia, *cap. præcepta* 55. *diſtinctione*, quod etiam tradit Staphileus, *de literis gratiæ, titul. de formis expectativarum*, §. *nova forma, num.* 28. & 29. Martinus Navarr. *conſ.* 5. *incipienti*, quidam teſtator *num.* 2. & *conſ.* 6. *incipienti de Capellania de præbendis per cap. inventum* 16. *quæſt.* 7. & *cap. ſatis perverſum* 56. *diſtinctione*, tamen beneficia communiter appellantur à Doctoribus, & à ſacra Rota, ut videre poteris locis à me relatis, & beneficia ſunt ; ex
8 quo conferuntur, & ſufficit, quod ſint perpetua aptitudine, quia poſſunt remanere apud eos, quibus ſunt conceſſa, quoad vixerint, permittente ſuperiore in regularibus, ſeu patrono in Capellaniis, tradit Guimier. *in pragmatica ſanctione, titul. de collatio. verbo perpetuis, folio mihi* 116. *numero* 2. & erunt perpetua, ſi non revocantur, ut dicit Rebuff. *tract. nominationum quæſt.* 9. *num.* 25. *verſ. in contrarium*, & attento, quod forſan non amovebit, qui poteſt, dicuntur perpetua, ut dicunt Doctores, *argum. cap. ultimi de reſcriptis lib.* 6. & *l. ſufficit, ff. de conditio. & demonſtr.* tradit Vitalinis, *in Clementina*, 1. §. *in quibus, num.* 3. *de ſupplenda negligentia prælat.* Gambar. *de poteſtate legat. à latere lib.* 4. *num.* 13. *in fine, & ſequentibus*, Selva *de beneficio*, 3. *part. quæſt.* 21. *num.* 3. *circa medium*, Flaminius, *lib.* 2. *de reſignatione quæſt.* 9. *numero* 5. & *lib.* 11. *quæſt.* 3. *numero* 91. & licet Gambar. ubi *ſupra*, dicat hoc procedere in beneficiis regularibus amobilibus : ſecus autem in ſæcularibus, & allegat deciſionem Bellame. 207. *col.* 2. *verſ.* non obſtat, & Mandoſium, *regula* 3. *reſervatio quæſt.* 11. *num.* 12. ut refert Flaminius, *dict. numero* 91. veritas tamen eſt, quod idem in utroque eſt judicandum. Nam cum beneficia ſint amobilia ad nutum, ſivè ſint regularia, ſive ſæcularia habent illam perpetuitatem aptitudine, & qualita-
9 te amobilitatis. Differunt tamen in hoc, quod beneficia regularia ſui natura ſunt amobilia, & quandoque efficiuntur perpetua, ſæcularia autem ſua natura ſunt perpetua, & poſſunt fieri temporalia, Mandoſius *regula* 3. *reſervationum, quæſt.* 10. *num.* 3. ſequitur Flaminius, *lib.* 11. *de reſign. benefic. quæſt.* 3. *num.* 91. Navarrus, *conſ.* 6. *incipienti*, an Epiſcopus poſſit *numero* 2. *de officio ordinarii* qui loquitur in beneficiis ſæcularibus amobilibus, & ponit hæc verba : *Sed libertatem quærit ponendi, & tollendi, quem & quoties voluerit, quod eſt grande, & utile frenum ad continendum Capellanum in officio virtutis, ne patronus reſciens illius vitium amoto eo ponat alium, quæ poſſet eſſe magna cauſa faciendi Capellam, ſive beneficium de perpetua manuale.*

Neque ex eo, quod ſint amobilia deſinunt poſſe
10 conferri in titulum, quia bene poſſunt dari in titulum amobile, ut tradit *dicta deciſ. Rotæ* 772. *num.* 8. 1. *part.* Calderinus, *conſ.* 9. Rebuff. *tract. nominatio. quæſt.* 9. *num.* 25. ad finem, Staphileus, *de formis expectativarum*, §. *nona forma, num.* 28. Lambertinus Guterreus, & alii relati *ſupra, num.* 1. Neque obſtat quod in vicaria temporali non datur titulus, quia id procedit quando ad certum, & limitatum tempus conceditur, ut *in cap. cum ex eo de electione lib.* 6. ubi datur ad ſeptennium, & ita
ſentire videtur Rebuff. ubi *ſupra, num.* 26. ceſſat 11
namque illa qualitas, quod poſſit eſſe perpetuum beneficium, quando limitatur tempus, dicitur enim perpetuum, quod certo tempore non limitatur, Coſmas Guimier, *in pragm. ſanctione titul. de collatio. verbo perpetuis, fol. mihi* 116. *num.* 3. ubi
loquitur in noſtris terminis beneficii amobilis. Et 12
ſic in iis beneficiis amobilibus habet locum regula de publicandis, & ita dicit fuiſſe reſolutum *dict. deciſione Rotæ* 772. *num.* 8.

Sic poteſt etiam hoc beneficium amobile reſigna- 13
ri, dummodo fiat mentio amobilitatis, Flaminius, *de reſignatione lib.* 2. *quæſt.* 9. *num.* 6. & 7. & de eo debet fieri mentio in impetratione, ſecundi beneficii, Marc. Anton. Cuchus, *lib.* 1. *inſtitutio. majorat. titul.* 4. *num.* 108.

Sic & permutari poteſt hujuſmodi beneficium, 14
ut tradit Federicus *de permut. benefic. quæſt.* 16. *num.* 24. quem & alios refert, & ſequitur Flaminius, *de reſignatione benefic. lib.* 2. *quæſt.* 11. *num.* 2. etiam cum aliis beneficiis perpetuis irrevocabilibus, plures refert Petr. Grogor. *de benefic. cap.* 11. *numero* 12.

Sic habens beneficium amobile tenetur horas 15
Canonicas recitare, Azor *lib.* 10. *inſtitution. moral. cap.* 4. *verſic.* 2.

Sic & ſubſidium ſolvitur ex his Capellaniis amo- 16
bilibus, ut diſponit motus proprius Clementis Octavi, *editus vigeſimo quarto Februarii, anno milleſimo ſexenteſimoquarto, Pontificatus ſanctiſſimi Papæ anno decimo tertio*, qui intitulatur concordia inter Catholicum Regem Philippum Tertium, &
ſtatum Eccleſiaſticum Regnorum Caſtellæ, & Le- 17
gionis ſuper prorogatione ſubſidii annui quadringentorum, & viginti millium Ducatorum, inita, & Apoſtolica autoritate confirmata, ubi ponuntur hæc verba : *Cæterum ad obviandum litibus, & differentiis, quæ inter perſonas Eccleſiaſticas ſuper præmiſſis oriri poſſent, harum ſerie decernimus & declaramus, quod ad hujuſmodi ſubſidii contributionem, juxta concordiæ prædictæ tenorem, non ſolum Capellani Capellaniarum perpetuarum, ſed etiam Cappellani ad nutum amobiles, qui Capellanias ipſis ad nutum concedi ſolitas, (quæ redditus, aut bona ſtabilia certa, & determinata poſſident,) habuerint, pro rata redditum earundem Capellaniarum omnino teneantur, & obligati exiſtant æquè, ac alii Capellani titulares ſupradicti. Sicque per quoſcumque judices, & commiſſarios quavis authoritate fungentes, etiam cauſarum palatii auditores, etiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ubique judicari, & diffiniri debere : & quidquid ſecus ſuper his à quoquam quavis authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus.* Qua conſtitutione ſtante, hodiè nequeunt Capellani amobiles excuſari à ſolutione ſubſidii, ut antea excuſabantur, & quidem jure, nam in prima ſubſidii conceſſione facta à Sanctiſſimo Papa Pio V. *anno* 1561. dum referuntur Eccleſiæ, & beneficia, quæ tenentur contribuere, ponuntur hæc verba : *Capellæ, & Capellaniæ perpetuæ*, & licet Capellani amobiles dicantur, perpetui aptitudine, hoc tamen impropriè, ut *ſupra* diximus, & per poſterius, & verba reſcripti ſunt intelligenda in proprio, formali, & nativo ſenſu, *l. fin. C. de his qui veniam ætatis impet.* cum aliis, maximè ubi agitur de onerando, quo caſu verba ſunt ſumenda per prius, & non per poſterius, Alexand. Raudenſis, *de Analogis lib.* 1. *cap.* 10. *num.*



*num.* 1. ubi plures refert ad obviandum litibus, ut dicit dicta nova conſtitutio, vel declaratoria, ſeu mixta, quia utitur verbis, decernimus & declaramus, & vere eſt extenſiva & ampliativa inſpectis verbis primæ conceſſionis ſubſidii ibi, & Capellaniæ perpetuæ, & verbis conſtitutionis Clementis Papæ VIII. ibi : *Non ſolum Capellani Capellaniarum perpetuarum, ſed etiam Capellani ad nutum amobiles*, nam dictio illa, etiam, eſt ampliativa, Clementina, 1. in fine, & ibi Cardinalis *de re judic.* Burgos de Paz, *l.* 1. *Taur. num.* 39. *l. etiam, C. de jure dotium, l. etiam, ff. ſolut. matrim.* atque ita ſunt intelligenda verba prædictæ conſtitutionis, Clementis VIII. ibi : *Æque ac alii titulares ſupradicti*, ut loquatur de perpetuis propriè, quibus adæquantur alii amobiles titulares ſcilicet, hoc namque implicat dicto alii ex gloſſ. *fin. communiter recepta in l. ſi fugitivi, C. de ſervis fugitivis*, & quod loquatur de amobilibus titularibus, colligitur ex illis verbis : *Sed etiam Capellani ad nutum amobiles qui Capellanias ipſis ad nutum concedi ſolitas*, nam verbum illud concedi, titulum demonſtrat, ut ex Rubro, & Nigro de conceſſione præbendæ, neque ad collationem requiritur, quod præciſe utatur verbo confero, nam & aliis verbis datur collatio, ut per Abbatem, & alios à me relatos, *infra, cap.* 10. *numer. final.*

Et non ſolum dicta conſtitutio comprehendit Capellanias collativas amobiles, ſed etiam non collativas quarum bona ſtabilia certa, & determinata poſſidentur à clericis quibus ſunt relicta, & hoc, quia ea bona, quæ ab eiſdem clericis poſſidentur, verè ſunt tranſlata in patrimonium Eccleſiæ, & ſic Eccleſiaſtica, quod enim relinquitur clericis Eccleſiæ cenſetur relictum, *l. annua*, §. *atria, ff. de annu. legat.* & ſunt in Eccleſiæ regimine, *cap. noverint.* 10. *quæſt.* 1. & ſic eorum redditus Eccleſiaſtici ſunt : ſecus tamen erit, ſi bona relinquantur laicis cum onere miſſarum, & Capellaniæ ad nutum amobilis, ex quo ea bona non ſpiritualizantur, imo remanent in ſua temporalitate, & in regimine laici, & judicis ſæcularis, ut latè diximus *ſupra hoc lib. cap.* 1. *ex numer.* 3. & *ex num.* 34. cum ſequentibus, hæc namque ſubſidii contributio, & ſolutio, ſolum fit de redditibus Eccleſiaſticis, ut colligitur ex dicta Bulla conceſſionis Sanctiſſimi Papæ Pii V. edita *anno* 1561. in narrativa petitionis, ibi : *Si ſibi ex Eccleſiarum opibus, prout æquitas omnino ſuadere videtur, aſſiſtentes ſibi, qua infra ſcriptum annuum ſubſidium, &c.* Et iterum in conceſſione, ibi : *Nos igitur tam patens præſentaneumque totius Eccleſiæ Catholicæ periculum nulla ratione diſſimulari poſſe, ſed particularium Eccleſiarum opes atque redditus pro neceſſaria illarum, ſuorumque filiorum, & Chriſtianæ communiſque tam laicorum cauſa, atque ſalutis defenſione, &c.* Et etiam ex dicta conſtitutione Sanctiſſimi Clementis Papæ VIII. ibi : *Capitula nobis exponi fecerunt, quod prædicta capitula, quæ univerſum clerum Regnorum Caſtellæ, & Legionis repræſentant, cupientes gratiam, ſive prorogationem ſubſidii annuum quadringentorum & viginti millium ducatorum chariſſimo in Chriſto filio noſtro Philippo III. Hiſpaniarum Regi Catholico ſuper fructibus, & redditibus Eccleſiaſticis, &c.* Et ex quo hoc ſubſidium ſolvitur de Eccleſiaſticis redditibus infert Laſarte, *de decima venditionis, c.* 19. *n.* 35. debere ſolvi ſubſidium de tertiis Regalibus à laicis poſſeſſis, quod etiam in terminis ſubſidii tradit Decius, *conſ.* 156. *num.* 4. & Gigas, *de penſionibus, quæſt.* 38. ſed non defalcatur de tertiis à domino noſtro Rege poſſeſſis, vel ab eo liberis ſubſidio venditis, nam ex quo tempore conceſſionis ſubſidii tertias poſſidebat, quod ejus favore eſt conceſſum, non eſt ei aliquo modo damnum allaturum, & ei integræ gratiæ quantitas eſt ſolvenda, neque obſtat, quod domini poſſidentes tertias ex earum fructibus gabellam ſolvant, quæ non ſolvitur de redditibus Eccleſiaſticis, & ſic videatur dari repugnantia in rebus, nam reſpondetur id contingere diverſis reſpectibus, cum ſubſidium ſolvatur quia ſunt redditus Eccleſiaſtici, qui in laicos tranſeunt cum ſuo onere, ut quælibet res tranſit, *cap. fin.* §. *porro de offic. ord. lib.* 6. *l.* 1. §. *pro ſecundo, C. de caducis tollen. l. neque ſtipendium, ff. de impenſis in rebus dota. fact.* Decius, *conſ.* 157. *numero* 3. ubi loquitur in oneribus realibus rerum clericorum, non perſonarum, ut eſt noſter caſus : at gabella ſolvitur de venditione facta à meris laicis. Et quia prædicta bona anniverſarii, vel Capellaniæ profanæ, non ſunt ſpiritualia, nec Eccleſiaſtica, non ſunt onerata contributione ſubſidii, atque ita teneo, & deprecor dominos, & à me ſemper colendiſſimos Eccleſiaſticos advertant, quod licet hæc noſtra opinio, quoad præſentis ſubſidii contributionem non videatur eis utilis, quia per eam tolluntur contribuentes ad ſummam prætaxatam, erit utilis, quando ſubſidium fuerit ſolvendum pro quota fructuum, & redditum Eccleſiaſticorum, ut ſæpe contingit, & jam ita erat conceſſum in Hiſpania, ut conſtat ex conceſſione hujus ſubſidii ad quam conſequendam Rex noſter renunciavit alii conceſſioni medietatis fructuum, & eo caſu non contribuent hæ Capellaniæ, & lucrantur clerici.

Et ſic appellatur beneficium conceſſum ad placi- 18
tum Romani Pontificis, *cap. paſtoralis* 7. *quæſtione* 1. & *cap. ſi gratioſe de reſcript. lib.* 6.

Et ſcias, quod licet voluntas alicujus morte fi- 19
niatur, & ſic contractus locationis ad placitum morte extinguatur, *l.* 4. *ff. de locato*, Gozadinus *conſ.* 22. *num.* 7. Corneus, *conſi.* 92. & 235. *vol.* 2. Medicis, *tractat. mors omnia ſolvit, concluſ.* 16. Covarr. *lib.* 3. *variarum, cap.* 15. *numero* 2. dicit magis communem opinionem Carrotius, *de locato quæſt.* 12. de beneplacito, *n.* 3. *fol. mihi* 233. tamen Capellanus amovibilis non cenſetur revocatus, ſeu remotus morte patroni nominantis ex Panormita, *in cap. fin. de precario*, tradit Rebuff. *de pacificis poſſeſſoribus*, §. *limitatione, numero* 275. Decius, *cap. ad noſtram de confirmatione utili*, vel inutili, ſequitur Petrus Gregorius, *de beneficiis, cap.* 11. *num.* 12. tenet Coſmas Guimier, *in pragmat. ſanct. tit. de collationibus, verbo perpetuis, fol. mihi* 116. *num.* 4. Neque obſtat *dict. l.* 4. *ff. locati*, quia ibi conceſſit ad ſui placitum perſona particularis, & fuit conſiderata voluntas reſpectu ſui individui, & ſic in concreto. Secus tamen eſt ubi conſideratur voluntas reſpectu officii, ſeu dignitatis in abſtracto, quia tunc (cum conſideretur officium, ſeu dignitas, quæ non moritur, ut in *dict. cap. ſi gratioſe*) non expirat nominatio facta, uti eleganter diſtinguit Barboſa, *l. quia tale, num.* 87. & 92. *ff. ſolut. matrimonio*, & Carrotius ubi *ſupra, num.* 6. ubi plures refert Doctores, & Navarrus, *conſ. mihi.* 18. incipienti, quæſitum fuit, *numero* 2. *de præbendis, & dignit.* Et ſic morte patroni nominantis Capellanum) non extinguitur collatio.

Bene tamen verum eſt, quod patronus ſucceſſor non

non tenetur ſtare nominationi, ſeu conceſſioni fa-
ctæ à prædeceſſore, juxta gloſſ. *cap. ultim. ne præla-
ti vices ſuas, in verſ.* 3. per quam ita tradit deciſio
Rotæ Romanæ 177. *num.* 2. *part.* 3. & poterit re-
vocari, *cap. ſi gratioſe, de reſcript. lib.* 6. ſecus ta-
men erit ſi fuerit nominatus Capellanus per fundato-
rem, quia niſi male verſatus fuerit, non poterit hæ-
res patronus removere, Valaſcus, *conſult.* 105.
*num.* 19. niſi & hoc etiam ſit ei commiſſum.

20 Neque iſte Capellanus remotus poteſt petere reſti-
tutionem, cum ei non competant remedia poſſeſſo-
ria, ut tradunt Gofredus, Butrius, Imola, & Do-
minicus, *in cap. ex parte de reſcriptis*, quos refert,
& ſequitur ibi Felinus, *num.* 4. ex eo, quia is
Capellanus amobilis non poſſidet, ut dicitur de co-
lono, *l.* 1. §. *deciditur, & l. fin. ff. de vi, & vi ar-
mata*, ubi reſpondit Petro de Ancharrano contra-
rium tenenti.

21 Ex quo eſt, quod cum non poſſideant beneficiati
in his beneficiis, non poſſunt juvari regulis de an-
nali, & triennali. Mohedanus, *deciſ.* 169. *aliàs*
340. Flaminius, *de reſignatione benefic. lib.* 11.
*quæſt.* 3. *num.* 84. *&* 85. *&* 96. limita contra patro-
num, ſecus contra alium.

22 Si tamen proviſus in beneficio amobili ad nutum
ex malitia, & ſine cauſa fuerit remotus, poterit
adire ſuperiorem, ut eum reſtituat, ut dicit Re-
buff. *tractat. nominatio. quæſt.* 9. *num.* 25. quem
ſequitur Petrus Gregor. *de beneficio. cap.* 11. *num.*
12. quia malitiis eſt obviandum, ut *in l. in fundo,
ff. de rei vendicatione*, ibi: *Neque enim malitiis in-
dulgendum eſt, ſi velit picturas corradere, nihil latu-
rus, niſi ut officiat*, ſed in hoc cautè eſt proceden-
dum, nam cum non debeat jus ſuum cuique detra-
hi, §. *ſed & major aſperitas inſtitut. de his qui ſunt
ſui, vel alien.* non eſt faciliter auferenda patrono
facultas amovendi Capellanum, ſed ita demum ſi
malitioſe faciat, ut dicunt prædicti Doctores.

Malitia autem ceſſante poteſt removere ad nu-
tum, Coſmas Guimier, *in pragmat. ſanct. titul. de
collationibus, verbo perpetuis, folio mihi.* 116. *num.*
3. *ad fin.* nam poteſt patronus, ſine culpa Capel-
lani, & ſine cauſæ cognatione, eum removere,
Navarrus, *conſil.* 6. *lib.* 7. *incipienti, de Capellania,
num.* 1. *de præbend.*

Et excludetur præſumptio malitiæ, ſi aliqua
conſiderabili cauſa ad removendum hoc faciat,
23 etiam quod proviſus non fuerit demeritus, ut ſi
velit ſervitium Capellaniæ conferre conſanguineo
ad quem quis præſumitur habere affectionem, Si-
mon de Prætis, *de interpretat. ult. volunt. interpre-
tatione* 2. *dubitatione* 2. *ſolutione* 5. *num.* 1. Vel
amico, qui eo loco habetur, ut per totum, *tit.* 27.
*part.* 4. & tradit Bart. *l. cum acutiſſimi, num.* 22.
*&* 214. *C. de fideicommiſſis*, & indicatur honeſta
cauſa removendi Capellanum, ſi patronus id faciat,
ut conſanguineum præſentet, Lambertin. *de jure
patron. lib.* 1. 1. *part. quæſt.* 9. *princip. artic.* 2.
*num.* 18.

24 Quinimo ſi juſtis, vel injuſtis rationibus (ſine
calliditate tamen) motus fuerit patronus, & cauſa,
beſtiali, (ut ita dicam) cum ſit ſufficiens ad ex-
cludendam malitiam, *l. igitur, ff. de liberali cau-
ſa*, eſt toleranda mutatio, nec poterit Capellanus
remotus conqueri, nam qui utitur jure ſuo, nemi-
ni facit injuriam, text. *in cap. cum Eccleſia Vulte-
rana*, 31. *de electione*, ubi gloſſ. *verb. injuriam,
& l. injuriarum* 13. §. 1. *ff. de injuriis, l. nullus,*
25 *ff. de regul. juris.* Et hoc evenire poſſe, proſpicere
debuit Capellanus, *arg. l. ſi quis domum*, §. *hinc
ſubjungi, ff. locati*, & judex debet ex officio ſuo
providere ne vis fiat patrono utenti jure ſuo ad tra-
dita per Marcum Anton. Peregrinum, *conſ.* 48.
*numero* 4. *volum.* 3. *ad finem.*

## CAPUT VII.

### De conditione appoſita per fundatorem, ne Capellanus habeat aliud beneficium: & an Capellania ſit beneficium ſimplex, & quæ merè ſimplicia, & quæ ſervitoria ſint, & quæ conformia, & difformia.

*SUMMARIUM.*

1 *Conditio, ne Capellanus habeat aliud beneficium, juri eſt conformis.*

2 *De jure communi nequit quis obtinere plura beneficia, etiam ſimplicia.*

3 *Conditio, ne Capellanus habeat aliud beneficium, ſuſtinebitur, ſi fundator relinquat ſufficientes redditus pro Capellani ſuſtentatione.*

4 *Si unum beneficium non ſufficiat pro alimonia, poterit quis duo habere, modo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat*, & num. 12. & 14.

5 *Duo beneficia ſimplicia, quorum alterum non ſufficiat ad ſuſtentationem, poterit quis habere abſque diſpenſatione.*

6 *Et ad eundem modum duas Capellanias, niſi habeant onus adjuvandi curatum, in aliquibus.*

7 *Capellanus poteſt per alium, ſeu alios miſſas dicere, & ſic Capellania non requirit reſidentiam perſonalem.*

8 *Licet beneficium requirat reſidentiam, poteſt eſſe beneficium ſimplex: & quæ dicantur beneficia ſimplicia.*

9 *Ex eo, quod beneficia ſint ſervitoria, non deſinunt eſſe ſimplicia.*

10 *Beneficia ſimplicia ſunt duplicis ſpeciei, & merè ſimplicia, & ſervitoria.*

11 *Nullus poteſt habere duas Capellanias ſub eodem tecto.*

12 *Si tamen altera non ſufficiat ad ſuſtentationem, poterit duas habere, ex diſpenſatione tamen.*

13 *Hodie ex diſpenſatione Concilii Tridentini poteſt quis habere duo beneficia ſub eodem tecto, etiam conformia inſufficientia ſecundum Cerolam.*

14 *Intelligitur declaratio ſacræ congregationis Cardinalium de non obtinendo plura beneficia ſimplicia ſine diſpenſatione, ut procedat ſi ſint ſufficientia.*

15 *Si beneficia ſint ejuſdem ſpeciei, ut duo Canonicatus, nequeunt obtineri ſine diſpenſatione.*

16 *Epiſcopus poterit obtinere aliud beneficium diverſæ ſpeciei, ſi non habeat ſufficientes redditus pro victu.*

17 *Canonicatum cum Capellania poteſt quis obtinere ſub eodem tecto*, & num. 26.

28 *Canonicatum cum Capellania poteſt quis obtinere in eadem Eccleſia, abſque aliqua diſpenſatione.*





19 *Intelligitur text.* in cap. literas de conceſſione præbend. & Clementina fin. de præbendis.

20 *Intelligitur, & declaratur text.* in cap. 1. de conſuetudine lib. 6.

21 *In terris ubi ſervatur jus commune antiquiſſimum, requiritur diſpenſatio Epiſcopi, ut in eadem Eccleſia poſſit quis obtinere Canonicatum cum præbenda.*

22 *In terris ubi conſuetudo ſubſtraxit neceſſitatem reſidendi in beneficiis ſimplicibus, non eſt neceſſaria diſpenſatio.*

23 *Hodie idem operatur conſuetudo circa ſupra dicta, quod olim diſpenſatio.*

24 *Navarrus affirmat, nunquam jure communi beneficia difformia ejuſdem Eccleſiæ, ſibi alioquin non repugnantia, fuiſſe incompatibilia.*

25 *Beneficia repugnantia dicuntur, quando eodem tempore, & iiſdem horis eis incumberet onus aliquid faciendi.*

26 *Repugnantia ubi non datur in officio, & exercitio, poteſt quis vicem duorum ſuſtinere.*

1 POTERIT etiam Capellaniæ funda-
tor diſponere, quod Capellanus non ha-
beat aliud beneficium, ſeu Capellaniam.
Hæc namque conditio juri eſt confor-
mis, quo arcetur quis à pluralitate beneficiorum,
*cap. de multa, de præbend. cum ſimilibus, Concil.
Trid. ſeſſ.* 7. *cap.* 4. *de reformatione, & ſeſſ.* 24.
*cap.* 17. etiam quod ſint beneficia ſimplicia, *cap.*
2 *conquerente de clericis non reſidentibus*, Navarr. *conſ.*
10. *alias* 12. *incipienti, quæſitum fuit, de præb.
numer.* 1. Bernardus Diaz, *in praxi crimin. cap.* 48.
*num.* 5. & ibi Salcedo additionator, *verb. quam-
vis ſimplicia*, ubi refert Sanctum Thomam, &
alios.

3 Suſtinebitur autem hæc conditio, modo fundator
ſufficientes relinquat redditus pro Capellani ſuſten-
tatione, aliàs rejicietur, ne compellatur mendica-
re in opprobrium totius cleri, *argument. eorum,
quæ tradit* Gutierr. *de jurament. confirm.* 1. *part.
cap.* 17. *num.* 34. & Petr. Greg. *de benefic. cap.* 15.
*num.* 1. *&* 2.

4 Nam licet regulariter nequeat quis obtinere duo
beneficia, illud ceſſat, ſi unum non ſit ſufficiens
ad ſuſtentationem, ut tradit gloſſ. *verbo intitulatam
in cap. dudum, l.* 2. de electione, Concil. Trid.
*ſeſſ.* 24. *cap.* 17. *de reformatione*, ubi idem admit-
tit, ſi utrumque perſonalem reſidentiam non re-
quirat.

5 Et ſic poterit quis obtinere duo beneficia ſimpli-
cia, etiam ſine diſpenſatione, ut tradit Rebuff.
*in praxi beneficiorum, titul. de diſpenſatione ratione*
6 *ætatis verb. incompatibilia, num.* 5. modo alterum
non ſit ſufficiens, ad eundem modum, & duas
Capellanias, tradit Cerola, *in praxi Epiſc.* 2. *p.
verb. conformitas*, modo altera non ſit ſufficiens,
Ojeda *de incompat. benef.* 1. *p. cap.* 21. *n.* 13.

Neque obſtabit, quod cum Capellaniæ requi-
rant miſſarum celebrationem, habent reſidentiam
perſonalem, & ſic non ſint beneficia ſimplicia, ſed
reſidentiam requirentia, quorum concurſus Conci-
lium non admittit, *dict. cap.* 17. Nam reſponde-
tur, quod hoc procedit, & habebit locum, quan-
do ultra miſſarum celebrationes Capellaniæ habeant
onus adjuvandi curatum in cantando, & aliis ſimi-
libus, *argum. cap. ſignificaverunt de præbendis*, per
quem text. alios referens DD. tradit Cerola, *in
praxi Epiſcopali*, 1. *part. verb. beneficia ad pri-
mum, verſ. tertio Capellaniæ*, ubi ponit verba ſa-
cræ congregationis Cardinalium, *declaratione* 222.
quæ talia ſunt: *Si Capellania habeat onus celebran-
di certas miſſas, & coadjuvandi in cura animarum
in Eccleſia plebanatus, dicitur requirere reſidentiam:*
at ſi ſolum Capellania habeat onus celebrandi miſſas, 7
cum Capellanus poſſit per alium, ſeu alios miſſas
dicere (ut tradit Lapus, *allegatione* 39. quæ inci-
pit, verum abſque diſpenſatione, ex Innocentio,
*cap. ex tunc, verſ. item oportet de clericis non reſi-
dentibus*, Selva, *de benefic.* 4. *part. quæſt.* 2. *num.* 3.
Abb. *cap. quia nonnulli, num.* 7. *de clericis non re-
ſidentibus*, Tabiena, *verb. beneficium* 3. §. 20. Ar-
milla, *verb. beneficium num.* 83. Idem tradit Gra-
tia, *deciſ.* 26. *num.* 31. *in fine*, & idem cenſuit
ſacra congregatio Cardinalium, ut tradit Cerola,
*in praxi Epiſcopali*, 1. *part. verb. beneficium ad* 7.
*verſ.* 8. *concluſio*) non dicentur requirere reſiden-
tiam perſonalem, nam beneficium non dicitur re-
ſidentiale propter onus celebrandi miſſam, nec in
hoc eſt electa induſtria perſonæ, Gratianus, *deciſ.*
155. *num.* 4.

Et licet beneficium requirat reſidentiam, poterit 8
eſſe beneficium ſimplex, ut tradit Navarr. *conſ.
mihi* 61. *incipienti ſi quæſtionibus propoſitis, num.* 6.
*de ſimoni.* ea enim dicuntur beneficia ſimplicia, quæ
non habent populum, ſeu clerum, vel curam ani-
marum, tradit Staphileus, *de literis gratiæ, tit. de
modo, & forma impetrandi*, §. *præterea, numero* 2.
quem & alios refert, & ſequitur Cerola, *in praxi
Epiſcopali*, 1. *part. verb. beneficium ad primum,
verſ. ſecundo, ſimplicia dicuntur, Hoſtienſ. in ſum-
ma de præbend. num.* 3.

Neque ex eo, quod ſint beneficia ſervitoria deſi- 9
nunt eſſe ſimplicia: nam duplicis ſunt ſpeciei bene- 10
ficia, alia merè ſimplicia, alia ſervitoria, prout
habent onus celebrandi miſſas, ut tradit Lelius
Zechius, *de viſitatione cap.* 6. *num.* 10. ubi *num.* 7.
*verſiculo dicitur vero altare*, inquit quod Capella-
nia eſt beneficium ſimplex.

Sed non poterit duas Capellanias habere ſub eo- 11
dem tecto per *cap.* 2. *de conſuetud, lib.* 6. & ibi Ge-
min. *num.* 14. ubi loquitur in Capellaniis, quæ
conferuntur, & dantur in titulum perpetuum, quæ
ut ipſe inquit, beneficia ſunt, & diximus *ſupra
cap.* 1. *num.* 16. *hoc lib.* 2.

Si tamen altera non ſufficiet ad ſuſtentationem, 12
poterit duas habere ex diſpenſatione tamen, ut in-
quit Navarr. *conſ.* 1. *incip. quia num.* 39. *de conſti-
tut.* ubi dicit communem opinionem, nam poteſt
quis habere tot beneficia (dummodo perſonalem
reſidentiam non requirant) quot ſufficiant uſque
ad congruentem ſuſtentationem, Navarrus, *conſ.
mihi* 14. *incipienti, quidam habent, de præbendis*,
qui fundatur *in dict. cap.* 17. *Concil. Trid. ſeſſ.* 24.
tradit Cerola, *in praxi*, 2. *part. verbo conformi-
tas, &* 1. *part. verb. beneficia ad ſeptimum, verſ.
ſecunda concluſio.* Imo quod magis eſt, hodie ex
diſpenſatione Concilii *in dict. ſeſſ.* 24. *cap.* 17. *de re-
formatione*, poteſt quis habere duo beneficia etiam 13
conformia ſub eodem tecto, modo ſint inſufficien-
tia, & ſimplicia, nec perſonalem reſidentiam re-
quirant, ita affirmat Cerola loco proximo citato,
*verſ.* 6. *concluſio*, ubi inquit, hodie habere locum
*gloſſ. cap.* 1. 21. *quæſt.* 1. *& gloſſ. cap. ſanctorum in
fine* 70. *diſtinctione, & in cap. gratia in verbo de
jure de reſcript. lib.* 6. *& in cap. de multa in fin. de
præbend.* intelligendo dictas gloſſas, juxta normam
Concilii Trid. & reſpondit ad declarationem 107.

ſacræ Congreg. Card. dicentem plura beneficia ob-
14 tinere non poſſe, licet ſint ſimplicia, ſine diſpen-
ſatione Papæ, ut ea declaratio procedat, ſi unum
beneficium ſit ſufficiens, ut prius declaraverat ſacra
congregatio, *declaration.* 70.

15 Limitabis autem ſupradicta, ut non procedant,
ſi beneficia ſint ejuſdem ſpeciei, ut duo Canonica-
tus, duæ dignitates, ut *in cap. literas de conceſſio-
ne præbend. & Clement. fin. de præbend.* Navarr. *conſ.
mihi* 29. *incipienti*, an quis poſſit retinere Cano-
nicatum, *num* 5. *de præb.* licet ex diſpenſatione,
ex aliquibus circunſtantiis obtineri poſſint, ut poſt
Navarr. tradit Cerola, *dict. verb. conformitas*, de
quo Ojeda, *de incompatibil. benef.* 1. *p. cap.* 20. &
21. Gratianus, *deciſ.* 155. *numero* 20.

16 Atque ita Epiſcopus poterit habere aliud bene-
ficium diverſæ ſpeciei, ſi non habeat ſufficientes
redditus pro victu, Navarr. *conſ.* 21. *incipienti, an*
17 *collatio. num.* 2. *de præbend.* Sic Canonicatum cum
Capellania quis obtinere poteſt ſub eodem tecto.
Gomez. *de expectat. numero* 44. *& fol.* 75. *num.* 1.
Cerola ubi *ſupra.*

18 Sed Canonicatum cum dignitate in eadem Ec-
cleſia abſque ulla diſpenſatione poterit quis retine-
re attento jure communi, tradit Navarrus, *conſ.* 29.
19 *incip. an quis*, *num.* 8. *de præbend.* ubi quod, *cap.
literas de conceſſ. præbend. & Clement. fin. de præ-*
20 *bend.* loquuntur, & habent locum in beneficiis
ejuſdem ſpeciei, & ad *cap.* 1. *de conſuetudine lib.* 6.
reſpondet, quod licet prohibeat quem habere in
eadem Eccleſia duas dignitates, ſive duos perſona-
tus, aut duo officia conformia, vel difformia, non
tamen vetat obtinere unum tale cum Canonicatu,
& præbenda; imo ut ipſe inquit, gloſſa ibi infert,
poſſe quem in eadem Eccleſia habere ex diſpenſa-
tione Epiſcopi Canonicatum, & præbendam cum
21 dignitate, & poſtea ſubdit, *num.* 9. Quod ea gloſſa
in quantum requirit diſpenſationem Epiſcopi, in-
telligenda eſt in illis tertis ubi ſervatur jus commu-
ne antiquiſſimum, *cap. conquerente de clericis non
reſidentibus*; non autem in iis ubi conſuetudo ſub-
22 ſtraxit neceſſitatem reſidendi in beneficiis ſimplici-
bus, quæ ſunt ferè omnes, ut ipſe teſtatur, &
quibus hodie operatur conſuetudo, quod olim diſ-
23 penſatio. Et quod talis conſuetudo valeat, tradit
Marc. Anton. Cuch. *lib.* 1. *inſtitution. majorum
titul.* 9. *num.* 89. ubi alios refert, & Navarr. *dict.*
24 *conſ.* 29. *numero fin.* concludit, dicens nunquam
jure communi beneficia difformia ejuſdem Eccleſiæ
ſibi alioquin non repugnantia fuiſſe incompatibilia,
ex eo quod illa incompatibilitas proveniebat, quia
non poterat unus in diverſis Eccleſiis reſidere, &
omnia beneficia requirebant reſidentiam, quod ceſ-
25 ſat in beneficiis ejuſdem Eccleſiæ, & tunc erunt
repugnantia, quando alteri incumberet onus ali-
quid faciendi eodem tempore, quo aliud illi repu-
gnans incumberet alteri beneficio, *l. ubi repugnan-
tia ff. de regul. jur.* ubi autem non datur repugnan-
tia in exercitio, poterit quis vicem duorum ſu-
ſtinere, *l. ſi conſul. ff. de adoptionibus*, & quod
poſſit quis habere in Eccleſia collegiata Canonica-
tum, & Capellaniam cum onere celebrandi miſſam
abſque diſpenſatione, tradit Gratianus, *deciſ.* 155.
*num.* 16. Mohedanus, *deciſ.* 15. *de præbendis.*

## CAPUT VIII.

### De conditione reſidendi ubi Capellania celebratur, & celebrandi tali Capella, ſeu altari, appoſita per fundatorem, & an omnia beneficia requirant reſidentiam, & an ſimplicia, & præſtimonialia.

*SUMMARIUM.*

1 *Conditio reſidendi appoſita per fundatorem, tenet, quia eſt juri conformis.*
2 *De jure communi omnes beneficiati tenentur ad reſidendum, etiam quod beneficia ſint ſimplicia, & parvi valoris*, & num. 9.
3 *Parum & magnum in jure quoad obligationem, non inducunt differentiam.*
4 *Plus & minus non faciunt differre ſubſtantia.*
5 *Si declarationi certæ quantitatis addantur verba, plus, minus, non faciunt, quod quantitas expreſſa reddatur incerta.*
6 *Quando additur dictio plus, intelligitur de minuſcula, & quid in venditione.*
7 *Verba hæc, plus, minus aliquando extenduntur uſque ad quartam partem.*
8 *In beneficiis, quoad reſidendi obligationem, non attenditur majoritas, vel minoritas*, & numero 11.
9 *Valet argumentum de matrimonio carnali ad ſpirituale.*
10 *Eccleſia eſt diligenda propter Eccleſiam, non autem propter temporale lucrum.*
11 *Clerici non debent lucris temporalibus inhiare.*
12 *Beneficium omne datur propter officium.*
13 *Suſpenſus ab officio an cenſeatur ſuſpenſus à beneficio.*
14 *Qui non ſervet amittit beneficium.*
15 *Recuſans onus, quod teſtator reliquit, à commodo repellitur, & à hæreditate, niſi ſit ei damnoſa, ut nec privatio ab officiis publicis intelligi de damnoſis.*
16 *Conductor repellitur à domo, ſi non ſolvit penſionem.*
17 *Quando aliquid conceditur propter laborem, ceſſante labore, ceſſat.*
18 *Capellanus non adimplens conditionem reſidendi Capellania eſt privandus.*
19 *Laudatur illuſtriſſimus Cardinalis Zapata, filius Comitis de Barajas.*
20 *Conditio reſidendi civiliter eſt intelligenda, non amare in rigore Mathematico, ut non poſſit per modicum tempus recedere*, & num. ſequent.
21 *Divertiſſe non videtur qui cito redit.*
22 *Abſens à Parochia per breve tempus, animo revertendi, non amittit eam.*
23 *Continui commenſales dicuntur qui pro negotiis, animo redeundi, ſe abſentant.*
24 *Quilibet dicitur eſſe ubi amat, & quo rediturus eſt, non ubi amat.*
25 *Reſidere continue dicetur, qui aliquibus diebus diverteris, moraliter intelligendo.*





26 *Teſtis dicens aſſiduè, quid factum, non eſt falſus, licet probetur aliquibus diebus factum non fuiſſe.*
27 *Semper dicetur, quem exercuiſſe ſpiritualia, licet aliquando fuerit abſens*, & num. 29.
28 *Perpetuum dicitur ſtillicidium, licet non ſemper cadat.*
29 *Dictum teſtis dicentis, Titium reſediſſe in Eccleſia, non vitiatur, ſi aliquo intervallo non reſederit.*
30 *Conditio celebrandi in certo ſacello ſeu altari, ſuſtinetur, & Capellanus tenetur eam ſervare, & alibi celebrans non ſatisfacit, & eſt communis opinio.*
31 *Capellanus cui eſt injunctum onus celebrandi certo ſacello, ſeu altari, ſi non adimplet, peccat.*
32 *Viſitator debet inquirere, an Capellanus dicat miſſas ſecundum obligationem.*
33 *Miſſa defunctorum plus prodeſt defunctis ob ſpeciale officium defunctorum, & Capellanus non ſatisfacit fundatori dicendo aliam.*
34 *An ſacerdos celebrans in altari privilegiato (vulgo de anima) teneatur dicere miſſam defunctorum, ut anima pro qua celebrat juvetur indulgentia, vel ſit idem, ſi celebret de Feria, vel de Sancto.*
35 *Miſſæ omnes ſunt æqualis valoris ex opere operato.*
36 *Capellanus non adimplens juſſa licita fundatoris, privatur Capellania, quemadmodum non adimplens juſſa defuncti privatur commodo hæreditario.*
37 *Debet tamen monitio præcedere, niſi implendum ſit adjunctum per verba negativa, vel in vim conditionis.*
38 *Privatio non fit ipſo jure, ſed prævia cauſa cognitione, & judicio, ad quod pars eſt citanda.*
39 *Ubi perſona eſt certa, eſt citanda, nec tunc ſufficient proclamationes.*
40 *Quod maximè procedit ubi agitur de auferenda poſſeſſione.*
41 *Si ignoratur ubi eſt Capellanus, citatur per adicta: & de modo procedendi ad privationem.*
42 *Si Capellaniæ fundator non adjecerit reſidendi conditionem, poterit Capellanus libere abeſſe, & per alium miſſas dicere.*
43 *Reſidendi conditio, non ſolum expreſſe, ſed etiam tacite cenſetur appoſita, & quomodo.*
44 *Quando verba diriguntur ad perſonam, cenſetur electa ipſa perſona.*
45 *Quando verba legis diriguntur ad judicem, naſcitur officium judicis.*
46 *Ex adjunctis ſumitur qualis fuerit animus, & voluntas teſtatoris.*
47 *Beneficia curam animarum habentia, requirunt reſidentiam de jure divino.*
48 *Beneficia quibus nulla ineſt animarum cura, requirunt reſidentiam de jure poſitivo.*
49 *Lex poſitiva tollitur, contraria lege lata, ita & contraria conſuetudine obtenta, quæ vim habet legis.*
50 *Conſuetudo, quæ ſequuta eſt legem, derogat legi, quamvis lex præcedens reprobet conſuetudinem.*
51 *Conſuetudine poteſt induci, quod habentes beneficia ſimplicia, etiam abſentes percipiant redditus tuta conſcientia.*
52 *Generali Eccleſiæ conſuetudine obtentum eſt beneficia ſimplicia curam animarum non habentia, reſidentiam non requirere.*
53 *Præſtimonialia beneficia, ſeu præſtimoniales portiones (vulgo preſtamos) libera ſunt ab omni præcepto reſidendi, & clericum ſupponendi; de quibus multa ſunt in noſtra Hiſpania.*
54 *Præſtimonialia beneficia qualia ſint, & an dentur in titulum*, & num. 57.
55 *Præſtimonium unde dicatur.*
56 *Præſtimonia quando in mera temporalitate conſiſtunt non habentia aliquod ſpirituale ſervitium annexum, non veniunt appellatione beneficii, nec ſunt in impetratione exprimenda.*
37 *Præſtimonium ſi detur in titulum, & habeat annexum ſpirituale onus ad quod titularis teneatur, dicetur beneficium.*
58 *Agitur an conditio injuncta Capellano, ne recedat à loco ubi celebratur Capellania, poſſit ſuſtineri, cum videatur ſervitutem inducere*, & numeris ſequentibus,
59 *Conditio vel modus, per quam libertas infringitur, non ſervatur.*
60 *Conditio, ne quis recedat à loco eſt inductiva ſervitutis.*
61 *Licet valeat pactum quo quis adſtringitur habitare certo loco, non tamen præciſe compellitur habitare, & an poſſit per ſubſtitutum.*
62 *Nullus poteſt etiam cum juramento ſe obligare ad ſervitia perſonalia, ſi non ſit libertus ſecundum Lucam de Penna.*
63 *Generaliter omne illud, quod impedit libertatem aliquo modo in pacto non admittitur.*
64 *Rejicitur conditio, quod quis ſemper teneatur habitare certo loco.*
65 *Quod maxime procedit ſi ponatur in diſpoſitione, non in conditione.*
66 *Conditio reſidendi addita Capellaniæ juridica eſt & ſubſtinetur, & quare.*
67 *Intelligitur*, l. Titiocentum, §. Titio centum, el. 2. de cond. & demonſt. & l. 2. ff. de libero homine exhibend. *ut procedant quando conditio reſidendi non reſpicit alicujus perſonæ utilitatem.*
68 *Conditio appoſita Capellano, cum reſpiciat commodum animæ defuncti, licite apponitur, & debet ſervari*
69 *Liberi homines in favorem tertii poſſunt obligari certo loco perpetuo morari.*
70 *Pactum in contractu matrimonii, quod maritus tali loco moretur, valet.*
71 *Maritus tamen ex nova cauſa poterit à loco recedere, non obſtante pacto.*
72 *Beneficiatus ſi vagatur, privatur beneficio, etiam quod reſidentiam non requirat.*

Conditionem reſidendi apponi poſſe per fun- 1
datorem Capellaniæ, nemo eſt qui dubitet,
neque ambigitur eam conditionem eſſe ju-
ri conformem, quo omnes beneficiari tenentur ad
reſidentiam perſonalem, *cap. ad hæc de præbend.* 2
*cap. quia nonnulli*, *cum aliis de clericis non reſi-
dentibus*, *cap. fin. de officio Vicarii*, *cap. pervenit
de appellationibus*, etiam quod beneficia ſint ſim-
plicia, modo dentur in titulum, Albericus, *in di-
ctionario*, *verb. reſidentiam*, & tradit Selva, *de be-
nefic.* 4. *part. quæſt.* 1. Gigas, *de penſion. quæſt.*
31. *num.* 1. ubi inquit, ſic tenere omnes Doctores,
& procedit, licet beneficia ſint parvi valoris, *cap.*

*conquerente de cleric. non reſid. & tradunt prædicti :*
ex quo enim beneficium acceptavi, illo debet eſſe
3 contentus, ut dicit Petrus Gregor. Toloſan. *de be-*
*neficio cap. 7. num.* 1. nam parum, & magnum in
jure, quoad obligationem non inducunt differen-
tiam, *l.* 1. §. *illud, ff. de conjungend. cum eman-*
*cipato liberis, l. ſi proprietarius, ff. de damno infe-*
*cto, l. quamvis, ff. ut in poſſeſ. legat.*
4 Ex quo provenit illud vulgare, quod plus, &
minus non faciunt differre ſubſtantia, *l. fin. de fun-*
*do inſtructo*, & ſic ſi declarationi certæ quantitatis
addita fuerint verba, plus, minus ( ut ſolet dici
5 noſtro Hiſpano ſermone, *poco mas, ò menos* ) non
faciunt, quod quantitas expreſſa reddatur incerta,
*l. publica Mævia.* § *fin. ff. depoſiti*, tradit Vincen-
tius, *de Franch. deciſ.* 292. *num.* 3. Quod enim ad-
ditur per dictionem, plus detrahitur per alteram
dictionem, minus, tamen Platea, *l. meminimus.*
6 *C. quando, & quibus, 4. pars debet*, tenet quod
quando dicitur tantum, & plus, intelligit de mi-
noſcula, pro quo eſt textus expreſſus, *in l. hæc*
*adjectio.* 192. *ff. de verborum ſignificatione* : in ven-
ditionis autem pretio adjecto pluris non operatur,
niſi verificetur, *l. hæc venditio.* 7. §. *fin. digeſt. de*
*contrahenda emptione.*
7 In aliquibus autem caſibus adjectio hæc, plus,
minusve, extenditur uſque ad quartam partem
quantitatis expreſſe, ut tradit Bart. *l. ſi quis in ſuo,*
*in princip. num.* 2. *cap. de inofficioſo teſtamento*,
ubi ejus additionator, & ſequitur Cabedo, *de pa-*
*tronatibus Regiæ Coronæ, cap.* 16. *num.* 1.
8 In beneficiis autem quo ad reſidendi obligatio-
nem, non attenditur majoritas, vel minoritas, ut
in eo qui pauperem uxorem duxit, nam valebit
matrimonium, *cap. ſi quis divinis in princip.* 30.
*quæſt.* 5. *auth. quibus modis naturales efficiantur legi-*
*timi*, §. *illud quam, verſ. ex ſolo affectu*, gloſſ.
*verb. non interveniat in cap. noſtrates*, 20. *quæſt.* 5.
9 & optimum eſt argumentum de matrimonio carnali
ad ſpirituale, *cap. inter corporalia de tranſlatione*
*Epiſcopi*, Petrus Gregor. *de benefic. cap.* 9. *num.* 2.
& ſic quod licet beneficia ſint parvi redditus requi-
rant reſidentiam perſonalem, tradunt omnes, *cap.*
*quia in tantum de præbend. DD. cap. fin. de clericis*
*non reſidentibus*, Abb. *cap. extirpandæ*, §. *quia*
*vero, num.* 30. *verſ. ego puto de præbend. idem* Abb.
*cap. conquerente, num.* 4. ubi Imola, *numero* 2. &
*cap. clericos, numero* 9. *de clericis non reſid.* Decius,
*cap. pervenit in* 2. *numero* 1. *de appellatio.* Hoſtienſ.
*in ſumma de clericis non reſid.* §. *quando clerici,*
Petrus Gambarus, *de legat. lib.* 6. *num.* 109, Ber-
nard. Diaz *in praxi cap.* 47. *de communi, teſtatur*
Gigas *de penſion. cap.* 31. *num.* 1. ubi ait procedere,
licet beneficium eſſet ſolum viginti ſolidorum, Man-
doſius, *in practica ſignaturæ gratiæ, titul. de diſ-*
*penſatione de non reſidendo, verſ. beneficia omnia*
10 *ſaltem.* Eccleſia enim diligenda eſt propter Eccle-
ſiam, non autem propter temporale lucrum, aliàs
mercenarius dicetur illius Prælatus, *cap. ſunt in*
*Eccleſia* 8. *quæſt.* 1. ibi : *Non Chriſtum gratis di-*
*ligentes, non Deum propter Deum quærentes, tem-*
*poralia commoda ſectantes, lucris inhiantes, quiſquis*
*talis eſt mercenarius eſt* : non enim debent clerici
11 lucris temporalibus inhiare, ut dicit text. *in cap.*
*ex parte in finalibus verbis de cenſibus, & conducit l.*
*profeſſio. C. de muneribus patrimon. libro decimo, &*
*de parvis, & minimis beneficiis judicatur*, quoad
ſubſtantiam beneficii, ut de magnis *cap. majoribus*
12 *de præb.* & cum omne beneficium detur propter
officium, *cap. ſingula* 89. *diſtinct. l. generaliter* 40.
*C. de Epiſc. & cleric.* ibi : *Eos autem clericos, &*
*monachos hujuſmodi habere beneficium ſancimus, qui*
*apud ſacroſanctas Eccleſias, vel monaſteria perma-*
*nent, non divagantes, neque circa divina miſteria*
*deſides, cum non propter hoc ipſum beneficium eis*
*indulgemus*, & tradit Cæſar Lambertinus, *de jure*
*patronatus lib.* 2. 2. *part. artic.* 4. *quæſt.* 9. *princi-*
*pali. num.* 8. & facit text. *in cap. fin. de reſcriptis*
*lib.* 6. *ubi* gloſſ. *verb. datur*, ex eo quod datur prop-
ter officium, colligit ſequelam, quod privatus offi-
cio, cenſetur privatus beneficio, *cap. eos* 81. & 13
gloſſ. *in cap. quia ſæpe*, 40. *verb. beneficiis, de ele-*
*ctione, eo libro*, Panorm. & alii *in cap. latores de*
*cleric. excommunicato miniſtrante*, ſed hoc limitat
gloſſ. *in Clementina fin. verb. ſuſpenſi, circa fin.* ut
procedat, ſi ſuſpenſio ſit impoſita à jure, ſecus ſi
ab homine, Didacus tamen Pererius, *l.* 1. *tit.* 1. *de*
*matr. lib.* 5. *ordinament.* qui latè, & eleganter hanc
quæſtionem ad utramque partem diſputat, in ea
eſt ſententia, ut ſive à jure, ſive ab homine im-
ponatur pœna ſuſpenſionis, non habeat admixtam
pœnam privationis, niſi exprimatur, juxta gloſſ.
receptam, *in cap. fin. de jure patron.* de quo dixi-
mus, *lib.* 1. *cap.* 7. *num.* 45. & hanc ſententiam
Perecii tenent Bonifacius Clement. cupientes, *num.*
35. *de pœnit.* Navarr. *in manuali, cap.* 27. *numero*
162. *verſiculo. Ni aun el que eſtà ſuſpenſo ſimple-*
*mente.*
Qui autem non ſervit beneficio, illud amittit, 14
Cacheran. Oſaſcus, *deciſ.* 27. nam ut inquit text.
*in cap.* 1. §. *item qui, verſ. ſed non eſt*, quæ ſit prima
cauſa beneficii amittendi in uſibus feudorum, nulla
juſtior cauſa eſſe poteſt beneficii auferendi, quam
ea, propter quam beneficium datum fuerit.
Et ſic qui recuſat onus, quod teſtator reliquit, 15
à commodo debet repelli, *l. Neſennius Apollinarius,*
*verſ. rectè, ff. de excuſat. tutorum, & à hæreditate,*
*auth. hoc amplius C. de fideicommiſſ.* niſi ſit illi dam-
noſa, & ſubſtitutus nolit eam adire, Franciſcus
de Claperiis, *in ſua centuria, cauſa* 3. *quæſt.* 2.
*num.* 18. *ubi num.* 14. quod privatus ab officiis pu-
blicis non intelligitur de damnoſis.
Sic conductor repellitur à domo, ſi non ſolvit 16
penſionem, *l. quæro, §. inter locatorem, ff. locati,*
*& emptor ſi non ſolvit pretium, l. fin. ff. de reſcind.*
*venditione.*
Quod maximè procedit, quia quando aliquid 17
conceditur propter laborem, ceſſante labore, ce-
ſſat conceſſio, & privilegium, *l. geometræ, l. idem*
*Ulpianus, l. athlethæ*, §. 1. *ff. de excuſatio. tutor. l.*
*Titia Sejo.* §. *uſuras, de legat.* 1. *ubi* gloſſ. & Jaſ.
Alexand. *l. ſi filius à patre*, §. 1. *de liber. & poſt-*
*hum.* Ruin. *conſ.* 83. ut de eo, quod datur prop-
ter exercitium artis, Franchis *deciſ.* 175. Barboſ.
*in l.* 1. *part.* 7. *num.* 61. & 62. & 66. *ff. ſoluto*
*matr.* & in ſpecie, text. *in l. qui ſub prætextu. C.*
*de ſacroſ. Eccleſ.*
Ergo & conditio reſidendi poteſt poni Capellano 18
& non adimplens Capellania privabitur, & ſic jam
obtinui in Conſilio domini Cardinalis Archiepiſco-
pi Toletani in una ex Capellaniis fundatis ab Illu-
ſtriſſimo DD. Franciſco Zapata, Comite de Bara-
jas, olim Supremi Senatus Philippi Secundi Hiſpa-
niarum Regis digniſſimo Præſide, ob eam reſiden-
di conditionem, quæ in limine fundationis illis
Capellaniis de Barajas fuit appoſita, cum aliis tam
juridicis, quam utilibus divino cultui moribuſque
Capellanorum additis è conſilio illuſtriſſimi, & Re-
veren



verendiſſimi domini Cardinalis Zapata ejus filii, ob
cujus eximias virtutes, dum eſſet Salmanticæ in in-
ſigni Collegio Divi Bartholomei, fuit aſſumptus in
Canonicum, & Inquiſitorem Toletanum, & ibi
electus in Epiſcopum Eccleſiæ de Cadiz, ex qua
fuit tranſlatus ad Pampilonenſem, & poſtea ad Bur-
genſem in Archiepiſcopum, & exinde vocatus ad
partem ponderis & regiminis totius Eccleſiæ uni-
verſalis, & ſumma Cardinalatus, qua nunc fulget
dignitate condecoratus. Tenebitur itaque Capella-
nus, cum talis conditio injungitur reſidere eo in
loco continue.
20 Sed in hoc velim advertas, quod hæc conditio
civiliter eſt intelligenda, ut dicit Abbas, *in proœ-*
*mio decretalium*, §. *Rex pacificus, num.* 3. nam
ſi per modicum tempus recedat, non ob hoc dice-
tur non reſidere, cum poſſit parumper abeſſe, ut
ex Archidiacono, & Geminiano tradit Cerola, *in*
*praxi Epiſcopali*, 2. *part. verb. reſidentia, verſ.* 4.
ubi quod verba non debent amare ſumi, ita ut nun-
quam beneficiatus, ſeu Capellanus recedat, & ſic
in rigore Mathematico, ut dicunt Theologi, ſed
moraliter, & ibi invehitur contra Ordinarios præ-
cipientes Parochis, & aliis beneficiatis ſub pœna
excommunicationis latæ ſententiæ, ne diſcedant per
diem à ſua reſidentia. Quod dicit, non faciendum
21 niſi ex urgentiſſima cauſa. Divertiſſe enim non vi-
detur, qui cito redit, gloſſ. *ver. mente, cap. ſi poſt-*
*quam de electione in 6. Concilium Tridentin. ſeſſio-*
*ne* 23. *cap.* 1. *de reformatione.*, ibi, quoniam autem
qui aliquantis per tantum abſunt, ex veterum Ca-
nonum ſententia non videntur abeſſe, quia ſtatim
reverſuri ſunt.
22 Et ſic abſens à Parochia per breve tempus animo
revertendi, non amittit eam, *cap. iis qui de ſepul-*
*turis lib.* 6. Maſcard. *de probationibus, concl.* 145.
23 Sic & continui commenſales dicuntur, qui pro
24 negotiis animo redeundi ſe abſentant, Simoneta,
*de reſervatione benef. quæſt.* 35. *num.* 12. 13. & 14.
ubi, quod dicitur eſſe ubi amat, & quo rediturus
eſt, non ubi animat, & reperitur *arg.* §. *pavonum*
*inſtituta de rerum diviſione.*
25 Et licet reſidere dicatur, qui continuè moratur,
ut notat Archidiaconus, *cap. licet Canon. de electio-*
*ne in 6.* tamen ex eo, quod aliquis aliquibus die-
bus diverterit, non dicetur non reſidere, morali-
ter intelligendo, & conducit *l. ſi quis ita* 8. *ff. de*
*cond. & demonſtrat.*
26 Sic ſi teſtis dicat vidiſſe aliquid aſſiduè factum
fuiſſe, licet probetur aliquibus diebus non fuiſſe
factum, non eſt teſtis falſus, tradit Roman. *conſ.*
301. *numero* 2. & *ſequ.*
27 Sic dicit Albericus, *in dictionario, verb. ſemper*
28 *verum eſſe, talem ſemper exercuiſſe ſpiritualia*, licet
aliquando fuerit abſens, ſicut perpetuum dicitur
ſtillicidium, licet non ſemper cadat, *l. foramen. ff.*
*de ſervitutibus urbanorum.*
29 Sic Abb. Panorm. *in proœmio decretalium*, §. *Rex*
*pacificus, numero* 3. inquit, dictum teſtis dicentis
Petrum reſediſſe in Eccleſia, non vitiari ſi aliquo
intervallo non reſedit, ubi ejus additionator alia
adducit.
30 Et non ſolum ſuſtinetur conditio reſidentiæ in
loco Capellaniæ, ſed etiam celebrandi in certo ſa-
cello, ſeu altari, quam Capellanus tenetur ſerva-
re. Ex quo enim electus eſt locus, quem Capella-
niæ fundator voluit frequentari, religioſeque ho-
norari, & coli, ſi Capellanus alibi divinam rem
faciat, non videtur menti, & voluntati teſtatoris
ſatisfactum, Navarr. *de oratione, cap.* 5. *numero* 2.
& 12. ex Baldo, & aliis tradit Sylveſter in ſumma,
*verb. miſſa.* 1. *quæſt.* 10. *ad fin.* ſequitur Azor. *lib.* 10.
*inſtitutionum moral. cap.* 24. *verſ.* 8. quæritur, an
Capellanus, ubi hanc eſſe dicit, communem opi-
nionem Marc. Ant. Cuchus, *lib.* 5. *inſtitut. majo-*
*rum, titul.* 6. *numero* 69. Et qui cum poſſit cele-
brare loco à fundatore deſignato, alibi celebrat,
peccat ſecundum Navarrum, *in manuali, cap.* 25.
*numero* 134. ubi quod lethaliter peccat, quem ſe- 31
quitur Azor, ubi *ſup. verſ. quæres*, an ſi deſignato
loco *ad fin. verſiculi*, & hoc ex eo, quia non ſer-
vat pactum, & promiſſum in re gravi, & commu-
niter tenent Doctores *in c.* 1. *de pactis*, quod fran-
gere fidem eſt peccatum, quod maximè procedit,
ſi ſacellum, ſive altare, ubi fundator celebrari
juſſit, ſit privilegiatum à Romano Pontifice, ut
anima pro qua celebretur exeat à purgatorii pœ-
nis.
Quare viſitator debet inquirere, an Capellanus 32
dicat miſſas, ſecundum conventionem, & obliga-
tionem, Lelius Cuchus, *de viſitatione, cap.* 6.
*numero* 31. *verſ. circa miſſam, fol. mihi* 70. & ſi
juſſerit fundator, quod dicantur de defunctis, quæ 33
plus proſunt animabus ob ſpeciale officium, ut di-
cit Henriquez, *de Miſſa, cap.* 8. §. 4. ubi allegat
S. Thom. *in* 4. *diſtinct.* 45. *quæſt.* 2. *art.* 3. alios
refert Doctor Carillo, *in explicatione Bullæ defun-*
*ctorum*, 2. *part. cap.* 12. *numero* 23. ( licet aliud
videatur ſentire Navarr. *conſ. mihi* 14. *incipienti,*
*Sanctiſſimus de privilegiis* ) & quod Capellanus qui
ſe obligavit dicere miſſam defunctorum, non ſatis-
facit dicendo aliam, tenent Henriq. *lib.* 9. *de mi-*
*ſſa, cap.* 23. §. 7. & frater Emanuel Rodriguez,
1. *tom. quæſt. regularium, quæſt.* 43. *art.* 11.
Sed an ſacerdos celebrans in altari privilegiato 34
( vulgo de anima ) teneatur dicere miſſam defun-
ctorum ( vulgo de requiem ) ut anima juvetur in-
dulgentia, & Doctor Carrillo, *in explicatione Bullæ*
*defunctorum*, 2. *part. cap.* 12. *numero* 27. tenet
præciſe requiri, quod celebretur miſſa de defun-
ctis aliàs animam indulgentia fraudari. Sed Marti-
nus Navarrus contrarium defendit *conſ.* 14. *inci-*
*pienti*, ſanctiſſimus conceſſit, *de privilegiis*, ubi
in caſu, quo Papa conceſſit, ut quoties dicta fuerit
miſſa in tali altari pro defunctis, anima illa per
modum ſuffragii plenariam indulgentiam conſequa-
tur, tenet, animam indulgentiam conſequi, ſive
dicatur miſſa de Feria, ſive de Sancto, ſive de de-
functis, ex rationibus per eum adductis, cujus ſen-
tentiæ libenter aſſentior, ſi Papa expreſſè non re-
ſtringat indulgentiam ad miſſam defunctorum, cum
omnes miſſæ ſint æqualis valoris ex opere operato, 35
& ita omnibus æqualiter accedat privilegium indul-
gentiæ conceſſæ.
Et ſic Capellanus hujuſmodi juſſa fundatoris ap- 36
probata ab Epiſcopo in fundatione non adimplens,
& recuſans adimplere, privabitur Capellania, quia
non implens id propter quod aliquid datur, à ce-
ſſante cauſa amittit datum, ut per totum, *ff. de con-*
*ditione cauſa data.*
Sic & non adimplens juſſa defuncti privatur com- 37
modo hæreditario, *authent. hoc amplius, C. de*
*fideicommiſſis*, dum tamen monito præcedat DD
ibi, & Menoch. *de arbitrar. centuria* 5. *caſu* 498
*numero* 58. & in teminis non dicentis miſſas relictas
tradit Molin. *de primog. lib.* 2. *cap.* 14. *numero* 15
niſi implendum ſit adjunctum per verba negativa
quia tunc non requiritur monitio, Aym. *conſ.* 193
*num.*

*num* 4. & idem ſi in vim conditionis, non modi,
M l n. ubi *ſupra*, *num*.13.

Et ita hæc privatio non ipſo jure fit, ſed prævia
38 cauſæ cognitione, & judicio, *cap*. 2. *& cap. rela-*
*tum de clericis non reſiden.* ut privatus poſſit oſten-
dere cauſas rationabiles, ſi quas habeat, ſeu præ-
tendat, ut excuſetur: & ſi abſens fuerit, & ſcia-
tur ubi ſit, perſonaliter eſt citandus; quia ubi per-
ſona eſt certa, eſt citanda, *l*. 1. §. *denunciari*, *ff*.
39 *de ventre inſp*. per quem text. tenet Bart. *l. ſi eo tem-*
*pore*, *C. de remiſſione pignor.* Becius, *conſ*. 12. *num*.
9. ubi quod non ſufficiunt proclamationes, nec
edicta, Aymon *conſ*. 319. *in fine*, *& in materia be-*
*neficiali* G mi, *cap. fin. de electione lib*. 6. & Gama,
*deciſ*.237. *num*. 1. Roland. *conſ*. 64. *num*. 14. *vol*.
40 2. *& conſ*. 72. *num*. 12. *volum*. 3. Quod maximè
procedit ubi agitur de auferenda poſſeſſione, Gut-
tier. *quæſt. Canonica*, 34. *num*. 34.

Sed ſi ignoretur quo ſit loco, eſt citandus per
41 edicta, ſeu voce præconis, ut inquit text. *in cap. ex*
*tua devotionis*, *de clericis non reſid.* & prius quam
perveniatur ad privationem eſt procedendum per
cenſuras, & ſubſtractionem fructuum, & proven-
tuum, *dict. cap. ex tuo*, §. 1. *& cap. fin. eodem*
*titul*. quam praxim ponit Concilium Trident. *ſeſſ*.6.
*cap*.1. *de reformatione*, & eam tradit Petrus Grego-
rius, *de beneficio*, *cap*. 7. *numero* 7.

Si autem Capellaniæ fundator non adjecerit reſi-
42 dendi conditionem, poterit Capellanus liberè ab
eſſe, modo per alium, ſeu alios Capellanos miſſas
dicat, ut diximus *ſupra cap*.5. *num*. 8. *hujus ſecun-*
*di libri*.

Reſidendi autem conditio appoſita cenſebitur
43 non ſolum ſi expreſſe verbis perſpicuis exprimatur,
ſed etiam tacitè ſi ex adjunctis, præcedentibus, &
ſequentibus verbis colligatur, eam fuiſſe mentem
fundatoris, ut in terminis tradit Azor *lib*. 10. *inſti-*
*tution. moral. cap*.24. *verſic*. 7. quæritur ad fin. ubi
quod ſi fundator Capellaniæ dicat, volo, ut quo-
tidiè res divina fiat in certo templo, ſacello ſeu al-
tari, poterit Capellanus per alium miſſas dicere,
quia talibus verbis cenſetur electus locus ad ſacrifi-
cium, ſi tamen dixerit, volo, ut presbyter ad
hanc Capellaniam electus ſacris operetur quotidie,
tunc perſona ſacerdotis cenſetur electa.

Pro cujus ſententia, licet ipſe non fundet, facit,
44 quod cum verba diriguntur ad perſonam, cenſetur
electa ipſa perſona, *cap. quoniam Abb.* ubi omnes
de officio delegati.

Sic quando verba legis diriguntur ad judicem,
45 naſcitur officium judicis, tradit Barboſa, *l*.1. 4.*p*.
*numero* 5. *ff. ſoluto matrim.*

Et facit, quod ex adjunctis ſumitur qualis fue-
46 rit animus, & voluntas teſtatoris, *l. hæredes palam*,
§. *ſed ſi notam*, ibi, *ex vicinis ſcripturis. ff. de te-*
*ſtamentis*, & conducunt omnia, quæ diximus de
adjunctorum vi, & poteſtate, ad declarandum ver-
ba, *ſupra lib*. 1. *cap*. 4, *num*. 40.

Sed quia diximus omnia beneficia etiam ſimpli-
cia, & parvi valoris requirere reſidentiam perſona-
lem, cujus contrarium practicatur in beneficiis ſim-
plicibus convenit explicare: & quia brevitati con-
47 ſulo, dic, quod licet beneficia curam animarum
habentia, requirant reſidentiam perſonalem de
jure divino, juxta illud *Proverb. cap*. 27. *Diligen-*
*ter agnoſce vultum pecoris tui*, *tuoſque greges conſi-*
*dera*, & Joan. 10. ubi paſtus ovium commenda-
tur, & latè tradit Dominicus Soto de juſtitia, & ju-
re *lib*. 10. *quæſt*. 2. *art*. 1. beneficia tamen quibus 48
nulla ineſt animarum cura ſolum reſidentiam deſi-
derant, diſpoſitione juris poſitivi.

Ex quo eſt, quod quemadmodum lex poſitiva 49
tollitur contraria lege lata, ut *in l. ſed & poſterio-*
*res*, *ff. de legibus*, ita & contrária conſuetudine
legitime obtenta, quæ vim habet legis, §. *ex non*
*ſcripto inſtituta de jure naturali*.

Quod procedit licet lex præcedens reprobet con- 50
ſuetudinem, nam adhuc conſuetudo, quæ ſequu-
ta eſt legem, derogat legi, gloſſa, & DD. *in Cle-*
*mentina ſtatutum de elect*. Jaſ. *l. de quibus*, *num*. 55.
*ff de legibus*, Tiraquel. *de retractu lignagier in præ-*
*fatione*, *numero* 17. *&* 18. Curtius Iun. *conſ*. 173.
*num*. 7. Ancharr. *conſ*. 218. *numero* 2. Avendanus,
*reſp*. 16. *num*. 3. *verſ*. quod permaximè, plures
refert Covarruv. *lib*. 3. *variarum cap*. 13. *num*. 14.
Sarmiento, *lib*. 3. *ſelectarum*, *cap*. 14. *num*. 9.
Anton. Gabr. *lib*. 7. *concluſion*. *titul. de criminali-*
*bus*, *concluſ*. 8. *num*. 30. Didacus Perez, *in proœ-*
*mio ordinamenti quæſt*. 13.

Et ſic conſuetudine poteſt obtineri, quod ha- 51
bentes beneficia ſimplicia, etiam abſentes poſſint
percipere redditus tuta conſcientia, ut poſt alios
tradit Covarr. *lib*. 3. *variarum cap*. 3. *num*. 9.

Atque ita generali Eccleſiæ conſuetudine obten- 52
tum eſt, beneficia ſimplicia, ſeu curam animarum
non habentia, reſidentiam non requirere, tradunt
Cardinalis, & Imola, *cap. fin. de cleric. non reſid.*
Alex. *conſ*. 1. *num*. 2. *vol*. 7. Felin. *cap. dilectus*. 2.
*num*. 1. *in fine*, *verſ. & dicunt de reſcript*. Mandoſius,
*in praxi ſignaturæ gratiæ*, *tit. de diſpenſatione de*
*non reſidendo*, *verſic. beneficia omnia ſimplicia*,
Flaminius *de confidentiis quæſt*. 9. *num*. 21.

Et in noſtra Hiſpania ſunt multa beneficia, quæ 53
dicuntur præſtimonia, vel præſtimoniales portio-
nes (vulgo præſtamos) quæ libera ſunt ab omni
jure, & præcepto reſidendi, aut clericum ſuppo-
nendi, ut tradit Azor, *lib*. 5. *inſtitutionum moral.*
*cap*. 17. *verſ. deinde objicitur*.

Et ſunt hæc præſtimonia fructus, cenſus, ſeu 54
emolumenta, quæ abſtrahuntur à beneficio & ſeor-
ſim dantur alicui perſonæ Eccleſiaſticæ, ſine aliqua
Eccleſia & quandoque dantur in titulum, ut dicit
gloſſ. *in Clem. fin. verb. quodcumque de vita*, *&*
*honeſtate clericorum*, & ab initio fuerunt inſtituta
præſtimonia pro ſtudentibus, & pro ſubſidio contra
infideles, & pro ſervitio, alicujus Eccleſiæ, tradit Ge-
min. *conſ*.89. Menoch. *de arbitr. lib*. 2. *centur*. 3. *caſu*
201. *n*.59. *cum ſeqq*. cum quibus tranſit Flamin. *lib*.
10. *de reſignat. benefic. quæſt*. 2. *n*. 75. & jis non re-
latis, tradit Cerola, *in praxi*, 1. *part. verb. bene-*
*ficia ad primum*, *verſ*. 7. *præſtimonia*, ubi refert
Gomezium, & Staphyleum, idem tenentes locis
ab eo relatis.

Et dicitur præſtimonium, quaſi præſtans munium,
ut docet Hoſtienſ. *cap. poſtulaſti*, *de reſcript*. & 55
Oldrad. *conſ*. 81. Et quandoque hæc præſtimonia
conſiſtunt in temporalitate, non habentia aliquod 56
ſpirituale ſervitium annexum, & tunc non veniunt
appellatione beneficii, nec ſunt exprimenda in in-
terpretatione, Joan. Andr. *cap. unico*, *de rerum*
*permutatione*. Staphyl. *de gratiis & expectativis in*
*quinta forma*, *num*. 3. ſequitur Menoch. *de arbitr.*
*centur*. 3. *caſu*. 201. *num*. 57. Mandoſius *in regulis*
*Cancellariæ regula* 16. *quæſt*. 36. *num*. 7. ſequitur
etiam Paulus Granutius *in addition*. ad Simonetam,
*de reſervatione beneficiorum*, *quæſt*. 72.

Si



57 Si tamen hæc præſtimonia dentur in titulum, &
habeant annexum aliquod onus ſpirituale ad quod
titulatus teneatur, dicentur beneficia Eccleſiaſtica,
Gemin *conſ*. 89 Deci. *in rubr. de reſcriptis verſ. &*
*appellatione beneficii*, ſequitur Menoch. *dict. caſu*
201. *num*. 58. *&* 59. Sotus, *de juſtit. & jure*, *lib*.
10. *quæſt*. 5. *art*. 3. *verſ*. Secunda concluſio, &
juxta hanc diſtinctionem eſt intelligendum quod
dicit Felin. *cap. ad aures*, *de reſcriptis*, & Gam-
barus, *de legato*, *lib*. 6. *num*. 352. Marc. Anton.
Cuchus, *lib*. 5. *inſtitution. major. titul*. 7. *num*.11.
& in noſtra Hiſpania ſemper hæc præſtimonia dan-
tur in titulum, Oieda, *de incompat. benef*. 2. *part*.
*cap*.8. *num. fin*. Salzedo ad Bernard. Diaz, *cap*.18.
*numero* 10. *in fin*.

58 Sed cum dixerimus ſuſtineri conditionem illam,
ne Capellanus recedat à loco, ubi celebranda eſt Ca-
pellania, difficilis redditur noſtra opinio, per text. *in*
*l. Titio centum*. 6. *Titio centum*, *el* 2. *ff. de condition. &*
*demonſtrat*. cujus hæc ſunt verba. *Titio centum reli-*
*cta ſunt*, *ita ut à monumento meo non recedat*, *vel*
*ut in illa civitate domicilium habeat*, *poteſt dici non*
*eſſe locum cautioni*, *per quam jus libertatis infringi-*
*tur*. Ex quibus Bart. & omnes ibi deducunt conclu-
ſionem, quod conditio vel modus per quem liber-
59 tas infringitur, non ſervatur: Et ut diſcernas mo-
dum à conditione, adverte, quod conditio ope-
ratur per viam excluſionis: modus autem per viam
compulſionis, Barnabas Cornaçanus, *deciſione* 54.
*num*. 38. *ubi num*.40. quod in dubio intelligendum
eſt aditum modum non conditionem, ex Bartol.
*l. cum mota*, *num*. 2. *C. de tranſact*. ubi Deci. *num*.
60 2. dicit communiter receptum. Ea enim conditio
appoſita Capellano ne recedat à loco, inductiva eſt
ſervitutis, *l*. 2. *ff. de libero homine exhibendo*, ubi
jure Conſultus ponit hæc verba: *Nihil enim mul-*
*tum à ſpecie ſervientium differunt*, *quibus non datur*
*facultas recedendi*, *quam legem*, & *dict*. §. *Titio*
*centum*, Joann. Garcia, *de nobilitate*, *gloſſa* 6.
*num*. 21. dicit quotidiana eſſe jura ad defenſionem
eorum quibus injunctum eſt onus, ne recedant ab
aliquo loco, & quod Bart. & omnes ibi rejiciunt
illam conditionem, utpote quæ libertatem lædat.
61 Et hinc eſt quod dicit Salicetus, *l. antiquitas*, *C.*
*de uſufructu*, quod licet valeat pactum quo quis
adſtringitur habitare certo loco, non tamen ita ut
poſſit quis præciſe compelli habitare.

Hinc dicit Speculator *titul. de locato* §. *poſtquam*,
*verſ. quod ſi quis*, valere tale pactum, ſed poſſe ſer-
vire per ſubſtitutum, licet ibi eum impugnet Joan.
Andr.

62 Et quod non poteſt quis etiam cum juramento
ſe obligare ad ſervitia perſonalia, ſi non ſit libertus,
tradit Lucas de Penna, *l. cum ſcimus*, *num*. 4. *C. de*
*agricol. & cenſit. lib*. 11. *& facit l. ſi quis pro eo in*
*princip. ff. de fidejuſſ. & l. jusjurandi in princip. ff.*
*de operis libertorum*.

Et hinc eſt quod in Regno Neapolis conſtitutio-
ne Regni eſt ſtatutum quod annullentur talia pacta,
63 ut teſtatur Afflict. *in conſtit. Regni*, *lib*. 3. *Rub*. 9.
*num*. 3. *&* 4. Et generaliter omne illud quod ali-
quo modo offendit libertatem in pacto non admit-
titur, ut tradit Queſada, *diverſarum quæſtion. cap.*
*ſeptimo*, *numero* 2. ubi quod tale pactum dicitur
turpe.

64 Et tandem rejicitur conditio, quod quis tenea-
tur habitare ſemper certo loco Fel. *conſ*. 22. *num*.2.
65 ubi addit maximè procedere, quoniam ponitur in
diſpoſitione non in conditione, ex Bart. *l. qui con-*
*cubinam*, §. *uxori*, *de legat*. 3.

Sed iis non obſtantibus ea conditio addita Capel- 66
laniæ, juridica eſt, & ſuſtinetur. Nec obſtat com-
munis regula, *dict. l. Titio centum*, §. *Titio centum*, 67
*el* 2. *de condit. & demonſtrat. & l*. 2. *ff. de libero*
*homine exhibendo*, quia ſolum procedunt, quando
conditio reſidendi in aliquo loco, non reſpicit ali-
cujus perſonæ utilitatem in cujus favorem poſita
fuerit, ut tradunt Paul. & Imol. §. *Titio centum*,
& ſequitur Mier. *de major*. 1. *p. quæſt*. 57. *num*. 3.
& Joan. Gar. *de nobil. gl*. 6. *num*. 21. Anton. Gom.
2. *tom. cap*. 10. *num*. 24. *verſ. item etiam*. Et cum 68
prædita condition poſita Capellaniæ reſpiciat commo-
dum animæ defuncti, cujus intereſt reſidentia Ca-
pellani, pro celebrandis Miſſis licitè apponitur,
& ſervari debet.

Et hinc eſt, quod liberi homines in favorem ter- 69
tii poſſunt obligari certo loco perpetuo morari,
*l*. 2. *l. originarios*, *l. ſervos*, *C. de agricol. & conſ.*
*lib*. 11. *l*. 89. *tit*. 18. *part*. 3. ibi: *Otroſi prometio*
*por ſi è por ſus hijos de morar en tal ſu heredamiento*
*para ſiempre jamas*. ubi Gregor. Et ſic valet pactum 70
in contractu matrimonii, quod maritus tali loco
moretur, ut tradit Abb. dicens communiter recep-
tum, *in cap*. 1. *qui matrimonium accuſare poſſunt*,
Silveſter *in ſumma*, *verbo*, *uxor quæſt*.8. refert &
ſequitur Cov. *in* 4. 2. *part. cap*.7. *num*. 5. Capitius,
*deciſ*.135. *per totam*, Matien. *in rubric. titul*. 1. *de*
*matrimonio*, *gloſſ. unica*, *numero* 95. *lib*. 5. *recop.*
Palacios Rub. *in repet*. Rub. *de donationibus* §. 2.
*num*. 3. Qui omnes limitant prædicta, ſi nova ju- 71
ſta cauſa ſuperveniat viro, ob quam velit à loco
recedere: nam omnes prædicti fatentur poſſe, non
obſtante pacto: quod etiam tenet Tiraquel. *in l*.
1. *connub. gloſſ*. 1. 1. *part. num*. 39. *in fin*. Didacus
Perez, *l. fin. tit. fin. lib*.4. *ordinam. verſ. Si alguna*
*muger*, *in fin*. ubi quod non tenebitur ad pœnam
appoſitam in contractu, in caſu contraventionis. Et
licet Antonius Gomez. 2. *tom. cap*. 10. *numero* 24.
nitatur contra communem defendere hujuſmodi pa-
ctum non valere: tandem inquit valere ſi probetur
aliquod intereſſe provenire uxori ex obſervantia pa-
cti, ad quod inquit maritum teneri: admittitque
poſſe quem ſpe præmii induci ad habitandum certo
loco, favore certæ perſonæ, quo caſu inquit, quod
licet non compelleretur reſidere, vel habitare, ta-
men non implendo amittere lucrum.

Adde pro complemento, quod ſi clericus vaga- 72
tur, privabitur beneficio, etiam quod non requi-
rat reſidentiam, Selva *de benef*. 4. *part. quæſt*. 2.
*num*. 2. *& num*. 3. *in fin. &* vide *ſupra num*. 12.

## CAPUT IX.

### Si Capellania ſit juris patronatus, qualiter & quando præſentatio facienda ſit à patrono.

*SUMMARIUM.*

1 *Præſentatio facienda eſt præſentialiter*, *& qualiter intelligatur*.

2 *Præſentia præſentati requiritur ut ordinarius poſſit cernere & examinare*, *an præſentatus ſit perſona idonea*.

3 *Patronus non tenetur perſonaliter comparere ad præſentationem faciendam, ſed per litteras.*
4 *Præſentatus, niſi compareat perſonaliter, eſt rejicienda ejus præſentatio, & quare.*
5 *Præſentatus à patrono, ſi non proſequatur præſentationem & obtineat collationem poterit patronus alium præſentare.*
6 *Patronus poteſt paciſci, quod ſi præſentatus intra certum tempus non utatur præſentatione ad obtinendam inſtitutionem, poſſit alium præſentare, & qualiter intelligatur.*
7 *Nemo poteſt facere, quin legis diſpoſitio in favorem alterius ſortiatur effectum.*
8 *Variatio Eccleſiaſticis patronis eſt prohibita, vel non permiſſa, ne detur inconſtantia in ſtatu Eccleſiaſtico.*
9 *Spiritualia debent eſſe firmiora.*
10 *Longius tempus quare detur Eccleſiaſticis ad præſentandum, quam laicis.*
11 *Jus patronatus ſi ſit fundatum à Clerico de bonis patrimonialibus poteſt ut laicus variari.*
12 *Laicus ſi ſit patronus cum Clerico & ambo ſimul præſentent, an poterit variare,* & numeris ſequentibus.
13 *Laicus poteſt eſſe arbiter in cauſa ſpirituali ſimul cum Clerico.*
14 *Si Clericus & laicus habent jus patronatus, pars Clerici trahit ad ſe partem laici.*
15 *Patronus laicus, ſi ſimul cum Clerico præſentet, poterit intra ſemeſtre præſentare.*
16 *Laici in omnibus in quibus habuerint individuum jus cum Clericis gaudebunt eorum privilegiis.*
17 *Patroni non neceſſario debent conveniri ad faciendam præſentationem, niſi aliud. ſuadeat fundatoris diſpoſitio.*
18 *Patroni quibus permittitur variatio, ſolum poſſunt eam facere accumulative.*
19 *In dubio præſumendum eſt variationem eſſe factam accumulative.*
20 *Semper eſt ſumenda conjecturata, pro validitate actus.*
21 *Quilibet præſumitur facere actum modo magis ſibi utili & proficuo.*
22 *Agentes ſemper cenſentur ſe confirmare cum diſpoſitione juris communis.*
23 *Variatio non permittitur, quando præſentatio fuit facta cum juramento modo præſentatio ſit perfecta, & acceptata,* numero ſequenti.
24 *Cautela ut patronus nequeat variare.*
25 *Fundator Capellaniæ an poſſit diſponere, quod ſi patronus intra terminum juris non præſentaverit, alius præſentet* & numeris ſequentibus.
26 *Teſtator poteſt diſponere, quod ſi executor intra terminum juris non exequatur, alius faciat.*
27 *Proviſio hominis facit ceſſare legis proviſionem.*
28 *Cum teſtator providet de remedio in caſu negligentiæ, illo eſt utendum.*
29 *Communiter recipitur teſtatorem poſſe prorogare terminum juris ad exequendum.*
30 *Fundans Capellaniam cum Epiſcopi conſenſu poteſt diſponere, quod Patronus habeat ad præſentandum plus quam quadrimeſtre & ſemeſtre.*
31 *Fundans Capellaniam cum conſenſu Epiſcopi, poteſt apponere conditiones quæ minuant jura Epiſcopalia.*
32 *Si Patronatus ſit Eccleſiæ Parochialis, non poteſt fundator prorogare terminum juris ad præſentandum, & quis terminus detur à jure.*
33 *Epiſcopus poteſt, tranſacto termino juris, præſentationem admittere.*
34 *Epiſcopus poteſt admittere ſecundam præſentationem, remittendo patrono pœnam, quam incurrerat, quia indignum præſentaverat.*
35 *Tempus à jure Patronis conceſſum ad præſentandum, an currat à tempore vacationis, vel ejus notitiæ.*
36 *Impedito non currit tempus ad præſentandum, licet ſua culpa in impedimentum inciderit.*
37 *Durante lite ſuper jure Patronatus, an currat tempus patrono?*
38 *Durante lite quando Epiſcopus, poſſit inſtituere, vel debeat œconomum ponere, & quod ejus inſtitutio irritetur ſi ſit collitigans, & de intellectu,* cap. conſultationibus de jure patronatus.
39 *Licet Epiſcopus inſtituerit durante lite, tamen Patrono reſervatur jus repræſentandi inſtitutum pro conſervatione ſui juris: non tamen poteſt tollere.*
40 *Et ad eundem modum non removetur inſtitutus, per præſentationem ejus, qui erat in poſſeſſione præſentandi, licet alter obtineat in lite, limita ſi lis eſſet ſuper ſpolio, vel cauſa in integrum reſtitutionis, ut* num. ſequenti.
41 *Præſentatio eſt in fructu.*
42 *Concordia creſcit jus patronorum, quia poteſt alter alterum præſentare.*
43 *Compatronus non poteſt ſuæ præſentationi conſentire, ſecus eſt in electo.*
44 *Limita ſi electio fiat per ſcrutinium ſecretum.*
45 *Patronus licet non poſſit ſe ipſum præſentare, tamen poteſt inſtitui ab Epiſcop.*
46 *Patronus an teneatur præſentare in termino edicti poſito ab Ordinario.*
47 *Si edicta dentur ad inſtantiam petentis ſibi fieri collationem Capellaniæ, tenetur patronus præſentare in termino edicti.*
48 *Tempus à jure conceſſum hæredibus ad deliberandum reſtringitur inſtantibus creditoribus, & non acceptantibus hæredibus, datur curator bonis.*
49 *Edicta ſi ponantur ab Epiſcopo nullo inſtante poteſt Patronus petere ſibi indulgeri tempus juris.*
50 *Etiam dato edicto ad inſtantiam aliquorum intereſſe putantium termino edicti tranſacto ante inſtitutionem tamen poteſt Patronus præſentare.*
51 *Poſitis edictis inſtantibus intereſſe putantibus, an debeat ſuſpendi judicium ad inſtantiam Patroni volentis præſentare ordinandum intra tempus à jure ſibi conceſſum.*
52 *Capacitas præſentandi, an requiratur tempore vacationis, vel ſufficiat, quod interveniat tempore vacationis, vel ſufficiat, quod interveniat tempore præſentationis, vel inſtitutionis.*
53 *Qualitas, ſeu habilitas, quæ requiritur ab initio, non ſufficit ſi poſtea ſequatur.*
54 *Qualitas Clericatus quæ ab initio requiritur, non ſufficit ſi superveniat.*
55 *Capacitas ſufficit, quod interveniat tempore oppoſitionis.*





56 *Nullus debet decipi authoritate legis.*
57 *Epiſcopus debet eſſe gratus fundatori.*
58 *Patronus intra tempus à jure ſibi conceſſum, debet diligenter inquirere idoneum, quem præſentes.*
59 *Qualiter intelligatur, quod dicitur non ſufficere, ſi ſuperveniat qualitas Clericatus.*
60 *Si patronus præſentavit Clericum idoneum, quia non erat conſanguineus ordinatus, & tranſacto termino ad præſentandum ordinetur, an excludat præſentatum à Patrono?*
61 *Fœmina cui fuit jus quæſitum an majoratum propter alienationem poſſeſſoris, non excludetur per maſculum poſtea natum.*
62 *Qualitas aliquo tempore requiſita non prodeſt ſi eo tranſacto ſuperveniat.*
63 *Ætas vel alia cauſa excuſationis ſuperveniens, non liberat à tutela, ſeu alio officio jam injuncto.*

1 SI Capellania ſit juris Patronatus, cum ad
Patronum pertineat Capellanum præſentare, ſi laicus ſit intra quadrimeſtre, ſi
Clericus intra ſemeſtre, *ex cap. 1. de jure patronatus, lib. 6.* congruit ſcire eam præſentationem faciendam eſſe præſentialiter, nam cum edicta eo ſerviant, ut intereſſe putantes præſentiam ſui faciant, *l. conſentaneum, C. quomodo,* & quando judex, ibi: *Edicto, ut præſentiam ſui faceret commonefacto, nec præſens dicatur, qui ſe non offert ſenſibus corporeis, l. 1. in princip. ff. de verborum obligatio.* & tradit gloſſ. *in clement. dudum,* verbo præſentari, de ſepulturis, ubi Abb. *numero 23. & cap. ea noſcitur, numero 3. de his quæ fin. à Prælato.* ſequitur neceſſarium eſſe, quo præſentandus perſonaliter compareat coram ordinario, nec ſufficere præſentatum mittere inſtrumentum præſentationis, ita traditur *deciſ.*
2 *3. Rota, de jure Patronatus in novis,* ubi aſſeritur requiri præſentiam præſentati, ut Ordinarius poſſit cernere, & examinare, an perſona ſit ſufficiens, ſequitur Cerola, *in praxi Epiſcop. 1. part. verb. jus Patronatus ad ſeptimum.*
3 Sed hanc præſentiam accipias non, de perſona Patroni præſentantis, ſed de præſentato. Nam Patronus poteſt præſentare, per literas, text. *in cap. ea noſcitur,* de his quæ fiunt à Prælato, ſine conſenſu capituli, ibi: *Aut per ſe, aut per literas perſonas idoneas Epiſcopis diœceſanis præſentant,* & ibi, gloſſ. *& clement. unica, verſ. præſentatos, de exceſſibus Prælatorum,* ibi: *In præſentatione literarum quas pro hujuſmodi præſentatione tranſmittunt,* & ibi gloſſ. verbo literarum, & Cardinalis, Lamberti, *de jure patronatus, lib. 2. 1. part. quæſt. 4. principali, art 16. num. 1. & 2.*
4 Si autem præſentatus non comparet perſonaliter non eſt admittenda præſentatio, quia poteſt eſſe, quod non ſit in rerum natura, ut dicit contigiſſe de facto, Cerola, ubi ſupra: fatetur tamen, quod ſi perſona præſentata, ſit nota, poteſt admitti, & ei conferri, ut poteſt abſenti, *cap. ſi tibi abſenti de præbend. in 6.*

Si tamen præſentatus à Patrono, non proſequa-
5 tur præſentationem, ut inſtitutionem obtineat, poterit Patronus alium præſentare, Navarr. *conſ. 29. incip.* Abbas, *num. 5.* de Simon. etiam, quod lapſum eſſet quadrimeſtre, vel ſemeſtre, quia alteri per alterum non debet iniqua condtio inferri, juxta juris regulam, nec debet negligentia præſentati



nocere Patrono, ut tradit Cerola, *in praxi, 2.* 6
*part. verb. jus patronatus verſ. Octavo ſi Patronos, ubi in verſ. reſpondetur,* tenet poſſe paciſci à patrono, quod ſi præſentatus, intra tale tempus non proſequatur inſtitutionem, poſſit alterum præſentare. Sed in hoc diſtingue, nam aut is nominatus à patrono cum tali pacto, nondum præſentaverat ſe coram Epiſcopo intra tempus illi conſtitutum, & tunc evaneſcit & extinguitur ejus præſentatio virtute pacti, *argum. l. ſi creditor, §. fin. ff. de diſtract. pigno.* aut fecit ſui præſentiam cum nominatione patroni Epiſcopo, ſeu Ordinario petendo collationem, & tunc licet non proſequatur collationem; & ob eam cauſam patronus juxta pacti conditionem; poſſit alium præſentare, tamen non taliter, quin Epiſcopus poſſit illi prius præſentato Capellaniam conferre, nam cum facta præſentatione primi Ordi-
nario quæratur jus ad illi conferendum, non poterit 7
patronus facere, quòd legis diſpoſitio in favorem tertii, non ſortiatur effectum, ut diximus *ſupra lib. 1. cap. 7. numero 41.*

Et ſic ſolum poterit ſecundum præſentare patro- 8
nus, variando ſi laicus ſit. Nam Clerico, Collegio, ſeu Univerſitati non permittitur variare, *cap. cum autem,* & ibi omnes, *de jure patr.* Cerola, *in praxi, 1. part. verbo jus patrim. verſ. 24.* & 9
hoc ne admittatur in conſtantia in ſtatu Eccleſiaſtico, nam Spiritualia debent eſſe firmiora, Abb. *cap. cum autem, numero 7. de jure patr.* Et quia perſonæ Eccleſiaſticæ debent plus cognoſcere perſonas Eccleſiæ, & eligere ex deliberatione, ut in-
quit, *l. 7. tit 15. part. 1.* & ex quo eis negatur 10
variatio, quæ laicis permittitur, longius tempus præſentationi conceditur, ut tradit Lambertin. *de jur. patr. lib. 2. 2. part.* Roch. de Curt. *eo tractat. verbo honorificum, quæſt. 9. num. 30.* & Joan. Gutier. *de juramento, 3. part. cap. 13. numero 2.* ubi alios refert.

Tamen, ſi jus patronatus ſit fundatum à Clerico 11
de bonis patrimonialibus poterit, ut laicus variare. *cap. cum dilectus,* juncta gloſſa verbo tanquam laicus de jure patronatus, quia tunc non dicitur jus patronatus Eccleſiaſticum, ſed laicale, Panorm. *dict. cap. cum dilectus, numero 4. & 5.* & gloſſ. *in clement. 2. verbo præſentare de jure patronat.* Joannes Gutierrez, plures referens *ubi ſupra, num. 12.* Cabedus de patronatibus Regiæ Coronæ, *cap. 1. numero 13.* Covar. *practicarum, quæſtio. 36. numero 3.*

Sed an ſi Clericus & laicus ſint patroni liceat eis 12
variare in præſentatione à ſe facta & videtur licere, *argum. l. ſi communem fundum, ff. quemadmod. ſervit. amittat.* ubi quis conſequitur, per conſocium, quod per ſe non poteſt.

Sic & ratione ſocietatis poteſt laicus eſſe arbiter 13
in cauſa ſpirituali ſimul cum Clerico, text eſt *in cap. perpetuas de arbitrio;* & etiam ſi ſint duo laici, & unus Clericus, ut colligitur ex eodem *cap. perpetuas,* ibi, *Quod autem à duobus laicis, & uno Clerico dicitur eſſe prolatum nequaquam obviare videtur,* quem text. expendit Covarr. *practicarum, quæſt. 34. num. 1. verſ. imo,* nihil refert.

Sed in contrarium eſt veritas, nam actus denominatur à digniori, ut dicit Covarr. *ubi ſupra.*

Et ſic ſi laicus & Clericus habent jus patronatus 14
pars Clerici trahit ad ſe partem laici, Staphileus, *de literis gratiæ, titul. de modo & forma impetrandi, pag. 151. num. 3.*

Et in terminis tradit Joannes Andreas, *reg. in*

*jure communi in Mercuriali*, quem ſequitur Paulus de Citadinis, *de jure patron. 6. part. art. 5. num. 3.* & Joan. Gutierez *de juramento confirmatorio, 3. part. cap. 13. num. 10.*

15 Atque ita ex hac communione Clerici & laici in patronatu reſultat, quod ſi ſimul præſentent, laicus poterit præſentationem facere intra ſemeſtre, ut poteſt Clericus & in omnibus caſibus in quibus laici habuerint individuum, conjunctumque jus cum Clericis gaudebunt privilegiis ſociorum Clericorum, Aretinus, *conſ. 25.* viſo themate quem ſequitur Marcus Antonius Cuchus *lib. 1. inſtitutio major, tit. 9. num. 61.* Sicque procedit *dict. l. ſi communem fundum*, ratione individuitatis, & connexitatis, ut ſentit Citadinus ubi *ſupra.*

16 Si autem ſeorſim patronus laicus præſentaret, ut poteſt ſecundum Lambertinum, *de jure patronatus, lib. 2. 2. part. art. 8. 2 quæſt. princip. num. 1.* tenerem faciendam eſſe præſentationem intra qua-
17 drimeſtre, ſi quidem ipſe ſe diſiungit. Neque enim (niſi aliter diſpoſitum ſit à fundatore) neceſſarium erit, quod omnes patroni conveniant ad præſentationem faciendam ſi jus competat patronis, ut ſingulis, non ut Collegio, ſeu univerſitati Lamberti. *ubi ſupra*, Aymon *conſ. 63. num. 1.* Parladorius *differentia 3. num. 15.* qui alios referunt Rocus de Curte, *de jure patronatus, verbo honorificum, num. 94.*

18 Tamen patronus in caſibus quibus ei permittitur variare, ſolum poterit, id facere accumulative, non autem recedendo à prima præſentatione, *vel ea refutata*, ut inquit *text. in cap. cum autem*, ubi omnes de jure patronatus, Gregorius Lupus, *l. 6. titul. 15. part. 1. verbo: Eneſcogencia de Obiſpo*, Gutierr. qui alios refert, ubi *ſupra num.* 4 Aliàs ſi reſpuendo primi præſentationem, ſecundam fecerit, nihil agit, jure obviante, ut faten-
19 tur prædicti Doctores. In dubio autem præſumendum eſt, quod ſecundam fecerit modo à jure ſibi permiſſo, tum quia ſumenda eſt conjectura pro validitate actus, *l. quoties, ff. de rebus dubiis, l. quoties*
20 80. ubi Jaſ. *ff. de verborum*: Valaſcus *conſult. 59. num. 3.* ubi dicta jura allegat. Tum etiam quia quilibet præſumitur velle facere actum modo ſibi magis proficuo, *l. duo fratres 77. ff. de acquir. hæred.* Aymon *conſ.*
21 24. *num. 13.* & etiam creditur ſe velle conformare cum diſpoſitione juris communis, *l. hæredes mei,*
22 *§. cum ita ff. ad Trebellian.* Rolandus, *conſ. 68. volum. 1.* Tiberius Decianus, *conſ. num. 218.* Raudenſis *conſ. 23. etiam impropriando*, verba idem *conſ. 18. num. 33.* & in terminis, tradit Joannes Gutierrez, ubi *ſupra num. 6.* ubi *num. 13.* limitat omnia ſupradicta de variatione, ſi prima præſentatio ſit facta, cum juramento, quo patronatus pro-
23 miſſit non variare, vel etiam hoc addito pacto, ſine juramento ſecundum Lappum, *allegation. 78. num. 4.* & idem Gutier. *ibi, num. 14.* addit aliam cautelam, ut ſcilicet patronus faciat donationem exercitii præſentationis pro illa vice ad quam non requiri Epiſcopi licentiam, ex aliis tenet Gregor. *l. 6. tit. 16. part. 1. verbo, Bien lo puedo* non ta-
24 men poterit patronus cedere præſentationem Capellaniæ vacaturæ, Abb. *cap. fin num. 6. de conceſ. præbend.* & omnis variatio eſt facienda intra tempus conceſſum ad præſentandum, Cavalcanus *deciſ. 10. 3. part. numero. 62. ubi numero. 61.* limitat dictum depræſentatione jurata ſi fuerit perfecta & acceptata, de quo Surdus *conſ. 379. numero. 5. volum. 4.*

Sed an ſi fundator Cappellaniæ diſpoſuerit, quod 25
ſi patronus infra tempus à jure præfixum non præſentaverit, alter ad hoc per ipſum nominatus præſentet, tali caſu devolvetur necne ad Epiſcopum præſentatio, vel ad alterum ſubſtitutum, & Baldus, *l. ſi fundum ſub conditione 83. §. Stichum, num. 1. de legat. 1.* tenet quod ſi teſtator dixerit relinquo Titium executorem meum ut *infra* annum 26
exequatur, quo anno tranſacto exequatur Sejus, licet aliàs executio jure communi ad Epiſcopum devolveretur, *l. nulli licere, C. de Epiſcopis & Cler. cap. nos quidem de teſtament.* Tamen prædicto caſu, non Epiſcopus, ſed Sejus à teſtatore ſubſtitutus exequetur, dicitque menti tenendum, quem ſequitur Cota, *in memor abilibus, verb. Executores,* & refert Bartholom. Veronenſem, idem tenentem, *cautela 294. incipiente:* quia legimus cujus rei eam dicit eſſe rationem, quod proviſio hominis facit ceſſare legis proviſionem, text. *eſt dict. §.* Stichum, 27
ubi additionator ad Bald. *& eſt text. in l. fin. C. de pactis convent.* Nam cum teſtator providerit de 28
remedio in caſu negligentiæ, illo eſt utendum, juxta ea quæ diximus *ſupra lib. 1. cap. 14. num. 27.* Pro quo facit, quod communiter recipitur, poſſe 29
teſtatorem prorogare terminum datum à jure, vel conſtitutione Synodali executoribus, ut videre eſt, per Caſtellum Palat. Rub. Gomezium, Tellum Fernandez, *l. 33. Tauri*, & tradit Bald. *conſ. 302. numero. 6. vol. 2.* Covar. *cap. tua, num. 6. de teſtam.* Mieres *de majorat. 1. part. quæſt. 48. numero 10.*

Et ſic fundans Capellaniam poteſt diſponere, 30
quod patronus habeat majus tempus ad præſentandum, quam ſemeſtre, vel quadrimeſtre à jure præfixum, modo fiat cum Epiſcopi conſenſu, ut reſolvit Lambertinus, *de jure patronat. lib. 2. 2. part. quæſt. 1. princip. art. 7. num. 1. & 2.*

Nam fundator in limine fundationis, cum con- 31
ſenſu Epiſcopi, poteſt apponere conditiones, quæ minuant jura Epiſcopalia, ex doctrina Innocentii, *cap. in Lateranenſi, ante fin. de præbend.* quem ſequitur Abb. *cap. 3. num. 14. de Eccleſiis ædificand.* Felinus *cap. cum venerabilis, num. 33. de exceptionibus*, ſequitur Lambertin. *de jure patronat. lib. 1. 1. part. quæſt. 9. principali, num. 78.* Et hoc ſine dubio procedit, ubi agitur de ſolo præjudicio fundatoris, ut in Capellania, quam ipſe fundat celebranda pro anima ſua, nam poterit largius tempus præſentationi patronorum præfigere, per ſupradicta.

Secus tamen eſſet, ſi ageretur de patronatu Ec- 32
cleſiæ, Parochialis, propter animarum præjudicium, ne cum earum diſpendium Eccleſia vacet, *argum. text. in cap. fin.* ut lite pendente, *lib. 6.* & in Parochiali patronus tenetur, præſentare intra decem dies, vel aliud terminum ab Epiſcopo præſcribendum *Concil. Trid. ſeſſione 24 cap. 18. de reformatione*, & intra viginti dies tradit ex Bulla Pii Quinti, Cerola *in praxi, 1. part. verb. jus* Patronatus ad quartum.

Sed & tranſacto tempore Patronis ad præſentan- 33
dum conceſſo, poterit Epiſcopus eorum præſentationem admittere, Lamberti. *de jure Patronatus, lib. 2. 2. part. quæſt. 1. principali, art. 27. num. 4. & ſequentibus.* Quemadmodum, etiam poterit Epiſ- 34
copus admittere ſecundam præſentationem à Patrono factam, remittendo illi pœnam, quam incurrerat, quia indignum præſentaverat, ut tradit Lamberti. ibi, *num. fin.*

Tempus



Tempus autem ad præſentandum, inquit Lambertinus, *de jure Patronatus, lib. 2. 2. part. quæſt. 1. principali, art. 8. n. 18.* currere à die vacationis, ſciverit vel ignoraverit Patronus, ſed verius eſt à tempore veriſimilis notitiæ, argum. *l. fin. ff.* quis ordo in bonorum poſſeſſione ſervetur, ibi: *Non cedent dies centum; incipient autem cedere cum certior fieri potuerit, & gloſſ. verbo à notitia in cap. licet, de ſuplend. neglig. Prælat.* Rochus de Curte, *de jure patronatus, verb. honorificum, num. 57. ad fin.* Bertrand. *conſ. 129. volum. 4.* Spino, *in ſpecul. teſtam. gloſſ. 4. num. 21.* & traditur *deciſ. Rotæ unica de jure patronatus*, in antiquis, quam ſequitur Cerola, *in praxi Epiſcop. 1. part. verb. jus patronatus, ad octavum, verſ.* hinc ſunt multa. Ut dicitur de eo qui intra tempus tenetur eligere, *cap. quia diverſitam in fine, de conceſſione præbend.* ubi probatur, quod etiam ſi habuiſſet notitiam vacationis, &
36 eſſet juſto impedimento detentus non curreret ei tempus & gloſſ. ibi, idem dicit, licet incideret ſua culpa in impedimentum, Staphileus, *de literis gratiæ, titul. de modis vacationis, §. ſecundus principalis modus vacationis, numero ſeptimo.*

37 Sed an durante lite ſuper jure patronatus currat tempus patronis ad præſentandum, Selva *de beneficio, 2. part. quæſt. 6. numero 4. poſt medium, & 3. part. quæſt. 1. numero 9.* & Lambertinus, *de jure patronatus, lib. 2. 2. part. 1. quæſt. princ. artic. 9. numero 1.* tenent partem affirmativam: negativam autem defendit Lappus, *allegat. 78. quæſt. 5. nu-*
38 *mero 15.* Sed in hoc practicam ponit Cerola, *in praxi Epiſc. 1. part. verb.* jus patronatus *ad 5.* ubi quod ſi lis vertatur inter patronum ſe dicentem, & Epiſcopum, Epiſcopus non poterit providere, ſed ponet æconomum in Eccleſia, durante lite, quo uſque terminetur, *l. 11. titul. 15. part. 1.* ſi tamen Epiſcopus collitigans providerit evicto poſtea patronatu à vero patrono, poteſt removeri inſtitutus ab Epiſcopo, neque obſtat *cap. conſultationibus de jure patronatus:* nam loquitur quando lis eſt inter duos patronos, & ad eum caſum eſt limitanda ejus concluſio, ut dicit Cabedus *de Patronat. Regiæ Coronæ, cap. 8. numero 3.* & ratio eſt, quia Epiſcopus, non ut patronus, ſed tanquam ordinarius Capellaniam confert, & cum inveniatur per ſententiam eſſe, de patronatu collatio irritatur, ut facta ſine conſenſu patroni, *cap. decernimus, 16. quæſt. 7. cap. illud, cap. cum dilectus, de jure patrim.* Pariſius, *conſ. 144. volum. 4.* Rolandus, *conſ. 47. numero 29. volum. 1.* Neque obſtat, *deciſ. Rotæ 14. de jure patronatus in antiquis*, allegata à Menochio, *conſ. 90. num. 128. verſ.* huic dubitationi, quæ habet, quod tam in Eccleſia patronata quam in collativa habet locum deciſio, *dict. cap. conſultationibus*, & quod eadem ratione eſt, defendenda collatio facta ab eo, qui eſt in quaſi poſſeſſione conferendi, qua defenditur præſentatio facta à patrono, qui erat in quaſi poſſeſſione præſentandi, quia ut præſentatio eſt in fructu juris patronatus, ita in fructu collationis eſt, ipſa collatio, *cap. cum olim, de cauſa poſſeſſ. & propriet.* nam reſpondetur, quod dicta Rotæ deciſio loquitur, & procedit inter duos collatores prætendentes habere jus conferendi, quo caſu ſuſtinetur collatio facta ab eo, qui erat in quaſi poſſeſſione conferendi, ita Cabedus, *dict. cap. 8. num. 6.* Atque ita intelligendi ſunt Doctores, quos refert Menochius, *dict. conſ. 90. num. 131.* tenentes, quoad hos terminos nullam eſſe differentiam inter Eccleſiam electivam & patronatam. Si tamen iis fuerit inter ipſos patronos ſe dicentes, vel non concordantes, Epiſcopus poterit collationem facere, ita gloſſ. 1. *in cap. 2. 16. quæſt. 7.* & gloſſ. *in cap. eam te, de jure patronatus,* Doctores, *cap. cum vos, de officio ordinar.* & pro iſta praxi eſt in noſtra Hiſpania, textus expreſſus, qui eam ponit, *l. 11. titul. 15. part. 1.* quam ad hoc etiam ponderat Spino, *de teſtamentis, gloſſ. 4. num. 24.* Reſervatur tamen vincenti, ut lite finita poſſit 39
repræſentare jam inſtitutum ab Epiſcopo pro ſui juris conſervatione, tradit Lambertinus, *de jure patr. lib. 2. 2. part. quæſt. 1. principali, artic. 9. numero 6,* & traditur, *dict. l. 11. partita*, non tamen alium.

Et ad eundem modum præſentatus à litigante, 40
qui erat in poſſeſſione præſentandi, licet ſuccumbat ille præſentans non removetur, ſed ejus inſtitutio tenet, *cap. conſultationibus de jure patrim.* Covarr. *quæſt. 14. practicarum, numero 2. verſ.* Et hoc quia 41
poſſeſſor bonæ fidei, facit fructus, & præſentatio eſt in fructu, ut tradit Boetius, *deciſ. 17. numero 14.* & ſequitur Cerola, *in praxi, 1. part. verb. jus patronatus, verſ. decimum ſextum*, & tradunt omnes, *cap. conſultationibus, & cap. quod autem, de jur. patronat.* Lambert. *lib. 1. 2. part. 9. quæſt. principali, art. 3. num. 8.* quamvis contrarium ſentiat Spino, *de teſt. gloſſ. 4. principali, numero 27.*

Limita tamen prædicta, & deciſionem, *dict. cap. conſultationibus*, quando cauſa litigii inter patronos eſſet ſuper ſpolio: eo enim caſu cum patronus qui obtinuit petierit ſe reſtitui: & tantum afferat reſtitutio, quantum abſtulit ſpolium, Bart. *l. qui proprio, 46. ff. de procurat.* Tiraq. *de retract. lib. 1. §. 1. gloſſ. 14. num. 74.* quia non fiet niſi relinquatur Eccleſia ab inſtituto debet removeri, tradit Cabedus, *de patron. Regiæ Coron. cap. 8. numero 8.* per tradita à Luca de Penna, *l. ſi coloni, num. 4. C. de agric. & cenſ. lib. 11.* quod maximè procedit, quia in litibus ſuper ſpolio citantur Epiſcopus, & inſtitutus, ſed & patronus, ſi Eccleſia eſt patronata, cum omnes dicantur ſpolium facere, Rebuff. ad conſtitutiones Gallicas, *titulo de materiis poſſeſſoriis, art. 1. gloſſ. 2. numero 26. & 27.* Cabedus ubi *ſupra num. 10.* & ibi, *num. 11.* quod eo caſu inſtitutus tenetur reſtituere fructus, ad tradita per Covarr. *lib. 1. variar. cap. 3.* Et idem in minore petente reſtitutionem, *argum. l. plus eſt, & l. hæc verba, ff. de verb. ſignif. l. quod ſi minor, §. reſtitutio, ff. de minor.* quod intellige procedere eo caſu, & caſibus quibus minoribus ſecundum juris regulas competit reſtitutio in integrum in ſpiritualibus, ut ſi renuntiaverit juri patronatus dolo tertii, ad tradita per Flaminium, *lib. 3. de reſignat. benef. q. 7. num. 43. & ſeq.* Petr. Greg. *de benef. cap. 31. num. 7.* & Mandoſ. *de minori ætate, quæſt. 11.*

Extra tamen hos caſus reſtitutionis, amittitur per litem inter patronos jus præſentandi pro illa vice, quare ſemper eſt appetenda concordia, qua res creſcunt, nam licet patronus non poſſit ſeipſum præſentare, *cap. per veſtras, de jure patron. cap. final. de inſtitutio.* Tamen ſtantibus duobus pa- 42
tronis, poteſt unus alterum præſentare, Lambert. *de jure patron. lib. 2. 3. part. 4. quæſtione princip. art. 2. num. 4. & 6.* & ad hoc videtur *text. in l. 7. titul. 15. part. 1.* ibi: *Mas ſi los patrones fueſſen muchos, o ovieſſe hi algun Clerigo, bien pueden los otros preſentarlo.* Et eſt *gloſſ. fin. c. conſuluit, de jure patron.* Lambert. *de jure patron. lib. 1. 1. part. quæſt. 8. art. 7.* Non tamen poterit compatronus ſuæ præ- 43
ſentationi conſentire, ſive ſint duo patroni, (ut

tradit Lambert. *de jure patron. lib.* 2. 3. *part* 4. *quæſt. princ. art.* 2. *num.* 4.) ſive plures idem *lib.* 2. 1. *part. quæſt. princ. art.* 6. &-ſic ſi ſint ſeptem patroni, & tres præſentant unum ex quatuor teſtantibus, ille præſentatus non poterit conſentire ſuæ præſentationi, ſecundum Doctores, tradit Cerola, *in praxi verb. jus patronatus, verſ. trigeſimum quartum.* Secus tamen erit in electione, quia poteſt quis conſentire electioni de ſe factæ, *c. cum in jure peritus, de electio.* ubi Abb. *num.* 4. dicens eſſe communem opinionem contra gloſſam, & eandem dicit communem Peralt. *l. unum ex familia, §. rogo, num.* 10. *de legat.* 2. & hanc opinionem contra gloſſ. ſequitur Gregor. Lup. *l.* 2. *titul.* 15. *part.* 2. *verb. En España*, quem etiam ſequitur Molina, *lib.* 2. *de primog. c.* 4. *numero* 61. ubi quod ſi duobus commiſſa eſt electio majoratus, poteſt unus alterum eligere, & alter electioni de ſe factæ conſentire, Curia Piſana, *lib.* 2. *c.* 11. *numero* 2. ubi ad multa infert & Marcus Anton. Cuchus, *lib.* 2. *inſtitutio majorum, titul.* 4. *numero* 37. ubi quod ſi univerſum collegium conſiſtat in duobus Cardinalibus, poteſt alter alterum in Papam eligere. Imo ſi ſint plures eligentes quam duo, conſenſus electi
44 auget numerum, tradit alios referens Cavalcan. *deciſ.* 40. *numero* 4. & ibi, *numero* 3. Limitat, ſi electio fiat per ſcrutinium ſecretum, & per fabas, ſeu calculos albos & nigros, quia tunc non poterit conſentire nominationi, cum ignoret quis illorum ſibi dederit vocem. Quod ante eum, licet ipſe non referat, tenuit Abb. *conſ.* 25. *incipienti, Salvatoris, num.* 3. 2. *part.* de quibus electionibus tractat Paleotus, *de ſacri Conſiſtorii conſult.* 5. *part. quæſt.* 3. *in princ.* Nam hic conſenſus electi à media parte debet ſequi, non præcedere, ut tradit Cavalcan. *dict. deciſ.* 40. *num.* 3. Lambert. *de jure patronat.* 1.
45 *part.* 8. *quæſtion. principali, articul.* 7. *per totum.*

Adde tamen, quod licet patronus non poſſit ſe ipſum præſentare, poterit tamen inſtitui ab Epiſcopo, Abb. *c. per veſtras, num.* 3. *de jure patron.* Selva, *de benef.* 1. *part. quæſt.* 6. *num.* 19. Cerola,
46 *in praxi ver. jus patr. verſ.* 21.

Sed quia ut diximus, patroni habent quadrimeſtre, & ſemeſtre ad præſentandum Capellanum, & contigit ſæpiſſimè ſtatim quod Capellania vacat, aliquem ex intereſſe putantibus, ſibi debere Capellaniam conferri, comparere coram Epiſcopo, petendo ſibi collationem fieri Capellaniæ vacantis, ad cujus inſtantiam, ut juridice procedatur, Ordinarius citat per edicta, vel etiam nullo inſtante ponit edicta, quæſtionis eſt, an patronus teneatur intra terminum edicti præſentare, vel poſſit tacere, & præſentationem facere intra tempus ſibi à jure conceſſum. In qua quæſtione Felin. Imol. Calderin. & Joan. And. variant, ut videre eſt per Rochum de Curte, *de jure patron. verb. honorificum,* 2. *quæſt. princ. num.* 84. & per Lamb. *eo tractat. lib.* 2. 2. *p. quæſt.* 1. *princ. art.* 28. ubi late examinant: & quidem ſerioſe ſatis. Sed reſolutive dic, quod ſi edicta dentur ad inſtantiam alicujus petentis collationem, patronus tenetur comparere intra edicti terminum, præſentationemque facere, aliàs ſi taceat ſibi præjudicat, & videtur conſentire alterius præſentationi & electioni, taliter, quod inſtitutione ſecuta, non debet admitti, ita Lambert. *ubi*
48 *ſupra, num.* 11. *verſ.* 6. eſt-caſus.

Pro quo ultra eum, ne obſter regula indultum, *de reg. jur. lib.* 6. *facit*, quod licet à jure concedantur centum dies hæredibus, ut deliberent, velint, necne, hæreditatem adire, ut *in l.* 2. *ff. de jure delib. l.* 2. *tit.* 6. *part.* 6. tamen inſtantibus creditoribus, poteſt præfigi brevius tempus à judice, *l. ſi curatoris, C. de jur. delib. l.* 1. *§. largius, verſ. ſane, ff. de ſucceſſ. edict.* & omnes communiter in Rub. *C. de ſucceſſ. edict.* Guiller. Bened. *in cap. Rainuntius, verb.* & uxorem nomine Adelaſiam, *præludio* 4. *num.* 154. *de teſtam.* ubi dicit deſumi hanc practicam à jure divino, Ruth. *cap.* 4. *in princ.* ibi: *Partem agri fratris noſtri,* Greg. Lup. *l.* 2. *tit.* 6. *part.* 6. *verb. Alomenos*, & Ant. Padilla, *l. ſi emancipata, num.* 43. *C. de jur. & fact. ign.* Et non acceptantibus hæredibus eo tempore, datur curator bonis, qui reſpondeat creditoribus, ut tradunt prædicti, & eis non relatis Paz, *in praxi,* 2. *tempore prim. tom. num.* 50.

At ſi edicta ponantur ab Epiſcopo nullo inſtante, 49
tunc patronus tenetur comparere, & petere ſibi indulgeri tempus à jure conceſſum ad præſentandum. Quod Epiſcopus negare nequit, ut tradit Lambertinus, ubi *ſupra num.* 6. *verſ. niſi dicas*, & facit *reg. indultum, de reg. jur. lib.* 6.

Sed & dato edicto ad inſtantiam aliquorum inte- 50
reſſe putantium, etiam tranſacto edicti termino, ante inſtitutionem tamen poterit patronus comparere, & præſentare Capellanum, modo ſit intra tempus ſibi à jure conceſſum, ut tradunt Felin. *cap. cum Bertoldus, de re jud. num.* 13. Rochus de Curte, *de jure patrimon. verb. honorificum, num.* 84. ſequitur Lamber. ubi *ſup. n.* 4. & 11. *verſ.* 4. *caſus.*

Sed an poſitis edictis inſtantibus intereſſe putan- 51
tibus, debeat ſuſpendi judicium, & patrono concedi tempus juris ad præſentandum ſi patronus velit præſentare aliquem non tonſuratum, vel preſbyterum, ſi Capellania ſit Sacerdotalis, actu, qui eſt ordinandus, ſeu præsbyterandus intra tempus patrono à Jure conceſſum ad præſentandum, quod ſi reſtringatur non poterit præſentare, & fraudabitur ſua præſentatione contra juris regulam, cum nulli ſit auferendum jus ſuum, *§. ſed & major de his, qui ſunt, inſtit.* & durum eſſet privare patronum ſua præſentatione, qui non eſt negligens, & facit quod in ſe eſt circa ſubſtantialia præſentationis, ut dicit Coſmas Guim. *in pragmat. ſanct. tit. de collat. verb. non valet. num.* 4.

Solutio hujus dubii ex alio pendet, an ſcilicet
capacitas præſentandi requiratur tempore vacatio- 52
nis, vel ſufficiat quod interveniat tempore præſentationis & inſtitutionis, nam ſi omni tempore requiratur, non eſt audiendus patronus petens ſuſpendi judicium per tempus à jure ſibi conceſſum, ut interim præſentandus tonſuretur, ſeu præsbyteretur, conſequaturve alium ordinem requiſitum: quia qualitas, ſeu habilitas, quæ à principio requiritur, non ſufficit ſi poſtea ſequatur, *l. ſi quis mihi bona, §. juſſum. ff. de acquir. hæred. l. fratres, ff. de pœnis*, gloſſ. *in Clem. ut hi, verbo, conſtitutis, de ætat. & qualit.* latè Decius poſt alios, *in cap. poſt ceſſionem, de probat.* Flami. qui de communi teſtatur, *lib* 4. *de reſignat. benefic. quæſt.* 1. *num.* 14. Aymon. *de antiqu.* 1. *ſect. §. vidimus. & abunde, num.* 33. Raudens. *conſ.* 11. *num.* 36.

Et video, quod Cevallos *qu.* 693. *commun. con-*
*tra commun. num.* 16. tenet præciſe neceſſariam 53
eſſe capacitatem tempore vacationis, ſeu oppoſitionis, & ibi loquitur de Capellania juris patronatus, ut conſtat ex illis verbis: *Nunc autem operæ pretium eſſe judicavi animadvertere, quod non ſufficiet præſentato ad Capellaniam, &c.*

Et



54 Et cum qualitas clericatus, quæ ab initio requiritur, non ſufficiat ſi ſuperveniat, per jura quæ ſupra allegavimus, & tradit Aymon. *conſilio trecenteſimo vigeſimo ſecundo, numero quarto, verſic.* Adeo etiam ſequitur patronum non eſſe audiendum, ſi poſitis edictis petat ſuſpenſionem edictorum per tempus juris, ut interim præſentandus ordinetur, ex quo
55 jam appareat de incapacitate illius. Sed cum patrono non ſit auferendum jus ſibi à jure conceſſum in remunerationem fundationis, teneo concedendum illi tempus juris, & edicta differenda, ut ſic edictorum, & oppoſitionis tempore ſit capax præſentandus à patrono, ſecundum traditionem doctiſſimi mei Concivis Cevallos, dicentis ſufficere capacitatum tempore appoſitionis. Pro
56 quo facit, quod nullus debet decipi authoritate legis, *l.* 1. *C. de his qui veniam ætat. Impetra.* Et ſi fundanti Capellaniam collativam (cum poſſet non collativam facere) quia credit ſibi & ſucceſſoribus in jure patronatus licere præſentare idoneum intra tempus juris, poſſet auferri tempus ab ordinario ponendo edicta, hoc eſſet alienam ſpem decipere, ut dicit textus, *in l. fin. §. ſed quia noſtra,*
57 ibi: *& alienam ſpem decipere, C. communia de legat.* quod facere ordinarius non debet, quia Epiſcopus
58 debet eſſe gratus fundatori, ut dicit Lamber. *de jure patron, lib.* 2. 3. *part. quæſt.* 5. *principali, artic.* 4. *num* 12. Deinde facit, quod cum patronus debeat intra tempus à jure ſibi conceſſum diligenter inquirere idoneum quem præſentet, ut dicit Flamin. *lib.* 10. *de reſignat. benefic. quæſt.* 3. *num.* 60. totum medium tempus gratia illius cenſetur conceſſum, *argum. l. quod in diem. ff. de ſolut.* & adimplebit idoneum præſentando intra illum tempus, nam ſufficit capacitas tempore electionis, & præſentatio-
59 nis *cap. dudum, de elect.* Et quod diximus non ſufficere, quod qualitas Clericatus ſuperveniat, intelligendum eſt poſtquam aliqui ab initio eſt jus quæſitum, cui non eſt auferendum, at Capellania vacante, licet ad eam vocentur conſanguinei fundatoris, cum primas partes habeat patronus ad præſentandum ei principaliter eſt jus quæſitum ad præſentationem, quam ſi legitime faciat nemo poterit impugnare, argument. regulæ, factum legitime, *de regulis juris, lib* 6.

Ex quo deduco verum, quod ſi patronus ſecundum formam fundationis præſentavit clericum conſanguineum, quem invenit idoneum, & tranſacto termino ad præſentandum, ordinetur aliquis proximior fundatori, qui toto tempore dato patrono ad præſentandum non erat Clericus, & ſic incapax, non eſt præferendus præſentato, cui fuit jus quæſitum ex præſentatione, *cap. cum Bertoldus, de re judicat.* Lambert. *de jure patrim. lib.* 2. 2. *part.* 5. *quæſt. principali, artic.* 8. *num.* 1. Nec patronus eſt privandus ſua præſentatione, qui fecit diligentiam quam debuit ad præſentandum idoneum, ut diximus *ſupra, num.* 51. & non potuit licet vellet præſentare hunc conſanguineum proximiorem, qui non erat ordinatus, pro quo facit, quod ſi Capellania conferatur clerico extraneo, quia non erat aliquis clericus conſanguineus, & poſtea conſanguineus, efficiatur clericus non eſt auferenda Capellania extraneo, ut tradit Cevallos, *quæſtione* 693. *commun. contra comm. numero.* 27. Et pro hoc etiam facit quod licet in majoratu fœmina excludatur à maſculo tamen fœmina, cui fuit jus quæſitum ad majoratum propter alienationem poſſeſſoris non excludetur per maſculum poſtea natum, tradit Mier. *de major* 3. *part. quæſtione* 1. *numero* 66.

Facit etiam, quia qualitas aliquo tempore requiſita, ſi tranſacto tempore ſuperveniat, nihil prodeſt, *l. obligari, §. tutor, ff. de authoritate tutorum, l. matrem. C. de probat. l. his verbis, § interdum, digeſt. de hæred. inſtit.* tradit Cevallos, *quæſtione* 606. *numero vigeſimo octavo, commun. contra communes.*

Sic ætas vel alia cauſa excuſationis ſuperveniens, à tutela ſeu alio officio vel onere jam injuncto non liberat, *l. ſemper, §. hoc circa ff. de jure immunitat.* gloſſ. *in l. ſi ultra, Codic. de decurion. libro* 10.

## CAPUT X.

### Ad quem pertineat Capellaniam conferre de praxi procedendi ad collationem.

*SUMMARIUM.*

1 *Beneficiorum proviſio & inſtitutio de jure pertinet ad Epiſcopum.*
2 *Epiſcopus dicitur præordinator in cunctis.*
3 *Epiſcopus dicitur ordinarius collator, quia jure ordinario confert omnia beneficia ſuæ diœceſis.*
4 *Summus Pontifex diſtribuit Epiſcopis poteſtatem conferendi, eos aſſumens in partem ſolicitudinis Eccleſiæ.*
5 *Poteſtas conceſſa Epiſcopis conferendi beneficia, eſt limitata regula Cancellariæ, ad ea ſolum quæ vacaverint menſibus Martii, Junii Septembris, & Decembris.*
6 *Epiſcopus ſi petit alternativam à Romano Pontifice, habebit ſex menſes.*
7 *In parochialibus, etiam in menſibus Papæ, Epiſcopus eligit magis idoneum ex approbatis ab examinatoribus ſynodalibus.*
8 *Sede Apoſtolica vacante, Epiſcopus confert omnia beneficia ſuæ diœceſis, quolibet menſe vacent.*
9 *Epiſcopus etiam in menſibus Papæ confert præbendas quæ habent annexum aliquod onus, ut præbendæ Theologales.*
10 *Epiſcopus menſibus Papæ confert beneficia tenuiſſima, ſecundum aliquos.*
11 *Epiſcopus in menſibus Papæ confert præſtimonia quæ non cadunt in reſervationem Pontificis.*
12 *Si Romanus Pontifex non conferat beneficia in Curia vacantia, intra menſem Epiſcopus confert.*
13 *Epiſcopus tenetur conferre beneficia intra ſex menſes, aliàs devolvetur collatio ad Romanum Pontificem.*
14 *Præbendas Eccleſiæ Cathedralis conferre tenetur Epiſcopus intra tres menſes.*
15 *Limita in beneficiis juris patronatus.*
16 *In jure non reperitur tempus præfixum ad confirmandum per Epiſcopum præſentatum à patrono.*

17 *Superior*

17 *Superior poteſt præſigere terminum Epiſcopo, ut confirmet, & eo elapſo providere.*

18 *Romanus Pontifex providet privative omnia beneficia exempta, & ei immediate ſubjecta.*

19 *Et etiam beneficia reſervata generaliter, vel ſpecialiter ut curialium & quæ in Curia dicuntur vacare.*

20 *Romanus Pontifex privative confert beneficia majora, ut ſunt Epiſcopatus.*

21 *Romanus Pontifex confert beneficia, per hæreſim vacantia.*

22 *Romanus Pontifex tantæ eſt potentiæ, quod ubicunque appoſuerit manus, cauſat reſervationem beneficii.*

23 *Idem dicitur de lite nam per appoſitionem manus Romani Pontificis ligantur manus judicum inferiorum.*

24 *Papa concurrit in collationibus cum ordinariis, ex quo ipſe eſt ordinarius totius orbis.*

25 *Si Capellania ſit juris patronatus, non poteſt Epiſcopus ſpreta patronorum præſentatione, conferre.*

26 *Patronus ſi ſit negligens in præſentando, Epiſcopus confert jure devoluto.*

27 *Epiſcopus tenetur conferre Capellaniam ad ſe devolutam, habenti qualitates à fundatore requiſitas, quia natura beneficii non eſt mutanda.*

28 *Natura ſubrogati eſt retinere qualitates ejus in cujus locum ſubrogatur.*

29 *Epiſcopus ſi conferat ſine patroni præſentatione, valebit collatio: quod ſecus erit patrono reclamante.*

30 *Epiſcopus ſi conferat Capellaniam, tanquam ad ſe devolutam, cum revera non eſſet, irrita eſt collatio.*

31 *Beneficia & Capellaniæ præſumuntur libera à jure patronatus.*

32 *Vacante Capellania, Epiſcopus citat per edicta intereſſe putantes.*

33 *Edicta quo loco ponenda ſint.*

34 *Edicta ſunt relinquenda in valvis Eccleſiæ, & quare.*

35 *Vox præconis paucis innoteſcit.*

36 *Edicta debent notari literis & lingua vulgari, ut ab omnibus, legi, & intelligi poſſint.*

37 *Publicè poſitum, ignorare non licet.*

38 *Citatio per edictum præſumitur venire in omnium notitiam.*

39 *Edictum ſi omittatur in collatione Capellaniæ, collatio eſt nulla.*

40 Deciſ. cap. fin. de electio. lib. *6. habet locum in beneficiis ſimplicibus.*

41 *Inſtitutio & collatio, quamvis irrita ex defectu edicti, valida erit præſentatio.*

42 *Si conſtat de contradictore, eſt citandus perſonaliter, aliàs proceſſus erit nullus, & collatio irrita.*

43 *Perſona ubi eſt certa, eſt citanda in ſpecie, & non generaliter per edicta.*

44 *Edicta ſunt ponenda termino competente aſſignato ad comparendum.*

45 *Si petens collationem, brevem edicti terminum procuraverit, vel edictum auferre curaverit, ne veniat in notitiam irrita erit collatio.*

46 *Malefaciunt Prælati ponentes edictum brevi termino, dum cupiunt aliquibus beneficia conferre.*

47 *Ponentes edicta, breviſſimo termino aſſignato, quia non ſatisfaciunt formæ à jure inducta ad providendum, etiam poſt collationem tenentur admittere ſua intereſſe putantes.*

48 *Publicatis teſtibus, admittitur quis ad probandum contrarium, ſi ante publicationem, de probatione contraria inſtrui non potuit.*

49 *Producta ſcriptura tranſacto termino probationis, cum juramento quod antea non venerat in notitiam, pars volens redarguere, admittitur de novo ad probandum.*

50 *Exceptiones competentes ad impediendam executionem, debent in oppoſitione clare ſpecificari, aliàs non proderunt pati:* & numeris ſequentibus.

51 *Reus, ſicut juvatur exceptionibus, ita actor replicationibus, & eis non debet fraudari.*

52 *Refertur oppoſitio malitioſa debitorum.*

53 *Creditor etiam in ultima hora termini decem dierum poteſt petere ejus prorogationem.*

54 *Qui non utitur remediis opportunis ad actum, eſt in damno ſua culpa, & ſibi debet imputari.*

55 *Si actor inſtrui non potuit de exceptionibus oppoſitis, quia debitor in oppoſitione uſus fuit verbis ambiguis, & captioſis, etiam ſi creditori nota ſint dicta teſtium, eſt ei prorogandus terminus.*

56 *Citatio communiter fit ad caput Epiſcopatus ubi trahi poſſunt intereſſe putantes.*

57 *Expenditur*, l. 5. titul. 1. lib. 4. recop.

58 *Capellania eſt beneficium Eccleſiaſticum.*

59 *Epiſcopus ſi ſit extra diœceſim, poteſt mittere edictum ponendum, & quare.*

60 *Si Capellania non ſit juris patronatus, ſed pertineat ad meram Epiſcopi collationem, poterit eam conferre extra diœceſim.*

61 *Actus voluntariæ juriſdictionis, poſſunt expediri extra diœceſim, & territorium.*

62 *Collatio eſt voluntariæ juriſdictionis, quia nullus compellitur acceptare beneficium.*

63 *Subſtracta una perſona quæ format proceſſum, proceſſus remanet informis.*

64 *Exceptio per quam perſona actoris & rei excluditur à proceſſu, ſemper impedit proceſſum.*

65 *Super exceptione oppoſita ad impediendum proceſſum, de neceſſitate eſt pronuntiandum.*

66 *Quando obſtaculum eſt in medio, prius debet agi ad remotionem obſtaculi.*

67 *Vicarius Epiſcopi habens poteſtatem conferendi, poterit facere extra diœceſim.*

68 *Quod ſecus erit ſi contradictor apparuerit, ex quo tunc collatio efficitur contentioſæ juriſdictionis.*

69 *Epiſcopus non debet collationem facere Clerico forenſi.*

70 *Epiſcopus priuſquam collationem faciat, debet habere notitiam de morte ultimi Capellani, vel reſignationis ſeu promotionis.*

71 *Locus ubi Capellania celebratur, eſt exprimendus.*

72 *Epiſcopus ſi habeat veriſimilem notitiam de morte Capellani, poterit collationem facere ſub conditione.*

73 *Capellaniæ collatio, an ſit facienda in ſcriptis.*

74 *De jure communi ad eſſentiam gratiæ non requiritur bullarum expeditio.*

75 *Regulis Cancellariæ fuit inventa bullarum expeditio ad probationem gratiæ.*

76 *Gratia unico verbo fit.*

77 *Bulla ſi non ſit, non creditur eſſe mandatum.*

78 *Per ſolam ſignaturam gratiæ, non poteſt quis apprehendere poſſeſſionem beneficii, nec facere fructus.*



79 *Limita, ſi Papa dixerit, quod ſola ſignatura ſufficiat.*

80 *Gratia, ante expeditionem literarum dicitur informis.*

81 *Gratia cenſetur facta ſub conditione, ſi literæ expediantur: & ita non habet effectum literis non expeditis.*

82 *Mortuo Papa, qui fecit gratiam ante expeditionem literarum, ſucceſſor ut gratia ſortiatur effectum, dat literas in forma rationi congrua.*

83 *Gratia poteſt probari teſtibus.*

84 *Regula Cancellariæ non procedit reſpectu ordinariorum, licet expediat expedire literas ad probationem tituli.*

85 *Clericus beneficiatus tenetur oſtendere titulum ſuæ poſſeſſionis.*

86 *Verba quibus utitur in collatione facienda.*

1 CAPELLANIA vacante, cum de jure
beneficiorum proviſio & inſtitutio perti-
neat ad Epiſcopum, & ipſe teneatur con-
ferre omnia Eccleſiaſtica beneficia in ſua Diœceſi
exiſtentia, *cap. ab exordio. 5. diſtinct. gloſſ. in cap.*
*quanquam, de electione, verb. noluerint Innocent.*
*cap. poſtulaſti, de jure patronat.* Gom. *de expectati-*
*tivis, numero* 3. Staphi. *de formis expectat. in princ.*
2 *numero* 10. Cum ipſe ſit præordinator in cunctis,
*deciſ. Rotæ*, 176. *in noviſſimis*, Cerola *in praxi*
*Epiſcopali*, 1. *part. verbo, beneficia*, ad ſecun-
dum. Ipſe Epiſcopus idoneo Capellaniam confer-
ret: ex eo enim dicitur ordinarius collator, quia
3 jure ordinario confert omnia beneficia Eccleſiarum
ſuæ Diœceſis, in quibus inſtitutio & deſtitutio ad
eum pertinet, *cap. conquerente, de officio ordinarii,*
*cap. frequentibus, cap. cum veniſſent, de inſtitutio-*
*nibus*, cum aliis multis congeſtis à Petr. Gregor. *de*
4 *benefic. cap.* 38. *numero* 2. ubi quod ſummus Pon-
tifex diſtribuit Epiſcopis hanc poteſtatem, eos aſſu-
mens in partem ſolicitudinis univerſalis Eccleſiæ, *c.*
*mandata, de præſumpt. c. ad honorem, de authori-*
*tate & uſu pallii.*

5 Sed hæc poteſtas conceſſa Epiſcopis conferendi
beneficia, limitata eſt ex lege Cancellariæ, qua
reſervantur beneficia Sedi Apoſtolicæ exceptis va-
cantibus in menſibus Martii, Junii, Septembris,
& Decembris, ut notant Gomez. *de expectativis,*
*numero* 3. & Rebuff. *eo tract. numero* 2.

6 Etſi Epiſcopus petit alternativam à Romano Pon-
tifice, ei conceditur, & habebit ſex menſes: ſin
autem ſolum quatuor, ut habetur in Bulla Pii V.
164. & 166. & tradit Cerola, *in praxi Epiſcopali,*
*verb. beneficia, ad ſecundum, verſ. quarto fallit,*
ubi quod hæc alternativa incipit currere à menſe
Martii, qui eſt Papæ, & Aprilis Epiſcopi, & ſic
7 deinceps, In parochialibus autem, etiam in menſi-
bus Papæ reſervatis Epiſcopus debet eligere illum
qui ſibi videbitur magis idoneus ex approbatis ab
examinatoribus, ut diſponunt Concil. Trid. *ſeſſ.* 24.
*c.* 18. & tradit Lælius Cæcus, *de viſitat. c.* 3. *n.* 6. Con-
8 fert etiam Epiſcopus omnia beneficia ſuæ diœceſis,
quolibet menſe vacent, Sede Apoſtolica vacante,
Paul. Æmil. *deciſ.* 86. Cerol. *in praxi Epiſc.* 2. *part. ver-*
9 *ſic. beneficium, in princ.* Et poteſt Epiſcopus in men-
ſibus Domini Papæ conferre præbendas, quæ ha-
bent aliquod onus annexum, ut ſunt præbendæ
Theologales, de quibus Concil. Trident. *ſeſſ.* 25.
*c.* 5. *de reform. text. cum gloſſ. in c. cum in Eccleſiæ,*
*verb. dictam conſuetudinem, de præbend. lib.* 6. Co-
varruvias, *quæſt.* 36. *practicar. num.* 4. *verſ. ſimi-*
*liter.*

Sed & beneficia tenuiſſima & parvi redditus, 10
ſecundum aliquos omnibus menſibus oportet Epiſ-
copum providere, pro evitandis tot malis, quæ
evenire ſolent, dum expectatur collatio Romani
Pontificis, de cujus magnitudine eſt credendum
velle hoc ita fieri, nec curare de minimis, ut tra-
dit Cerola, qui refert inconvenientia *in praxi*
*Epiſc.* 1. *part. verb. beneficia ad tertium, verſ. dico*
*ſeptimo*: ubi quod talia potius dicenda ſunt anniver-
ſaria, & memoriæ Miſſarum, quam beneficia.

Et etiam Epiſcopus confert menſibus Papæ præ- 11
ſtimonia, quæ non cadunt in reſervationem Ponti-
ficis, Gomez. *de expectativis, num.* 44. & dixi-
mus *ſupra c.* 8. *num.* 56. *hoc. lib.* 2. Et licet bene- 12
ficia omnia in curia vacantia pertineant ad proviſio-
nem Domini Papæ, ſi ipſe non providerit de eis in-
tra menſem enumerandum à die vacationis, Epiſ-
copus confert, *c. ſtatutum de præb. lib.* 6. & quam-
vis dubitetur, an is textus ſit reformatus per ex-
travagantem ex hoc debito, *de elect. & extrava-*
*gantem piæ ſolicitudinis, de præb.* ut videre eſt per
Gomez. *de grat. expect. num.* 21. Staphil. *de literis*
*gratiæ, fol.* 174. *num.* 8. quos refert his & aliis lo-
cis ab eo relatis, Cerola ubi *ſupra, verſic. dico*
*quarto*, & tamen in hoc dubio, inquit quod Or-
dinarius providebit, prout Deus benedictus ſibi inſ-
piraverit. Epiſcopus tamen tenebitur conferre om- 13
nia beneficia ad ejus collationem ſpectantia intra
ſex menſes, quibus tranſactis, confert Papa, jure de-
voluto, nec poterit purgari mora, *c. licet, & c.*
*fin. de ſupplen. negligent. Prælat.* Et hoc intelligas 14
de omnibus beneficiis, exceptis Cathedralibus &
regularibus, quæ intra tres menſes debent conferri,
*c. ne pro defectu, de elect.* Selva, *de benef.* 3. *part.*
*quæſt.* 64. *num.* 1. ubi limitat in beneficiis juris pa- 15
tronatus, & aliis quem ſequitur Cerol. *in praxi*
*Epiſc.* 1. *part. verſic. beneficia, ad tertium*, quo
caſu Epiſcopo, non currit tempus ad confirman-
dum præſentatum à patrono, cum in jure non re-
periatur præfixum, tradit Cerola, *in praxi*, 1. *par-* 16
*te verbo, jus patronatus ad octavum, verſicul.* Ter-
tium dubium. Licet ſi differat Epiſcopus collatio-
nem facere, poterit ſuperior præfigere terminum, 17
& eo elapſo providere, tradit Selva, ubi *ſupra,*
*num.* 1. & Cerol. *loco proximè citato, & conducit*
*textus in l. cum antiquioribus.* § *illud etiam. C. de*
*temporibus appellat.* in illis verbis: *Cum ſit ei apertiſ-*
*ſima facultas, & noſtram adire Majeſtatem, &*
*tarditatem judicis in querelam deducere, & noſtro*
*beneficio potiri*, per negligentiam itaque Epiſcopi 18
Papa confert, cui devolvitur electio. Providet etiam
Romanus Pontifex privativè omnia beneficia exemp-
ta, & immediate ei ſubjecta, *cap. finali de renun-*
*tiatione.*

Sed & beneficia reſervata generaliter, vel ſpecia- 19
liter, ut Curialium exiſtentium in Curia Romana,
& quæ in Curia dicuntur vacare, *cap.* 2. & 3. & *cap.*
*præſenti, de præbend. in* 6. Petr. Greg. *de benefic.*
*cap.* 38. *numero* 6. ubi, quod ad Romanum Pon-
tificem ſolum, & non ad alium pertinet conferre 20
majora beneficia, ut ſunt Epiſcopatus, *c.* 1. & ſe-
quenti, de tranſlatione Epiſcopi. Et beneficia va- 21
cantia per hæreſim pertinent ad Romani Pontificis
collationem, *ex Bulla Pii V.* 29. & *Greg.* 13. *Bulla*
68. Cerola, *in praxi*, 2. *part. verbo beneficium, verſ.* 16.
Sed

22 Sed & ſanctiſſimi domini Papæ, tanta eſt poten-
tia, quod ubicunque ſtatim, ac appoſuerit manus,
cauſat reſervationem, ſeu affectionem, & appoſi-
tio manus Papæ facit quod inferior ſe intromittere
non poſſit, ut dicit Simoneta, *de reſervatione be-*
23 *nefic. quæſt.* 4. *numero* 9. *& quæſt.* 60. *num.*2. uti &
alias dicitur de lite, *cap. ut noſtrum, de appellat.*
Gigas, *de penſionib. quæſt.* 69. *numero* 1. Alexand.
Raudenſ. *conſ.* 11. *num.* 16.

Et hoc abſque Prælatorum negligentia, Panorm.
*cap. quia diverſitatem, de conceſſ. præb. num.* 5. *&*
24 *cap.*2. *de præbend. in* 6. *Clement.* 1. ut lite pendente
& dominus Papa concurrit in collationibus cum or-
dinariis, cum ipſe ſit ordinarius totius orbis, *cap.*
*cuncta, per modum*, 6. *quæſt.*3. & tradit Selva *de*
*benefic.* 2. *part. quæſt.* 1. *num.* 20. Coſmas Guimier.
*in pragmatica ſanctione, ver. ſuadet. fol. mihi* 113.
*pag.*2. Petrus Gregor. ubi *ſupra*, & Simoneta, *de*
*reſervatione benefic. quæſt.* 5. *num.*8.

Et licet ad Epiſcopum pertineat proviſio benefi-
ciorum, & Capellaniarum ſuæ Diœceſis, quæ non
25 fuerint affecta, nec reſervata. Si tamen Capellania
fuerit juris patronatus, non poterit Epiſcopus ſpre-
ta præſentatione patroni providere, ut tradunt om-
nes per textum ibi, *in cap. ex inſinuatione, de jure*
*patronat. & eſt text. in cap. decernimus*, 16. *quæſt.*7.
plures refert Rochus de Curte, *de jure patron. verb.*
*honorif. num.* 2.

26 Sed ſi patronus fuerit negligens in præſentando
Epiſcopus conferet Capellaniam jure devoluto intra
ſex menſes numerandos ab ultimo die termini præ-
fixi patrono laico, ſeu clerico ad præſentandum, ex
*cap.*1. *de jure patron. lib.* 6. tradit Cerola, *in praxi*
*Epiſcop.* 1. *part, verb. beneficia, verſ. ad tertium*,
ubi ex Panorm. *cap. ex parte, num.* 13. *de conceſſ.*
*præbend.* tenet, quod hoc tempus currit Epiſcopo,
à die devolutionis, vel veriſſimilis notitiæ. Tene-
27 bitur tamen Epiſcopus conferre Capellaniam juris
patronatus ad ſe devolutam, habenti qualitates à
fundatore requiſitas, ut tradit plures referens Lam-
bert. *de jure patron. lib.* 1. 3. *part. art.*13. 7. *quæſt.*
*princ. &* 1. *part. quæſt.* 10. *art.*7. *num.*3. *eod. lib.*2.
Gutier. *conſ.* 1. *num.*31. *& conſil.* 3. *num.*15. Petr.
Gregor. *de benef. cap.* 34. *num.* 1. Selva, *de benef.*
*quæſt.*49. 2. *part.* Azev. *l.*5. *& l.*21. *titul.* 3. *lib.* 1.
*recop.* & Cabedus, *de patronat. Regiæ Coronæ, cap.*
28. *num.*3. quod juvatur ex eo quod natura bene-
ficii non debet mutari, Cephal. *conſ.*358. *num.* 8.
*volum.* 3. Gabriel. *conſ.* 185. *n.*2. *volum.*2.

28 Ex natura ſubrogati, cujus proprium eſt ſervare
& retinere qualitates, quæ inerant in eo in cujus
locum ſubrogatum fuit, *l. ſi eum* §. *qui injuriarum,*
*ff. ſi quis cautio, l. unic.* §. *ſed ut plenius C. de rei*
*uxoriæ actione, de quo* Anton. Gabr. *lib.* 6. *concluſ.*
*titul. de reg. jur. concl.* 2. Molin. *lib.* 4. *de primog.*
*c.* 4. *num.* 25. Mier. *de major.* 1. *part. quæſt.* 11.
*num.* 1. Tiber. Decian. *conſ.* 19. *num.* 137. *volum.*3.
*& conſil.* 27. *num.* 3. *&* 7. *&* 8. *volum.* 1. Barboſ.
*l.* 2. 1. *part. num.* 1. *ſolut. matrim.* & in terminis
collationis ponderat hanc regulam, Selva *de benef.*
3. *p. quæſt.* 49.

29 Sed ſi Epiſcopus conferat ſine præſentatione pa-
troni valebit Capellaniæ collatio, quod ſecus erit
patrono reclamante, Paul. Æmil. Caputaq. *deciſ.*
133. Gratian. *reg.* 76. & accedente poſtea patroni
conſenſu ſuſtinetur, & eſt ratio quia collatio à
principio habuit ſubſiſtentiam, licet potuerit irrita-
ri, *c. illud in fin. de jure patron.* Paiſ. *conſil.* 144.
*numero* 2. *&* 4. *volum.* 4. Sed & propter vitandum
ſcandalum poterit Epiſcopus ſine patroni præſenta-
tione inſtituere Capellanum, Lambert. *de jure*
*patron. lib.* 2. 3. *part. quæſt.* 4. *princ. art.* 2. *& ibi art.* 3.
idem dicit indigno præſentato.

Si tamen Epiſcopus collationem Capellaniæ fecit 30
tanquam ad ſe devolutam cum re vera non eſſet,
collatio irrita erit. Boer. *deciſ.* 70. Cerola, *in praxi*
*Epiſc.* 1. *part. verſ. jus patronatus*, ad octavum du-
bium.

Regulariter autem Capellaniæ, & beneficia præ- 31
ſumuntur libera à jure patronatus, niſi contrarium
probetur, *c. omnes baſilicæ*, 16. *quæſt.* 7. *c. regen-*
*da*, 10. *quæſt.* 1.

Et facta, ſeu non facta præſentatione patroni, 32
cum ordinarius habuerit notitiam vacationis, citat
per edicta intereſſe putantes ad Capellaniam, quod
neceſſarium eſt pro beneficio providendo, *c. fin. de*
*elect. lib.* 6. Paul. Æmil. Caputaq. *deciſ.* 95. 2.
*part.* Aym. *conſ.* 63. *num.* 2.

Sed an edictum ſit ponendum ubi Capellania ce- 33
lebratur, vel ſufficiat in Cathedrali Eccleſia, &
Ægid. Magiſter *in tractat. ſubhaſtationum, c.* 10.
tenet ponendum eſſe Valvis Eccleſiæ, in qua fit
electio. *ex d. c. fin de elect.* quod intelligas quando
Capellania ea in Eccleſia celebratur.

Et eſt relinquendum edictum in Valvis Eccleſiæ, 34
ut tradit Ægid. Magiſter, *tractat. ſubhaſtationum*,
*c.* 9. ea (ut inquit) ratione, quia eſt locus fre-
quentior, ubi veriſſimiliter fideles Chriſtiani acce-
dunt, ſaltim diebus feſtivis, & dominicis, & con-
ducit *textus in cap. fin. qui matrimon. accuſar. poſſeſſ.*
ibi, *Cum non prodierit in publicum quando vana ſe-*
*cundum conſuetudinem in Eccleſiis edebantur*: talia
enim & ſimilia edicta debent affigi in locis magis
frequentatis, tradit Bald. *in l. mandatum, num.* 35.
*C. mandati, per textum ſingularem in l. jubemus,*
*C. de defenſorib. civit.* ibi *In frequentioribus civita-*
*tum locis*, quia ponuntur edicta cum deſideratur
rem omnibus patere, Authen. *qui ſemel C. quomodo*
& quando judex, ubi jubentur poni, quia vox 35
præconis paucis innoteſcit, pro quo eſt textus, *in*
*l. Divus, ff. de in integrum reſtitut.* ibi: *Parum*
*exandita voce præconis*, tradit Oſaſcus, *deciſ.* 71.
*num.* 34. Et debet poni edictum literis & lingua
vulgari, ut ab omnibus legi, & intelligi poſſit, 36
*l. ſed ſi pupillus*, §. *de quo palam, verſ. præſcribere,*
*ff. de inſtitoria actione*, in illis verbis: *Proſcribere*
*palam, ſic accipimus claris literis, ut de plano recte*
*legi poſſint, non in loco remoto, ſed evidenti, literis*
*utrum Græcis, an Latinis, putò ſecundum loci con-*
*ſuetudinem, ne quis cauſari poſſit ignorantia litera-*
*rum, certè ſi quis dicat ignorare literas, vel non*
*obſervaſſet quod propoſitum erat cum multi legerent,*
*cumque palam eſſet poſitum, non audietur.* Itaque
nullus poteſt ſe excuſare: publicè enim poſitum
ignorare non licet, gloſſ. *in l. fin. ff. de decretis*
*ab ordine faciendis*, & gloſſ. *in l.* 1. *ff. de receptato-*
*ribus*, Franciſc. Beccius, *conſ.* 60. *num.* 4. & ci- 37
tatio per edictum præſumitur venire in omnium 38
notitiam, ſaltim fictione juris, ut inquit celebris
deciſio Rotæ, 16. *aliàs*, 364. *num.* 2. *de dolo &*
*contum. in novis*, & ſequitur Alexand. Raud. *conſ.* 39
23. *num.* 519. *cum ſeq.*

Si tamen edictum omittatur in Capellaniæ colla-
tione inſtitutio nulla erit, *dict. cap. fin. de elect. lib.*
6. Aymon. *conſ.* 177. *num.* 1. *& deciſ. dict. cap. fin.*
habet locum in beneficiis etiam ſimplicibus, Selva, 40
*de benefic.* 3. *part. quæſt* 53. & quamvis inſtitutio &
collatio irrita ſit, valida tamen erit præſentatio à
patrono



41 patrono facta, ut tradit Geminian. *dict. cap. fin.*
*num.* 8. quem refert & ſequitur Alexand. Raud.
*conſ.* 11. *num. fin.*

42 At ſi conſtiterit de contradictore, eſt citandus
perſonaliter, aliàs proceſſus erit nullus, ita tradit
Lambert. *de jure patron. lib.* 2. 2. *part. quæſt.* 6. *princ.*
*artic.* 9. 10. *&* 11. deciſio Rotæ, 227. 3. *part. lib.*
2. ſequitur Alexand. Raud. *conſ.* 11. *num.* 39. per
textum *in dict. c. fin.* ibi: *Vocationem autem hujuſ-*
*modi nominatim ubi eſt collectus, vel apparet oppoſi-*
*tor, &c.*

43 Ubi enim perſona eſt certa, eſt citanda in ſpe-
cie, & non generaliter, per edicta, tenet Bartol.
*l. ſi eo tempore, C. de remiſſione pignorum*, per tex-
tum *in l.* 1. §. *denuntiari, de ventre inſpicient.* Fran-
ciſc. Beccius, *conſ.* 12. *num.* 9. Gamma, *deciſ.* 237.
*num.* 1. Roland. *conſ* 64. *num.* 14. *vol.* 2. *& conſ.* 72.
*num.* 12 *volum.* 3. poſt Geminian. *dict. c. fin. num.* 12.
*de elect. lib.* 6.

44 Et in edicto debet competens terminus aſſignari
ad comparendum, aliàs ſi vel petens collationem
nimis brevem edicti terminum procuraverit, vel
45 edictum auferri curaverit, ne deveniat ad plurium
notitiam, ejus inſtitutio irrita erit, tradunt Innoc.
& Abb. *cap. cum olim de cauſa poſſeſſionis & propriet.*
Ripa, *cap. cum M. Ferrarienſis, num.* 110. *de con-*
*ſtit.* Marcus Anton. Cuchus, *lib.* 4. *inſtit. major.*
*titul.* 5. *numero* 41. ubi *numero* 42. dicit, quod
ſi ambigatur à quo edicta ablata ſint, vel ab
ipſo petente, ne quis contra eum ſe opponat,
vel adverſariorum fraudes arbitrio prudentis judicis
46 eſt diffiniendum. Male ergo faciunt Prælati, qui
edicta beneficiorum, maximè parochialium Eccle-
ſiarum brevi tempore claudunt, forſan dum cupiunt
aliquibus beneficia conferre, nam cum ſint admini-
ſtratores, non debent nimia feſtinatione procedere,
*l. tutor. qui repertorium*, §. *ſi tutor*, ibi: *Debuit*
*enim partibus ſuis fungi non quidem præcipiti feſtina-*
*tione, ff. de admin. tut.*

47 Non enim formæ à jure requiſitæ ſatisfaciunt
talia facientes, ſiquidem non edicta ponuntur ad
illum effectum conſequendum, quem jus deſiderat,
imo id agunt ne veniant in intereſſe putantium no-
titiam, ut non inſtructi judicio non compareant,
nec ſua jura proferant, & quoties taliter caſus oc-
currerit, vel quod edicta malitia petentis fuerint
ablata, vel data tam brevi termino, ut nequeant
venire in notitiam prætendentium jus ſibi compete-
re, cum collatio ſit nulla, per ſupra dicta, poterit
quiſquis ſua intereſſe putans opponere de jure ſuo,
petendo ſibi dari terminum ad probandum, citatis
citandis, collationemque factam nullam declarari,
ſibique nove fieri.

48 Pro quo adduco textum ſingularem, *cap. ex te-*
*nore.* 35. *juncta gloſſ. verb. admittendos, de teſtib.*
ubi publicatis atteſtationibus, admittitur quis ad
probandum contrarium, ſi ante publicationem de
probatione contraria inſtrui non potuit deciſio Ro-
tæ, 2. *de teſtam. in novis*, Ludovic. *dict. ſing.* 202.
49 Sic quando producitur nova ſcriptura (tranſacto
termino probationis, cum juramento neceſſario
quod antea non venerat in notitiam) quam pars
vult redarguere, admittitur ad probandum contra
eam, licet tranſactum fuerit tempus probationis
ordinarium, Ludovic. *dict. ſingular.* 202. *& dict.*
*deciſ. Rotæ* 2. *de teſtib. in novis.* Joannes Garc. *de*
*nobilitate gloſſ.* 1. §. 1. *num.* 20. Pro quo eſt tex-
tus, *in cap. Paſtoralis, de exception.* ibi: *Niſi for-*
*te aliqua de novo ſibi competens exorta fuerit.*

Perez de Lara de Anniverſ.

Ex quo trado verum, & meo judicio ſemper ſer- 50
vandum, quod ſi reus executus virtute inſtrumen-
ti, vel rei judicatæ, ſeu confeſſionis judicialis, vel
alia cauſa executiva, cui lege noſtri Regni dan-
tur decem dies ad probandum legitimas exceptio-
nes, viam executivam impedientes, ſi is fraude ſe
oppoſuerit, allegando ſolutionem, & genericè
aliàs exceptiones, quas non nominaverit, ſed di-
xerit, quod ſe opponit, & allegat ſolutionem,
& proteſtatur probare alias exceptiones in termino
legis ſolum juvabitur probando ſolutionis exceptio-
nem, neque ſi aliam exceptionem probet (puta
pacti de non petendo, ſeu dilationis termini, vel
metus, ſeu violentiæ) illi proderit ad victoriam,
vel ſaltim inſtante actore, denuo eſt illi dandus
terminus, denuo eſt illi dandus terminus, ut poſſit
objicere contra illam exceptionem, de qua inſtrui
non potuit, *per dict. cap. ex tenore*: nam ſicut
reus juvatur exceptionibus, & quemadmodum
non debet ſua exceptione fraudari, ita nec actor re-
plicatione, cum æqualitas ſit ſervanda in judicio, 51
regula non debet, *de reg. jur. lib.* 6. Et quia ſæpè 52
vidi malitioſe reos executatos allegare ſolutionem
genericè, cum ſe opponunt non addendo tempus
& modum ſolutionis & differre probationem in
ultimum diem termini decem dierum, ut actores
fallantur, dum videntes tranſire tempus, putant
nihil contra eos probari vel cum ignorent, de qua
ſolutione eis objiciatur nequeant probare illam
fuiſſe alterius crediti, vel facta ob aliam cauſam,
vel ad alium finem quam ſolutionis debiti, pro quo
executio petitur, de quo plenè in termino legis
ſatisfacerent, ſi explicitè exceptio ſolutionis pone-
retur, & ſic creditores decipiuntur fallacia debito-
rum: dic, quod aut creditor intra terminum de-
cem dierum potuit inſtrui de modo ſolutionis pro-
batæ forſan, quia debitor per libellum actori in-
timatum declaravit licet in ultima die termini: & 53
tunc cum actor potuerit petere termini prorogatio-
nem, ut tradit Rodericus Suarez, *l. poſt rem, limi-*
*tatione* 4. *ad l. Regni, num.* 8. quem & alios refe-
runt Parlad. *lib.* 2. *rerum quotid. cap. fin.* 5. *part.* §.
10. *num.* 13. & Azeved. *l.* 1. *titul.* 21. *lib.* 4. *recopil.*
*num.* 160. & conducit Aymon, *conſ.* 179. *numer.* 2. 54
*&* 4. ſibi imputet, ſi cum potuit ſibi præcavere
utendo remediis opportunis, id non fecit, & ſentit
damnum ſua culpa, juxta regulam juris 5. Aut non 55
potuit actor inſtrui, cum reus non porrexit libellum
explicitum, ſed velut diximus, genericè, vel ſub
ambiguo & fallaci verborum cortice (quod pru-
dentis judicis arbitrio diluetur) & tunc etiam ſi
teſtium dicta nota ſint actori, cum pandantur tran-
ſactis decem diebus, eſt prorogandus terminus
actori, ne reus ex malitia ſua commodum repor-
tet contra juris regulam, & idem cenſeò, ſi id
præter rei malitiam contingat, quod bene fundatur,
ex *d. c. ex tenore, de teſtibus.*

Et hæc citatio communiter fit ad caput Epiſco- 56
patus, ubi trahi poſſunt intereſſe putantes, nam li-
cet regulariter cauſæ Eccleſiaſticæ tractandæ ſint in
locis litigatorum, ubi adſunt judices & Vicarii:
tamen cauſæ beneficiales Capellaniarum ſemper agi-
tantur in capite Diœceſis, etiam renitentibus &
invitis conventis, nec poſſunt conqueri, quod non
ſequantur eorum domicilium: cum iſthæc cauſæ
ſint exceptuatæ, *l. Regiæ* 5. *titul.* 1. *lib.* 4. *Recopila-*
*tionis*, in hæc verba: *Otroſi mandamos, que nin-*
*gun juez Eccleſiaſtico por fatigar à legos, los pueda* 57
*citar, ni cite en la cabeça de ſu Obiſpado, ò Arço-*
V *biſpado,*

*biſpado , pues tienen otros jueZes inferiores , ante*
*quien en los caſos premiſſos de derecho los pueden de-*
*mandar , excepto en las cauſas criminales , benefi-*
*ciales , deZimales , y matrimoniales , que en eſtos*
*caſos pueden ſer citados , y demandados en las di-*
58 *chas cabeças.* Et quod Capellania ſit beneficium
Eccleſiaſticum , diximus *ſupra , hoc lib. cap,* 1.
*numero* 16.
59 Et poterit Epiſcopus etiam exiſtens extra diœce-
ſim , mittere edictum ponendum , ex quo illud da-
tur abſque aliqua contradictione , & contentione.
Selva *de beneficio , 3. part. quæſt.* 53. Lamberti. *de*
*jure patrim. lib.* 2. 2. *part. quæſtion.* 6. *art.* 7. *nu-*
*mero* 9.
60 Et ſi Capellania non ſit juris patronatus , ſed per-
tineat ad meram Epiſcopi collationem , & habeat
poteſtatem conferendi cui voluerit , idoneo tamen ,
*ex cap. relatum juncta gloſſ. de præbend.* ( quo caſu
collatio dicitur libere , Petrus Gregorius , *de bene-*
*ficio , cap.* 39. *num.* 1. ) cum ea collatio non contra-
dicta non ſit contentioſæ juriſdictionis , ut tradit
Marc. Antonius Cuchus, *lib.* 2. *inſtitutio. majorum,*
*titul.* 5. *num.* 97. *&* 98. poſt gloſſ. & Dominicum,
61 *in cap. finali de electione in* 6. poterit Epiſcopus il-
lam facere , licet ſit extra diæceſim , prout poterit
facere omnes actus voluntariæ juriſdictionis , gloſſ.
& DD. *in cap. novit. de officio legati.* Selva , *de be-*
*nefic.* 3. *part. quæſt.* 40. *num.* 1. Lambert. *de jure*
*patronat. lib.* 2. 3. *part. quæſt.* 2. *articul.* 11. Marc.
Anton. Cuchus , ubi *ſupra* Staphileus , *de poteſtate*
*legati , num.* 59. Cerola , *in praxi Epiſc.* 1. *part.*
*verb. beneficia , ad nonum , &* 2. *part. verb benefi-*
*cium , in fine ,* & melius cæteris Selva , *de benefic.*
3. *part. quæſt.* 53. Gratianus , *deciſ.* 98. *numero* 6.
62 *&* 7. Et quod ſi juriſdictionis voluntariæ patet ,
quia nullus cogitur acceptare beneficium , ut dicit
Petrus Gregor. *de benefic. cap.* 38. *numer.* 3. nam
non datur judicium ſine contradictore , *c. forus ,*
*de verb. ſignific.* quia ſubſtracta una perſona , quæ
format proceſſum , judicium remanet informe. Ex
63 quo eſt , quod exceptio per quam perſona actoris ,
64 vel rei excluditur à proceſſu , ſemper impedit pro-
ceſſum. Lanfrancus Balbus *deciſione* 170. & ob
eam rationem ſuper exceptionem quæ opponitur
65 ad impediendum proceſſum , de neceſſitate eſt pro-
nuntiandum ſtatim , & non debet reſervari ad defi-
nitivam , gloſſ. *fin. in fin. l.* 1. *Cod.* de ordine judi-
ciorum . Menoch. *lib.* 2. *de arbit. centuria,* 2. *caſu*
167. ubi latè , quando ſuper incidenti eſt pronun-
66 tiandum : quia quando obſtaculum eſt in medio,
prius debet agi ad remotionem obſtaculi , *l. Gem-*
*ma , ff. ad exhibend. cap. tuam , de ordine cogni-*
*tionum , c lator ,* qui filii ſint legitimi.
67 Sed & Vicarius , qui habet poteſtatem conferen-
di , poterit collationem facere extra diœceſim , ut
tradunt plures , quos refert , & ſequitur Antonius
Cuchus , *lib.* 2. *inſtitution. majorum , titul.* 8. *num.*
48. & Cerola , *in praxi Epiſcopali ,* 2. *part. verbo*
*beneficium , verſic. vigeſimo quarto ,* ubi in fine in-
68 quit : quod ſecus erit ſi contradictor apparuerit,
nam tunc , cum collatio efficiatur contentioſæ ju-
riſdictionis , nequit fieri extra territorium Epiſco-
pi , *l.* 1. *ff. de offic. Proconſulis,* & Selva ubi *ſupra.*
69 Clerico autem forenſi , qui non ſit ſui Epiſcopa-
tus , non debet Epiſcopus collationem facere ſine
literis commendatitiis, Abb. *c. fraternitati, num.* 5.
*de Cleric. non reſid.* Cerola , *in praxi Epiſc. verbo*
*beneficia , verſiculo ſextum dubium ,* 1. *part.*
70 Et prius quam collationem faciat ordinarius, de-
bet habere notitiam de morte ultimi Capellani, ſive
reſignantis , ſeu promoti , & ei debet exprimi ejus
nomen per petentem collationem , Staphileus de
literis gratiæ, *tit. de variis modis vacationis, num.* 5.
*& ſequentibus,* Rebuff. 3. *part. ſignaturæ , numero* 2.
DD. *in cap. ſuſceptum de reſcriptis ,* Antonius Cu-
chus , *lib.* 1. *inſtitutionum majorum , cap.* 4. *num.*
132. ubi *num.* 30. quod debet etiam exprimi locus, 71
ubi Capellania celebratur. Felinus , *cap. cum acceſ-*
*ſiſſent de conſtitution.* gloſſ. *cap. quamvis , verb. ce-*
*dentium de præbend. in* 6. Aymon. *conſ.* 104. *num.* 13.
Lappus *alleg.* 15.
Si tamen Epiſcopus habeat veriſimilem notitiam 72
de morte Capellani , poterit ſub conditione colla-
tionem facere , dicens : confero tibi talem Capel-
laniam ſi vacat. gloſſ. *verbo incerta , in cap.* 2. *de*
*electione , lib.* 2. Covarr. *lib.* 3. *variarum , cap.* 16.
*numero* 2. Selva , *de beneficio , 3. part. quæſt.* 46.
*numero* 2. Cerola , *in praxi , 1. part. verbo benefi-*
*cium , ad quartum , verſ. ſecundum dubium.*
Sed an Capellaniæ ſeu alterius beneficii collatio, 73
ſit facienda in ſcriptis , & gloſſa in Clementina du-
dum in verbo , verbo , de ſepulturis , inquit ſuffi-
cere verbo , facere collationem , idque verum eſſe
de jure communi teſtatur Cerola, *in praxi , verbo* 74
*bullæ ad quartum ,* quia de jure ad eſſentiam gratiæ,
& collationis non requiritur bullarum expeditio,
*c. inſtitut. juncta gloſſ* 25. *quæſt.* 2. Felinus , *c. eam*
*te , num.* 3. *de reſcriptis ,* Baldus , *l. humanam,*
*C. de legibus ,* Joan. Andr. & Anton. *in procœmio* 6.
*libri ,* quos refert, & ſequitur Selva , *de benef.* 1.*p.*
*quæſt.* 2. *num.* 31. Covarr. *lib.* 3. *variar. c.* 16. *num.*
1. alios refert Cerola, *in praxi , verbo bullæ in*
*princ.* Flaminius , *lib.* 2. *de reſignatione benef. quæſt.*
24. *numero* 4. Petrus Greg. *de benef. c.* 39. *num.* 1.
Mohedanus , *deciſ.* 22. *ut lite pend.* Tamen ad 75
probationem gratiæ per regulam *de non judicando,*
11. *Cancellariæ ,* fuit inventa expeditio bullarum,
tradit Gomez. ibi , *quæſt.* 1. *&* 2. Cerola ubi *ſupra*
*ad quartum ,* & fuit conveniens , nam licet gratia
unico fiat verbo , ut dicit Molin. *de primog. lib.* 2.
*c.* 7. *numero* 55. *&* 57. & Princeps cenſeatur com- 76
mittere Secretariis apponere clauſulas conſuetas,
Mieres *de major.* 1. *p. q* 67. *num. fin.* ſi non ſit bul-
la non creditur eſſe mandatum Principis , ut tradit
gloſſa *in procœmio 6. lib. decret. §. fin. verbo , bulla,* 77
& gloſſ. *fin. in c. ſi motu proprio , de præb. lib.* 6. *l.*
*unica , C. de mandatis Principum ,* & tradunt Va-
laſcus, *conſult.* 72. *num.* 19. Afflictis *deciſ.* 253. *n.* 3.
Molin. *lib.* 2. *de primog. cap.* 8. *num.* 8. Mier. *de*
*major.* 1. *p q.* 62. *n.* 1. Vincentius de Franchis, *deciſ.*
62. *num.* 12. *&* 15. Caputaq. *deciſ.* 167.
Et ſic per ſolam ſignaturam gratiæ , non poteſt 78
quis apprehendere poſſeſſionem beneficii , nec fa-
cere fructus ſuos , imò diceretur intruſus ex bulla
Julii Tertii 33. ut tradit Rebuff. *titul. de miſſione*
*in poſſeſſionem , num.* 39. niſi Papa dixerit quod ſola 79
ſignatura ſufficiat , ut ex dicta bulla tradit Cerola
*in praxi Epiſc. verbo bullæ ad primum.* Gratia enim 80
dicitur informis ante expeditionem literarum , ex
regula Cancellariæ de non judicando , etiam ſup-
plicatione ſignata , Mohedanus , *deciſ.* 28. *de renun-*
*tiatione ,* & hoc , quia ſemper cenſetur facta gra-
tia ſub conditione ſi literæ expediantur. Flaminius, 81
*lib.* 10. *de reſignatione beneficiorum, q.* 1. *n.* 8. Gom.
*de reg de non judicando q.* 14. *n.* 1. Cerola, ubi *ſup. ad* 1.
ubi quod per extravagantem primam , de electione
prohibetur quis habere beneficia conſiſtorialia, non
levatis bullis & ea deciſio fuit extenſa ad omnia
ben ficia



beneficia obtenta in Curia , *ex d. bulla Julii Ter-*
*tii* 33. *incipienti ,* Sanctiſſimus ſub pœna inhabi-
litatis , & reſtitutionis fructuum, de qua Flaminius,
*lib.* 2. *de reſignat. benef. q.* 24. *n.* 4. & Cerola lo-
co proxime citato. Atque ita quod non habet effe-
ctum gratia , literis non expeditis, traditur deciſion.
Rotæ 20. 1. *part. in noviſſimis.*
82 Et ſic quando moritur Papa ante expeditionem
literarum , ſucceſſor Pontifex , ut gratia ſortiatur
effectum dat literas in forma rationi congruenti, tra-
dunt Boër. *deciſ.* 346. *& Afflict. deciſ.* 252. *n.* 4. Man-
doſius, *reg.* 8. *Cancellariæ, q.* 3. Marc. Ant. Cuchus, *lib.*
1. *inſtitutio. major. tit.* 5. *n.* 9. Bonif. *in procœm. Cle-*
*ment §. nunc igitur , n.* 16. Surd. *conſ.* 514. *n.* 16.
*vol.* 4. ubi quod procedit in principe ſæculari.
83 Et quod fuerit facta gratia à prædeceſſore , poteſt
probari teſtibus , per ea quæ tradunt DD. *in pro-*
*œmio 6. lib. decretal.* & Barb. *in procœmio Clementi-*
*narum ,* Bald. *in l. ſi qua per calumniam , n.* 7. *de*
*Epiſcop. & Cleric.* Ant. Burgos , *in rubric. de con-*
*ſtitutio. n.* 158. inter repetitiones Canonicas. Alex.
Raud. *conſ.* 11. *n.* 25. deciſio Rotæ 978. *num.*
8. *&* 9.
84 Sed an idem ſit reſpectu ordinariorum extra
Curiam , & cum tam regula Cancellariæ , quam
bulla Julii Tertii , loquantur in gratiis Romani
Pontificis , cenſetur omiſſum de ordinariis , & ſic
remanere diſpoſitioni juris , *l. ſi vero , §. de viro,*
*ff. ſoluto matr. l. ſi cum dotem. eo tit. l. commodiſſi-*
*mè , ff. de liberis , & poſthum.*
Et ſic Gom. *d. reg. prima , & ſecunda ,* tenet
non habere locum in ordinariis , atque ita mortuo
Epiſcopo , conſtito de veritate , ſucceſſor tenetur
collationem facere , Cerola ubi *ſupra ad quartum.*
Expedit tamen expedire literas , cum & in his ſit
eadem ratio probationis tituli ſine quo non poteſt
beneficium obtineri , *reg. beneficium de reg. juris,*
85 *lib.* 6. & quia Clericus beneficiatus tenetur oſten-
dere titulum ſuæ poſſeſſionis , ad inſtantiam judicis
interrogantis , ut dicit Bard. *l. cogi. num.* 5. *C. de*
*petitione hæreditatis , & l.* 2. *C. quomodo , & quan-*
*do judex,* gloſſa *in dict. regul.* 1. *de regul. juris, in* 6.
Cerola , *in praxi , verbo bullæ ad quintum ,* ubi
etiam ponit caſus quibus non tenetur exhibere ,
& ſive perditæ fuerint literæ collationis , Capella-
nus poterit probare teſtibus , ut tradunt ſupra re-
lati , & in terminis collationis ordinariorum , tra-
dit Cerola , *verbo bullæ ad tertium ,* Molina , *de*
*primogeniis lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 47.
Collatio autem fit his verbis : inveſtio te de tali
beneficio , quæ ponit Abbas , *in cap. authoritate ,*
86 *num.* 6. *de inſtitution.* & etiam poteſt uti aliis verbis
ut confero , trado , conſigno , Cerola , *in praxi,*
1. *part. verbo beneficia , in fine.*



# CAPUT XI.

## An ſententia ordinarii lata in favorem alterius ex litigantibus , cui mandat collationem Capellaniæ fieri , ſit exequenda non obſtante appellatione, & de diviſione fructuum facienda inter novum Capellanum & primum , ſeu ejus hæredes.

*SUMMARIUM.*

1 *Sententia Ordinarii , qua jubetur collationem Capellaniæ fieri alteri ex litigantibus , exequitur non obſtante apellatione , ſecundum Lambertinum.*
2 *Contrarium tamen eſt verum , & ſi exequatur, committitur attentatum.*
3 *Opinio Lambertini procedit quando inſtitutio non habet vim diffinitiva , ſed interlocutoria.*
4 *Aliqui tenuerunt literam Lambertini eſſe corruptam eo in loco , ubi tenet exequendam ſententiam.*
5 *Collatio non debet fieri lite pendente per alterius appellationem.*
6 *Domini de Rota reſolverunt inſtitutionem , & poſſeſſionem fuiſſe attentatam , attentato jure communi , tamen attenta diſpoſitione Concilii ſenſerunt difficultatem , & in quo.*
7 *Sententia lata ſuper beneficio curato , vel alia portione parochiali exequitur non obſtante appellatione.*
8 *Quando ordinarius de facto ſpreta appellatione exequitur ſententiam , ſi fertur cauſa ad Regiam Cancellariam jubentur reponi omnia eo ſtatu quo erant tempore prolationis ſententiæ , niſi videant frivolam eſſe appellationem.*
9 *Conveniens eſt ne ſententia collationis exequatur altero appellante , & quare.*
10 *Durante appellatione ſequeſtrantur fructus Capellaniæ , & dicuntur miſſæ.*
11 *Depoſitum poteſt fieri in perſona judicis , quia poteſt ſe in depoſitarium eligere , cautè tamen hoc facere debet.*
12 *Agendum eſt quod neutri litigatori oneroſum ſit.*
13 *Conſilium illuſtriſſimi Archiepiſcopi Toletani habet , pro ſtylo exequi has ſententias ſpretis appellationibus.*
14 *Laudantur conſiliarii Archiepiſcopatus Toletani , & ſpecialiter DD. Gabriel Suarez à Toleto , & Doctor Didacus Tello Maldonado illius Conſilii.*
15 *Delegatus qui de cauſa Capellaniæ cognoſcit , non facit collationem , licet ejus ſententia ſit exequenda , ſed mandat ordinario.*
16 *Ordinarius ſi non obtemperet mandato delegati ; & differat facere collationem, delegatus , conferet.*
17 *Executor miſſus à delegato ad conferendum , debet prius nuntiare ordinario.*
18 *Delegatus cum revocaverit ſententiam judicis*

 *ordinarii,*

*ordinarii, an debeat remittere exequutionem, vel ipſe facere.*

19 *Expenditur & intelligitur*, l. 7. tit. 17. lib. 4. recop. *& refertur praxis judicum* de las Alçadas civitatis Toletanæ.

20 *Facta collatione ſtatim acquiritur Capellano jus in re abſque aliqua apprehenſione poſſeſſionis, etiam ſi collatio fuerit verbalis.*

21 *Qualiter ſit facienda diviſio inter novum Capellanum, & prædeceſſorem, vel ejus hæredes,* & numeris ſequentibus.

22 *Beneficiatus & uſufructuarius æquiparantur.*

23 *Expenditur*, l. defuncta 65. ff. de uſufructu, *ut ejus diſtinctio ſervetur in diviſione horum fructuum.*

24 *Diſtinctio quæ ſumitur à contrario ſenſu* ex d. l. defuncta, & §. is vero inſtitut. *de rerum diviſione, eſt ſervanda in omnibus qui ad ſimilitudinem uſufructuariorum potiuntur fructibus pro eorum vita.*

25 *Autor obtinuit in Regia Cancellaria Pinciana, ſecundum deciſionem* d. §. is vero in cauſa majorat. Toler.

26 *In beneficiis & capellaniis de conſuetudine ſervatur, in his fructibus, diviſionem fieri pro rata anni.*

27 *Conſuetudo derogat legi, & ſic ſecundum eam eſt judicandum.*

28 *In memoriis Miſſarum & Capellaniis non collativis, juridicè ſervatur conſuetudo hæc.*

1 PRO complemento materiæ Capellaniarum congruit, ut ſciamus an ſententia lata in favorem alterius ex litigantibus, cui jubetur collationem fieri, altero appellante, poſſit executioni mandari, & Lambert. *lib. 2. de jure patronatus, 2. part. quæſt. 11. art. 5. num. 2. verſ. bene verum*, tenet poſſe exequi, Sed Lancelotus, *de*
2 *attentatis, 2. part. cap. 12. limitat. 40. num. 11.* dicit, per dominos de Rota pluries fuiſſe reſolutum, inſtitutionem factam poſt alterius appellationem eſſe attentatam: & quod ita fuit dictum in una Ca-
3 pellania Neapolitana contra Lambertinum, *d. art. 5.* cujus doctrina intelligenda eſt, quando inſtitutio non habet vim definitivæ, ſed interlocutoriæ, ut tradit ipſe Lancelotus, *de attentatis, 2. part. c. 12. limit. 49. n. 3.* ubi ita reſpondit ad tradita per Franc. & Abb. *in cap. conſtitutis el. 2. de appellatio.* quod etiam tradit, *c. 4. in præfatio. n. 627.* quem ſequitur
4 Azeved. *in Curia Piſana lib. 2. c. 4. num. 14.* dicens cum Lancelato, literam Lambertini eſſe corruptam, prout & inquit Lancelotus dixiſſe domin. de
5 Rota. Non enim debet fieri collatio uni ex præſentatis lite pendente per appellationem alterius, & cenſetur attentata. Rota *deciſ. 10. alias, 41. ut lite pendente*, Nata *conſ. 568.* Lancel. *de attentatis, 2. p. in præfat. n. 298. & n. 613. & 614.* ubi inquit ita fuiſſe pronuntiatum à Rota in cauſa Capellaniæ Toletanæ, & alia Compoſtellana Calder. *conſ. 1. ut lite pendente.*

Et idem tradit deciſio Rotæ, *6. numero 3. in noviſſimis, 2. part.* ubi dicit ſic fuiſſe declaratum in
6 una Capellania Neapolitana. Et domini ibi reſolverunt, attento jure communi, inſtitutionem & poſſeſſionem eſſe attentatam, & ſentientes difficultatem per diſpoſitionem Concilii dixerunt ſe velle particulariter videre, ut conſtat, *d. deciſ. 6. ante num. primum*, ibi. *Domini circumſcripta difficultate diſpoſitionis Concilii Trident.* & inferius, ibi. *Quam difficultatem volunt particulariter videre, & num. 9.* ibi. *Requiri particularem inſpectionem, cum pendeat ab intellectu Concilii Tridentini*

Sed prædicti peritiſſimi viri optimè in eo caſu timuerunt Concilii deciſionem, quæ eſt *ſeſſ. 24. cap. 18. de reformat. verſ. nec prædictorum.* Nam Ju- 7
dicium illius deciſionis verſatur circa portionem Parochialis Eccleſiæ, & Concilium dum ibi loquitur de providendis beneficiis curatis ab examinatoribus ſynodalibus, inquit, non ſuſpendi executionem proviſionis per appellationem interpoſitam, extra autem illum caſum ſine dubio eſt deferendum appellationi ſecundùm regulas juris communis.

Et ſi de facto Ordinarius ſuam ſententiam exe- 8
quatur, ſi feratur cauſa ad Regiam Cancellariam prætextu violentiæ auferendæ, & ut Ordinarius (cujus juriſdictio ea in cauſa eſt ſuſpenſa per appellationem, & devoluta ad ſuperiorem) ſinat proſequi litem coram domino Papa, ſeu ejus reverendiſſimo Nuntio, vel alio judice Apoſtolico delegato, jubentur reponi omnia eo in ſtatu quo erant tempore ſententiæ prolationis.

Si tamen ex actis apparet de notoria injuſtitia appellantis, ex eo quod non eſt deferendum appellationibus frivolis, *cap. cum appellationibus frivolis de appellatio. lib. 6.* Judices Regii declarant vim non fieri in executione ſententiæ, & collatione Capellaniæ.

Quod autem ſententia quæ non ita clare juſta, & 9
irretractabilis apparet non exequatur, conveniens eſt, cum ex contrario ſequatur, ſi revocetur ſententia, nova lis inter novum proviſum, & eum cui fuit facta de facto collatio, ſuper reſtitutione fructuum perceptorum, & ſæpiſſimè vidi non reſtitui fructus ob paupertatem primi percipientis, qui eos conſumpſerat, & eis multas moleſtias inferre, tam carceribus quam cenſuris. Et ita teneo ſalva pace doctiſſimi concivis mei Cevallos qui, (*q. 693. commun. contra commun. num. 31.*) in contrarium ſe inclinat, ob animarum, & bonorum favorem, cui
ego libenter aſſentirem, ſi animabus non poſſet 10
ſubveniri, prout durante lite ſubvenitur, dicendo miſſas per alium, & ſequeſtrando bona, quia lite pendente fructus Capellaniæ ponuntur apud perſonam à judice eligendam in Bulla Pii V. 50. quæ incipit Cordi. Cerola, *2. part. verb. beneficium verſ. octavo*, vel non exiſtente perſona idonea, ſervari apud judicem, quia poteſt ſe in depoſitarium eligere, *l. ſi fidejuſſor, §. fin. ff. qui ſatisdare cogantur,* 11
tradit Joſephus Ludovicus, *deciſ. 20. num. 6.* Menochius, *cent. 3. caſu 232. lib. 2. de arbit.* Avend. *lib. 2. de exequen. cap. 24. in princip.* Raudenſis, *conſ. 24. numero 8.*

Et cum poſſit omnibus conſuli, non eſt cur recedatur à regulis juris Canonici, & authoritate ſacræ Rotæ contrarium toties decidentis, ut conſtat de-
ciſionibus à me relatis, de quarum efficacia, & 12
authoritate diximus, *lib. 1. cap. 10. num. 44.* ſemper enim faciendum eſt quod neutri litigatori oneroſum ſit, *l. 1. ff. ſi quis cautionibus.*

Nec inficior quod in conſilio illuſtriſſimi Archie- 13
piſcopi Toletani conſueverint hæ ſententiæ exequi, vincentique, ſpreta appellatione collationem facere, ut refert Lancellotus *de attentatis, 2. part. cap. 12. limitatione 48. num. 1.* fuiſſe allegatum coram dominis de Rota, & licet non fuerit obtentum, ut inquit ibi *num. 2.* dicit tamen ideo contigiſſe, quia non fuit probata conſuetudo ſentiens, & tenens, talem conſuetudinem ſuſtinendam eſſe, ex quo conſuetudo poteſt tollere ea quæ ſunt juris poſitivi pro ut ſunt attenta, & tolerabilior eſt talis conſuetudo in conſilio Domini Archiepiſcopi Toletani, nam ultra magnam juris peritiam, & juſtitiæ vir-
14 tutem, qua communiter afficiuntur Conſiliarii, tanta pollent Capellaniarum cauſarum experientia (rerum magiſtra) ob nimiam earum frequentiam, ut nunquam in proferendis ſententiis à recto juſtitiæ tramite devient, inter quos poſtquam per viginti, & plures annos eo in conſilio interfuerit, nunc meritiſſimè præeſt nobilis, ac præclarus Dominus D. Gabriel Suarez à Toleto Archidiaconus de Madrid, & ea cum dignitate Canonicus ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ, cui ultra literarum ſtudia longa, & aſſidua earum litium cognitio magiſterium tribuit, nec huic oneri ſolum mancipatus adſtitit, nam & cauſas ſancti Officii, ac ſanctæ Cruciatæ, jam diù ſtrenuè tractavit, & aſſiduè pertractat cujus vitæ exemplar, ac morum probitas ad commune bonum altiora indicant.



Nec ſilentio præteribo egregium, ac nobilem virum Doctorem Didacum Tello Maldonado meritiſſimum Conſiliarium illius conſilii, ac judicem Regium bonorum confiſcatorum ſancti Officii Inquiſitionis, & conſultorem, olim magiſtrum meum dum Cathedram Primariam legalis ſcientiæ Toletanæ Univerſitatis teneret, cujus merita grandioribus conveniunt, & ſublimibus illum adæquantur.

15 Quando autem appellatio fuerit proſequuta, & judex cui cauſa à Reverendiſſimo Nuncio fuerit commiſſa, ſententiam tulerit talem, quæ debeat exequutioni mandari, vel quia ab ea non fuit appellatum, vel quia reperiuntur tres ſententiæ conformes, tunc non ipſe delegatus collationem faciet (hoc enim ad ordinarium pertinet) ſed mandat
16 Ordinario Cerola *in praxi, 1. part verbo delegatus verſic. 6.* Si tamen ordinarius diſtulerit collationem facere, ipſe delegatus conferet, argumento. *cap. prudentiam, §. final. de officio delegati*, bonus textus, *in cap. ſignificaſti, 7. eodem tit.* Selva, *de beneficio, 2. part. quæſt. 13. num. 1.*

17 Et ſi delegatus miſerit executorem ad conferendum, is executor debet ordinario denuntiare, quod vult beneficium conferre, Marcus Antonius Cuchus, *lib. 1. inſtitution. majorum, tit. 7. numero 43.*

18 Sed an id procedat etiam ſi judex Apoſtolicus delegatus, cui eſt commiſſa cauſa à Reverendiſſimo Nuntio, revocaverit ſententiam judicis ordinarii, & videbatur non remittendam executionem, ſeu collationem ordinario, qui malè judicaverat,
19 argumento, *l. eos in principio C. de appellatio. & l. 7. tit. 17. lib. 4. recopilationis.* Sed dic idem eſſe utroque caſu, quia ad ordinarium pertinet collationem facere omnium beneficiorum ſuæ diæceſis, ut diximus in principio præcedentis capituli. Judex enim appellationis ſolum habet pronuntiare juſtam vel injuſtam ſententiam exequendam, vel non, *ex dict. l. eos in fine principii*, & ſuper hoc prohibet textus ille remiſſionem, non autem quoad executionem. Et dicta lex Regni loquitur in ſententiis interlocutoriis, ut videre eſt per eam, quam diverſimode vidi ſervari: ſemper tamen conſulerem judicibus de las Alçadas Toletanæ civitatis, ut revocando condemnationem torturæ factam per inferiorem, retineant cauſam, illam quæ ſine debito terminent: & ſic vidi multoties fieri & ſervari.

20 Et facta Canonica Capellaniæ collatione ſtatim Capellano acquiritur jus in re abſque aliqua apprehenſione poſſeſſionis, ut tradit gloſſ. *in cap. penult. verſ. collatio de præbend. lib. 6. recepta ſecundum* Covarr. *lib. 3. variar. cap. 16. numero 1.* etiamſi collatio fuerit verbalis, Mehedanus *deciſ. 22.* ut lite pendente de quo *ſupra, cap. 10. numero 73. & ſequentibus.*

Seu pro complemento congruit diſcutere qualiter 21
ſit facienda diviſio fructuum Capellaniæ inter novum Capellanum, & prædeceſſorem, vel ejus hæredes, & cum beneficiatus, & uſufructuarius æquiparentur, ut tradit Guido Papæ, *quæſt. 110.* 22
Afflictis, *deciſione 168. numero 2.* Navarr. *in apologia de redditibus, quæſt. 2. monito 13.* ſequitur Barboſa, *l. divortio in principio, 2. part. numero 57. verſ. ſed non placet.* videtur quod ſit inducenda 23
diſtinctio à contrario ſenſu *ex l. defuncta, 65. ff. de uſufruct.* quæ ea eſt, ut ſi fructuarius decedat pendentibus fructibus, non pertineant penſiones ad ejus hæredes, pro ut non pertinent fructus pendentes, *6. is vero inſtit. de rerum diviſione*, Barboſa, ubi *ſupra numero 24.* quam diſtinctionem ſequitur Rota, *deciſione unica,* de tranſlatione Prælati in antiquis Corſetus *ſingulari 49.* quod dicit indubitatum ſecundum jus commune. Calderinus, *conſil. 2. in principio de peculio clericorum,* & tenet Bart. *conſil. 231. numero 2.* Faber. *§. is vero numero 2. inſtitut. de rerum diviſ.* Navarr. *in apologia de redditibus, quæſt. 2. monitu 13. & conſ. 61.* incipit anno Domini *numero 5. de præb.* Theſaur *deciſ. 143.* Cavalc. *deciſ. 44. numero 1.* Ludov. *deciſ. 33. numero 1.* & dicit communem Albert. *l. divortio in princ. numero 12.* Barboſa, *l. divortio in princip. 2. p. numero 56. & num. 24.* Et pro hac ſententia eſt Bulla Julii 3. Romani Pontificis quæ eſt 9. & incipit, cum ſicut, *fol. 504.* quæ vult omnes fructus beneficiorum in exactos ad ſucceſſores in beneficiis expectare, quam refert Cerola, *in praxi, 1. parte verbo beneficia ad ſextum*

Et quamvis hæc ſententia in puncto juris vera 24
ſit, & ſervanda in omnibus, qui ad ſimilitudinem uſufructuariorum potiuntur fructibus pro eorum vita, prout etiam vidi pronuntiatum in cauſa fructuum majoratus in Pinciana Regia Cancellaria de
quo habeo executoriam Regalem, & licet multi 25
advocati mirarentur, eo quod ſemper vidiſſent contrarium pronunciatum in Cancellariis, prout & teſtatur Covarr. *lib. 1. variar. c. 15. numero fin.* non ego miror, cum legerim. *§. is vero, inſtituta de rerum diviſ.*

Tamen in beneficiis, & capellaniis de conſue- 26
tudine ſervatur in noſtra Hiſpania, quod fructus dividantur pro rata anni, de qua etiam conſuetudine teſtantur Sarmiento de redditibus Eccleſiaſticis *lib. 4. c. 6. numero 13.* Joan. Gutier. *in quæſtion. Canonicis, c. 33. num. 11.* & eam opinionem tutantur graviſſimi Doctores, ut Covarr. *lib. 1. variar. c. 15. num. 12. & 13.* dicens veriorem & æquiorem. Avend. *reſp. 5. num. 1.* Molin. *lib. 3. de primog. c. 11. num. 4.* affirmans receptam frequentiſſimè vidiſſe, & eam tenens dicit vidiſſe ſervari Cerola, *in praxi Epiſcop. 1. part. verb. beneficia ad ſextum.* Alios refert, & ſequitur Boherius, *conſ. 23. num. 7.* qui juvantur ex eo quod beneficium Eccleſiaſticum datur propter officium *cap. fin. de reſcriptis lib. 6.* & propter onera quæ ſubeunt in adminiſtrandis ſacramentis, *cap. cum ſecundum Apoſtolum de præbend.* ut tradit Flaminius dicens opinionem Covarr. *veriorem lib. 1. de reſign. benefic. quæſt. 6. num. fin.* Quod non placet doctiſſimo Barboſæ ubi

ſupra

*ſupra num.* 57. ex rationibus per eum adductis, ultra quæ eſt & alia, quod ſunt aliæ plures utilitates quæ quotidiè percipiuntur, ut oblationes in Curatis, diſtributiones in Canonicis, & portiones anniverſariorum, quæ non computantur in fructibus beneficii, ut diximus *ſupra hoc lib. cap.* 1. *num.* 36. quæ poſſunt oneri correſpondere, & ſic judicari de fructibus terræ, juxta prædictam diſtinctionem juri
